

Google



CAROLI ARBUTHNOTII
TABULAE
ANTIQUORUM NUMMORUM, MENSURARUM ET PONDERUM, PRETIIQUE RERUM VENALIUM,

Variis Diſſertationibus explicatae & exemplis illuſtratae.

Ex Anglica in Linguam Latinam converſae

OPERA

DAN. KÖNIGII, M. D.



TRAJECTI AD RHENUM,
Apud HERMANNUM BESSELING.

MDCCLVI.

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO

VIRO,

FRANCISCO IOANNI LONSIO,

MEDIC. ET PHILOS. DOCT.

TRAJECTINAE URBIS SENATORI,

LIBERALIUM ARTIUM SCIENTIARUMQUE PATRONO SUMMO ET CULTORI EXIMIO,

HAS

ARBUTHNOTII

TABULAS,

AD PUBLICE DECLARANDAM VENERATIONEM, IPSIUS MERITIS, VARIAE ERUDITIONI, RERUM PERITIAE, AC SINGULARI ERGA SE BENEVOLENTIAE

DUDUM DEBITAM,

CUM SINCERA GRATI ANIMI TESTIFI-
CATIONE VENERABUNDUS

DEDICAT

HERM. BESSELING.

PRÆ-

PRAEFATIO

AUCTORIS ANGLICI.



Otitiam Valoris Nummorum, Ponderum & Menſurarum, quæ veteribus ex uſu fuerunt, ad intelligendum eorum ſcripta eſſe neceſſariam, unusquisque, ut opinor, concedet facilis. Valor autem Nummorum, Ponderum & Menſurarum cognoſcitur, quando determinata eſt proportio, quam habent ad alias ejusdem generis Quantitates, tales in primis, quarum in Lectoris Patria uſus eſt. Ut Anglicis Lectoribus, hoc reſpectu, opitularer, viginti circiter abhinc annis quasdam edidi Tabulas; quibus jam divenditis, admonitus fui, ſi Typos, una cum quibusdam novis Computationibus, ejusdem argumenti, Filio meo traderem, ipſi inde aliquid lucri redire poſſe. Hoc emolumentum, ingenue confiteor, ſuas contulit partes, in editione hujus Tractatus procuranda.

Priores Tabulae editae fuerunt, priusquam Eru-

* di-

ditus Vir, Dr. *Hooper*, Episcopus de Bath & Wells, suam publice exhibuisset *Inquisitionem Conditionis Mensurarum apud Antiquos usualium:* qui Tractatus, considerata totius schematis uniformitate, accurata Calculorum subductione, conjecturarum subtilitate, Ingenio in comparandis & restituendis antiquorum Scriptorum locis, tum admiranda Doctrina, qua ubique refulget, longe praecellit omnibus, qui unquam hac de materia editi fuerunt. Et revera, scopus si mihi idem solummodo fuisset, qui huic Viro plurimum Reverendo, non sustinuissem plura huc spectantia, in medium proferre.

Quoniam meae Computationes in nulla re insignis momenti differunt a Numeris, quos Vir hic Venerandus Calculo suo subduxit; sufficere credidi, nulla notabiliore in ipsis Tabulis facta mutatione, illas, quae dantur, indicare differentias. Novi Libri, de utilibus qui agunt rebus, si falsa non docent, hoc saltem ad eruditionem conferunt, ut, quasi per accidens, plurimorum manibus dum teruntur, quosdam exstimulent, ut se applicent Studiis rerum, de quibus alias ne cogitassent quidem.

Semper hac opinione fui, ingenuis Adolescentibus,

bus, ea ætate, qua amplius quid confiderant quam meras dictiones antiqui Auctoris, non folum addifcendam effe Chronologiam & Geographiam, ac diftinctam ideam Antiquitatum, ex oculari infpectione Typorum & Figurarum; fed & convenire his, ut fuam in Arithmetica fcientiam exerceant, computando fummas Nummorum, Ponderum & Menfurarum, de quibus in tali Auctore mentio fit, ad fimilares Nativae eorum Regionis Quantitates. Quin affirmare fuftineo, Juvenem quemlibet, hac ratione non informatum, quodammodo deludi.

Excerpta plurima ex Antiquorum fcriptis in fequenti Tractatu reperiet Lector, quorum, abfque hac Notitia, nec vocabula Artis neque Phrafes intelligere poterit. Quodam refpectu neceffarium eft explicare Poëtas, Oratores & Hiftoricos; vocabula autem Artium Mechanicarum, Negotiorum & Mercaturae, ex fua indole obfcuriora, fine hac cognitione intelligi nequeunt. Lectorem, opinor, admonere non opus erit, impoffibile effe, in Opere hujus naturae, evitare minutias, vel conjunctionem Rerum, quae ex indole fua non cohaerent: haec enim huic Operi communia funt cum Lexicis & Libris Antiquitatum.

Errata (quae quam plurima irrepſiſſe ſentio) magna ex parte profluxerunt ex defectu otii. Facile quisquis illa ex principiis & rebus, quae in ipſo Tractatu continentur, corrigere poterit. Supplex igitur vindictam deprecor Criticorum & Antiquariorum, quae, tali occaſione, valde flagrare ſolet. Non Jacto meam ſcientiam, ſive Linguarum, Hiſtoriarum vel Antiquitatum, multo minus exiguam Arithmeticae peritiam, quae ad totam rem perficiendam requiritur; atque, excepto uno problemate circa Uſuram, magna in computando dexteritate non eget. Non dubito, quin horum quilibet, perfectius multo elaboratum dediſſet hoc Opus, quam mihi licuit. Praeterea vix mihi animus me defendendi, otium certe non ſuppetit. Hinc liquido patet, maximam partem eorum, quae illi probare annituntur, a memet ultro concedi in anteceſſum.

Labori magis quam Judicio, hic Tractatus originem debet ſuam; in primis enim conſtat collectis variorum Auctorum ſententiis, quarum plurimas hauſi ex *Hoſti Hiſtoria Rei Nummariæ*. Nullam inde Gloriam aucupor, nec ullam ſpero me inde perditurum.

PRAEFATIO.

IO. FRED. REITZIUS

L. S.



On ego is ſum, cujus commendatione multum ponderis ad alterius opus accedat, aut cujus praeconio alienus labor ad exiſtimationem hominum aliquanto latius dimanet; neque adeo morem geſſiſſem bibliopolae flagitanti ut librum hunc dudum exire geſtientem praefatione inſtruerem, niſi hoc amicitiae doctiſſimi viri juvenis DANIELIS KÖNIGII, immatura morte praerepti, dandum putaſſem; qui, ſi fata ſiviſſent, lectorem ſine prooemio non fuerat dimiſſurus, ſed ut peritus, qualis erat, architectus aedificium ſuum perpulcro exornaturus faſtigio: quique me longe melius rationem ſuſceptae hujus difficilis operae reddidiſſet ipſe, quidve ab ſe hic praeſtitum, additum animadverſumque ſit, adcuratius edocere te potuiſſet. At quando illius nunc partes agere mihi eſt impoſitum, iis ut potero defungar. Quumque ad veram operis cujusquam exiſtimationem haud parum faciat, noſſe qualis ejus fuerit opifex, de eo pauca, & ſine ullo adulationis fuco praemiſiſſe, non erit alienum. Oriundus noſter erat a celebrata inter eruditos *Konigiorum* gente, patria Helvetius, filius SAMUELIS KÖNIGII, apud Bernenſes quondam linguarum Orientalium, dein & Matheſeos ibidem profeſſoris clariſſimi, frater ſummi noſtri amici SAMUELIS KÖNIGII, qui ſereniſſimo Principi Auriaco GULIELMO V. Belgii foederati Gubernatori, a conſiliis & bibliotheca, Philoſophiae Profeſſorem Hagae Comitum etiamnum ſtrenue agit. Ambo hi fratres, relicta propter invidiam civium non-

** nul-

nullorum patria, ante hos *XIII.* circiter annos nostras in terras delati, sedes hic figere stabiles, si meritis fortuna responderet, decrevere: nec spem diu moratus est eventus: Ecce enim, paucis ab adventu mensibus elapsis, quum eodem uterque tempore ad Academiam Petropolitanam invitaretur, natu major SAMUËL mathesi ac philosophiae in academia Franequerana profitendae admovetur: Illuc abeuntem comitatur natu minor DANIEL, annum agens XIX. multarumque notitia linguarum jam satis imbutus, ac praecipue in arithmetices, algebrae ac matheseos scientiis egregie versatus. Ibi se ad clariss. virum FRED. WINTERUM, serenissimi principis Auriaci Archiatrum ac medicinae apud Franequeranos tum professorem (nunc Leidae ab anno 1747. iisdem honoribus conspicuum, gnaviterque fungentem) adplicat, totumque arti medicae addiscendae tradit, nobili Majorum aemulatione stimulatus, quorum in gente a ducentis retro annis clari semper hac arte eminuere viri, inque ea tantos, ea erat ingenii docilitate, brevi spatio fecit progressus, ut biennio post medicinae Doctorum albo, plaudentibus cunctis, non solum adscriberetur; sed & anno insequente praeficeretur nosocomio militari, Rotterodami, dum bellum flagraret, instituto. At, vix paucis mensibus ibi exactis, febre correptus ardente, undecimo ab illa die, medio in aetatis flore (vix enim annum attigerat XXII.) exstinctus est, anno MDCCXLVII. lugentibus omnibus bonis, in quorum se mira morum suavitate amicitiam insinuaverat, sibique persuadentibus, tanti caussam mali altius derivandam a fatali & inaudito quodam casu, qui eum aliquot mensibus ante adflixerat, & in gravem terrorem ac moestitiam conjecerat, indignis modis a tumultuante plebe Franequerana, quasi pro exploratore, tractatum, quod Gallica lingua plurimum uteretur, aegreque a Senatu illius Academiae, cujus civis erat, servatum, perque

plu-

plures dies dura custodia detentum, & ab iis etiam meticulose desertum, a quibus certum innocentiae praesidium speraverat; quamvis enim, innocentia plene probata, dimitteretur, & a celsissimo principe Auriaco, in solatium toleratae injuriae, praefectura illa nosocomii medica donaretur; diutius tamen inhaerebant praecordiis infixi doloris aculei, quam ut evelli tam subito se paterentur, adeo ut ex eo tempore valetudine minus prospera uteretur. Moriens has *Arbuthnotii* tabulas & explicationes Latinitate donatas reliquerat, omniaque propemodum, ipso vivente, typis jam erant exarata, quum inopina ipsius morte prelo quies indiceretur, ac jaceret interruptum opus per octo admodum annos; donec fratrem ejusdem, moerore prius, dein aliis curis negotiisque impeditum, interituri hujus fraterni monumenti misereresceret, ac transmissis, quae apud ipsum resederant, ultimis ejus paginis, bibliopolae facultatem ad absolvendum & emittendum opus suppeditaret, mihi vero concinnandam, si vellem, praefationem relinqueret. Quid igitur de hac praestantissimi defuncti opera sperari queat, facile quidem conjicere licebit, cum ex linguarum ac scientiarum, quibus instructus rem adgressus est, peritia, tum ex ingenii, quo praeditus fuit, facultatibus eximiis: Erat enim, quod mirere, in eo, praeter celeritatem ingenii, summa laboris patientia ac diligentia ad hujusmodi opus pernecessaria, quas dotes benigna natura raro ita consociavit, ut lenta ac profunda meditatio, & adripiendi scribendive celeritas in eundem cadat hominem, nedum in juvenem. Non autem satis habuisse videtur fidi ad verbum interpretis vice fungi, sed & animadversiones, ubi aberasse auctorem suum sentiebat; illustrationes, ubi obscurior videbatur, subjunxit; quas licet, modestiae forsan caussa, nulla nominis sui adpicta nota, ab Anglicis distinxerit, lector tamen paullo diligentior plerasque haud aegre dignoscere poterit.

TABELLA PECUNIAE ANGLICAE

In computo uſitatae.

l. ſignificat *libram ſterlingiam.*
ſ. nota eſt *ſchillingii.*
d. in hoc opere notat *denier.*
p. *penny.* in plurali *pence.*
f. vel *farth.* ſignif. *farthing.*
q. *quarter.*
Librae vero *ſterlingiae* pretium medium aeſtimari ſolet undecim florenis Belgicis; nam pro ratione collybi aliquantum creſcit vel decreſcit. Continetque ſemper haec libra Anglicos ſchillingios viginti.
Schillingius itaque pars eſt vigeſima librae, qui dividitur in duodecim *pence*, atque aeſtimatur undecim ſtuveris Belgicis: ejusque dimidium vulgo vocatur *a ſix pence.*
Denier idem quod *penny*, pars duodecima ſchillingii.
Penny autem ſive *denier* vulgo aeſtimatur aequalis noſtro ſtuvero; licet re vera noſter illum ſuperet parte duodecima, ita ut Anglicus *penny* valeat $7\frac{1}{3}$ noſtrorum chalcorum.
Farthing pars hujus *penny* quarta, vulgo aeſtimatur duobus noſtris chalcis, licet pauxillo minus efficiat, quod in ſingulis tamen parvi admodum eſt momenti, quum ſummae majores per hos nummos minores exprimi non ſoleant.
Quarter, menſurae, horae, nummive cujus mentio praemittitur, pars quarta.

Nummus vero aureus *guiny* dictus, vel *guinea*, ſchillingiorum eſt 21. apud Belgas valet undecim floren. cum undecim ſtuveris.
a Crown, i. e. *coronatus*, nummus argenteus quinque ſchillingiorum Anglicorum. apud nos permutatur florenis duobus ac ſexdecim ſtuveris.
Half a Crown, coronatus dimidius, 1. flor. cum 8. ſtuv.

CONTENTA.

DISSERTATIO, continens Principia & Auctoritates, quibus Tabulae innituntur.

*** De

C O N T E N T A.

CAP.

CONTENTA.

Monitum ad Lectorem.

Quum in Anglici exemplaris tabulis errores etiam nonnullos deprehenderem, eas ad calculum revocandas & corrigendas curavi, ita ut hae ipſo autographo emendatiores nunc prodeant.

Erinnering aan den BOEKBINDER.

Hy gelieve het wit aan de Tafels te laten, en ze allen achter het werk te plaatſen, van 1. tot 18.

DIS-



DISSERTATIO

CONTINENS

Principia & Auctoritates, quibus Tabulæ innituntur.

CAPUT I.

De Antiquitate Monetæ & ejus Inventoribus.



Monetæ, seu signati Metalli in commerciis usus, remotissimæ antiquitatis est, eiusque primus Inventor, communi fere omnium artium fato, vix detegi posse videtur.

Cum vero plerisque hujus argumenti scriptoribus solemne sit, ut à seculis quam remotissimis orationem ordiantur, id quoque Lector monendus videtur, *Cainum Adami* primogenitum, à quibusdam Hebræis Scriptoribus inventorem Monetæ haberi. *Josephus* auctor est,[a] primum inter mortales *Cainum* pecuniosum fuisse, asseclas ad rapinam & luxum invitasse, tranquillitatemque publicam, ponderum mensurarumque inventione turbasse [χρήματα enim possessiones quaslibet, perinde ac nummariam rem auctori designant]. Si argumentis à *posteriori*, hoc in casu, locus esset, libenter *Caino* inventionis gloriam tribuerem; profecto, si in vitam rediret, mirum in modum delectaretur, cum videret, quantum mali hoc suo commento humano generi importaverit. Qui ab eodem recta linea descendit, ejusque cognominis,

[a] Αὔξων δὲ τὸν οἶκον πλήθει χρημάτων ἐξ ἁρπαγῆς καὶ βίας, πρὸς ἡδονὴν καὶ λῃστείαν τοὺς ἐντυγχάνοντας παρακαλῶν, διδάσκαλος αὐτοῖς πονηρῶν ὑπῆρχεν ἐπιτηδευμάτων, καὶ τὴν ἀπραγμοσύνην μὲν, ᾗ πρότερον συνέζων οἱ ἄνθρωποι, μέτρων ἐπινοίᾳ καὶ σταθμῶν μετεστήσατο. Josephus L. I. ἀρχαιολ.

nis, *Tubal-Cain* hanc artem, ut probabile est, à parente hausit; *praeclarum enim Malleatorem & Fabrum*[b] *in omnibus operibus Æris & Ferri, eum fuisse accepimus.*

Eandem artem *Noachum* sive *Janum* [c] calluisse, vultu ejus primis *Romanorum* nummis impresso, non male probari posse videtur; altera facies *Jano bifronte*, altera *Rostro navali* signata erat. Argumentum, quo vix Antiquarius validius desiderabit! Idem *Iliad.* 5. *Homeri* interpres confirmat, Coronæ, Navis, & Monetæ aereæ inventionem *Jano* tribuens.

Abrahami [d] temporibus pecuniam circumforaneam, aut ut nunc loquimur, *Currentem* fuisse, dubio vacat: licet non constet, signatane an rudis fuerit? Valde enim dives *pecoris*, *auri*, & *argenti* dicitur. *Abimelechus* [e] *Abrahamo*, tanquam *Saræ* fratri, 1000 *Keseph* sive nummos argenteos dedit; *Josephus* [f] à fratribus 20 nummis venditus fuit, ipseque [g] postea 300 *Benjamino* fratri dedit.

Scriptores profani *Phidonem* [h] quendam *Argivum* origine sive *Græcum* nummos primum signasse referunt. Sed potiori jure *Lydiis* inventionem [i] *Herodotus* adscribit. *Athenienses* & *Lycios* cuidam *Erichthonio* inventum debere *Pollux* [k] auctor est. Alii *Naxiorum* id, alii *Phoenicum*, alii *Ioni* cujusdam *Thessali* commentum prædicant; ut ex quibusdam *Lucani* [l] versibus apparet: diversusque ab illis *Coelius* [m] *Hermodice* cuidam, *Midæ*, *Phrygiae* regis conjugi favet. [n] Apud *Romanos* vel *Numae* vel *Servio Tullio* haec laus concedenda. *Plinius* illam *Servio Tullio* tribuit, qui primus aes signavit, quod rude antea Romani adhibuerant. Obvia sane inventio videtur, publica signatura populum appendendi & explorandi molestia liberare. Signatum fuit argentum [o] *A. V.* CCCCLXXXV, aurum [p] annis LXXII. post. Contra *Suidas* auctor est, [q] *Numam*, secundum Regem, primum aereos & ferreos nummos *Romanis* dedisse, cum antea testaceis scorteisque usi fuissent; hincque *Nummea* esse ab inventore dicta. Tantum de origine Monetæ; rei maximae opportunitatis in commerciis negotiisque humanis: num autem maximae ejus utilitates nata inde scelera compensent, ego non definiverim.

CA-

b Genes. c. 4. *Σφυροκόπος χαλκεὺς χαλκοῦ καὶ σιδήρου.* LXX. Interp: Malleator & Faber in cuncta opera Æris & Ferri. c Plin. l. 33. c. 3. In una quidem parte Ianus geminus seu bifrons, ex altera vero rostrum navis fuit. d Genes. c. 13. ℣. 2. e Genes. c. 20. f Genes. c. 37. g Genes. 45. h Strabo. l. 8. i Herodot. l. 1. *πρῶτοι δὲ τῶν ἀνθρώπων, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, νόμισμα χρυσοῦ καὶ ἀργύρου κοψάμενοι ἐχρήσαντο.* k Jul. Pollux. l. 9. l Primus Thessaliae rector telluris Ionus.
In formam calidae percussit pondera massae:
Fudit & argentum flammis, aurumque moneta
Fregit, & immensis coxit fornacibus æra.
Illic quod populos scelerata impegit in arma,
Divitias numerare datum est. ———
m Caelius Lib. 21. Antiq. lect. n Plin. l. 33. c. 3. Servius Rex primus signavit Æs: antea rudi usos Romae Timaeus tradit. Signatum est nota pecudum, unde & pecunia appellata. o Ibid. Argentum signatum est anno Urbis CCCCLXXXV. Q. Fabio Consule, quinque annis ante primum bellum Punicum. p Ibid. Aureus nummus post annum LXXII. percussus est, quam argenteus. q Suidas in voce *ἀσσάρια*.



CAPUT II.

De Metallis, & reliqua Nummorum communi Materia, eorumque vulgaribus Typis.

Nummos triplici plerumque materia cuderunt *Romani*, *Graeci* & *Hebraei*, Aere, Argento & Auro. Graece, χαλκὸς, ἄργυρος, χρυσὸς, Hebraice, *Nahus*, *Keseph*, *Zahaw*.

Quoniam *Æreum* initio *Romani* nummum habuerunt, inde pecuniam in genere *Æris* nomine appellaverunt, unde plurimae sermonis Latini phrases manarunt. Sic *Ære mutare*, [a] pro emere aut vendere, *Æs alienum* pro debito, *Æs suum*, pro eo quod nobis debetur; *Æs circumforaneum* apud *Ciceronem*, pecuniam foeneratitiam significat; *Ærarium*, pro loco ubi pecunia publica asservatur; *Ærarii*, Ministri rei Monetariae; *Ærarii milites*, iidem qui stipendiarii [b]; *Æruscare*, *Æruscatores*, qui turpi ratione pecuniam colligebant. [c] *Adaerare*, rei pretium constituere; [d] *Obaeratus*, aere alieno oppressus.

Eodem modo *Argentum*, rarius licet, quamlibet pecuniae summam denotabat. *Argenti sitis & fames*; *Argentum consumere*; [e] *Argentum Locare foenori*; *Argento aliquem circumvenire*; *Argentariam facere*, pro foeneratorem esse; *Argentariam dissolvere*, pro foro cedere; [f] *Argentum praesentarium*, pro pecunia parata vel praesente.

Auri haud dissimilis ratio; [g] *Auri sacra fames*: *Vendidit hic Auro patriam.* Nostri homines rarius *Argenti*, plurimum *Auri* vocabulo, ad summas quascumque exprimendas utuntur.

[h] Neque minus late χαλκῦ, & χαλκὸς significatio apud *Graecos* patuit. Pecunia destitutum ἄχαλκον vocabant, ab ἀχάλκειν, *Æris inopia laborare.* [i] χαλκίζειν, *nummis par & impar ludere*; & *Scortum* [k] χαλκιδῖτιν dicebant.

Similiter laxiore sensu Ἀργύριον accipiebant. Scribit enim *Pollux*, [l] τὸ δὲ ἀργύριον καλεῖται χρήματα καὶ νομίσματα, i. e. possessiones quaecumque, & res nummaria, ambae ἀργυρίου nomine veniunt. Corradere pecuniam, ἀργυρολογεῖν; & tributorum Coactorem, [m] Ἀργυρολόγον &c.

Eundem sensum voci χρυσὸς tribuebant; hinc pauper, sive pecunia destitutus, [n] ἄχρυσος audit.

Na-

[a] Plin. & Columella. [b] Festus Pompejus. [c] In Cod. l. 12. [d] Livius & Cæsar. [e] Cicero in Verrem. [f] Plautus. [g] Virgilius. [h] Hesychius in voce χαλκὸς. τῦτο ἐπὶ τῦ χρυσῦ καὶ ἀργυρίου λέγεται. [i] Pollux. [k] Josephus. [l] Pollux. l. 3. [m] Thucyd. Hist. 4. 75. (Ed. Amst. 1731.) [n] Plato l. 3. de Legibus.

Nabus, *Keseph* & *Zabaw*, pecuniam quoque quamcumque *Hebraeis* designant; observandum solummodo, quod *Keseph* numero junctum, significet determinati valoris nummum. Cuius innumera exempla in S. Scriptura prostant. Linguae *Hebraeae* periti asseverant, plurimis illam gaudere vocabulis, quibus *Aurum* denotatur.

Æs, Aurum & Argentum ordinaria nummorum materia fuit. A barbaris tamen gentibus, ac rebus temporibusque angustis aliae fuerunt adhibitae, ut plumbum, stannum, ferrum, corium, testae, immo lignum arborumque subinde cortices, quae suis singula testimoniis possent adstrui, si in tractatione de Nummo id alicujus momenti esset.

Nummum à *Numa* Rege dictum quosdam voluisse, supra innuimus, licet eamdem vocem & *Graeci* usurpaverint.

Moneta (unde Anglicum *Money*) à *Moneo* descendit; admonet enim de pretio, valore, pondere &c.

A pecudis nota, *Pecunia* nomen traxit; haec primum à *Servio Tullio* signata fuit. Hinc publicum furtum *Peculatus*; *Peculium* quasi pusilla pecunia; hinc porro, *Pecuniam exercere*, pro ejus usum facere; *Otiosa pecunia* ἀεργὸν χρῆμα, juxta Demosthenem, pro pecunia mortua, ex qua foenus non redit. *Pecuniam* alii à *pecudum corio* [o] prima nummi materia, adpellatam esse contendunt.

Nummos *Graecia* a multiplici utilitate χρήματα dixit, cum κέρμα vel κέρματα denotent minores nummulos, quasi commodos qui commutentur pro majoribus.

Non opus est hic multa disserere de commoditate pecuniae in negotiationibus, & mercaturis, primarius ejus usus est, quod hac ratione molestia levemur, majoris molis merces permutandi.

Homeri temporibus & ope pecuniae, & permutationibus commercia fiebant. An aurea *Glauci*, [p] & aerea *Tydidis* arma vendita invicem dici debeant, an permutata? inclyta inter Juris Consultos lis est.

Recensendis nummorum diversis nominibus, Lectoris tempora morari nolo, pro diversitate ponderis, valoris, formae, locorum, temporum, Gentium Principumve libidine, variataque occasione, variis.

Majoris utilitatis erit, proferre quasdam ex usitatioribus figuris seu typis, quibus diversae gentes suos nummos signarunt.

Aetoli [q] *Herculem* suis nummis impresserunt, cornu *Acheloo* clava confringentem.

Alexander, equum *Bucephalum*, aut suam effigiem in solio seden-

[o] Isidor. Etymol. l. 16. c. 17. [p] Homer. Iliad. 7. [q] Hostus Rei Numm. Vet. p. 60.

dentem, cum ave in manu, ſive alata Victoria.

Archivi [r], *lupum* vel [s] *murem.*

Aspendii, *Palaestritas.*

Aſia, puerum *Delphino* vectum.

Athenienſes, noctuam cum *Palladis* effigie, item *bovem.*

Caeſar Augustus, ſidus *Capricorni*, quo natus erat; æreis autem nummis *Ciceronis* imaginem impreſſit.

Boeotii, *Muscam* alatam, cum *Cervo*: & cantharum *Bacchi* cum racemo.

Brutus, ſuam effigiem, ex altera parte *pileum*, cum duobus pugionibus.

Byzantini, Delphinum *Tridenti* circumvolutum.

Cephalenii, [t] *Equum.*

Chii, *Harpyam*; item *Homerum.*

Corcyraei, *Triremem* remis impulſam.

Corinthii, *Pegaſum*, inſidente *Neptuno*, manu Tridentem gerente.

Crotoniatae, *Tripodem delphicam.*

Cyrenaei, *Ammonem*, altera facie *Silphium*, ex cuius ſucco *Aſſa foetida* conficitur; unde *Succus Cyrenaicus* audit.

Cyziceni, *Leonem.*

Dardanii, duos *Gallos* pugnantes.

Demetrius, *Neptunum reducem.*

Dymaei, *Capram* proterentem ranam.

Eretrienſes, *Dianam.*

Hadrianus Imperator, *Iuſtitiam ſedentem.*

Hebraei, in ſuo *Siclo*, *Virgam Aaronis* in flores ſe induentem, cum *thuribulo fumante.*

Hiſtiaei, *Neptunum ceto* vectum.

Jaſenſes, [u] puerum *Delphino* inſidentem.

Itali, *Janum bifrontem*, item *Navem*, item *Bovem & Ovem.*

Leucadii, *Navem.*

Livia, *Cererem Legiferam.*

Locrorum alii *Stellam*, alii *Cicadam*, alii *Pugilem.*

Lycii, *Leonem* cui capra inſidet.

Macedones, *clavam Herculis*, & *cornua hircina.*

Mytilenaei, *Sapphus*, ſuae civis imaginem.

Metapontini, *Cererem* cum *Arista.*

Naxii, *Bacchum* barbatum, & *Satyrum* cum cyatho.

Parii, in ſuis *Drachmis Aratum.*

Per-

[r] Interpres Sophoclis. [s] Julius Pollux. [t] Pollux. [u] Plutarchus.

Persae, [x] *Sagittarium*.

Peloponnesii, [y] *Testudinem*.

Philippus Macedo, *Bigas* aut *suam effigiem:* facie aversa, semet ipsum solio insidentem, cum ave in manu: Quod insigne filius *Alexander* imitatus est.

Phocenses, *Aquilam cum Tripode*.

Pyrrhus, *Palladem hastatam* in solio.

Regini, *Leporem* & *Currum*.

Samii, *Pavonem*.

Seleucus [z] *Nicator*, *Anchoram*.

Tarentini, suum conditorem *Delphino* vectum.

Tenedii, [a] *Bipennem*, cum viri & feminae capitibus, invicem aversis, Symbolum poenae adulterii.

Thasii, *Perseum* ; in suis *Tetradrachmis Herculem* servatorem, & *Bacchum* coronatum.

Thebani, *Bipennem Herculis*.

Thessali, *Equum*.

Trachinii, *Herculem* sedentem.

Troezenii, *Tridentem*, in facie versa *Minervam*.

Trojani, *Trojam* i. e. Scrofam.

Vespasianus, *Delphinum* & *Anchoram*.

Romani, effigies plerumque suorum Principum.

Dantur praeter hos complures alii Typi: Vid. *Camerarii historiam Rei Nummariae*.

Nummorum vulgo usitatorum *pondera* atque *valores*, sequentes hujus operis partes Lectori exhibebunt.

Paucos quoque Librales, aureos aeque ac argenteos, percussos accepimus, ex quorum genere illi praesertim sunt, quos *Constantinus* Imperator *Chilperico*, *Francorum* Regi, dono dedit. Horum solum quindecim fuerunt, [b] cum hac inscriptione una parte, TIBERII CONSTANTINI SEMPER AUGUSTI, altera, GLORIA ROMANORUM.

Aureos nonnullos Bilibres *Heliogabalus* cudit, quos successor *Alexander Severus* conflandos confestim curavit.

Justum in cudendis nummis pondus, debitamque puritatem, qualem nummaria Lex requirit, aeque curiose * Veteres, ac Recentiores tenuerunt;

x Plutarch. in Laconicis. Hesych. z Nic. Leonicus Lib. 2. cap. 20. de varia historia. a Stephanus de Urbibus. b Georg. Agricola.

* Veteres & praecipue Romanos, rem nummariam quovis tempore curae cordique habuisse, facis intelligere licet ex iis, quae *Cicero*, ea de re habet Lib. III. de Legib. Hic Leges non nullas XII. Tabularum adducit, veluti hanc, CENSORES PECUNIAS CENSENTO. Postea III. Viros Monetales creatos fuisse homo non novit. Hanc Pe-

runt; solummodo temporibus *Augusti*, aliquid & ponderi & puritati detractum fuit; quod plurimae gentes, eodem exemplo, factitaverunt: Sed de his plura in sequentibus. Haec solum *Nostram* inter & *Romanorum* nummi Spectationem intercedit differentia; penes illos *Spectationis* officium [c] minoribus Magistratibus demandatum fuit, neque publicam *Pyxidis* † probationem illos habuisse reperio, quam solemnem nos habemus.

Etsi de Pecuniae adulteratoribus aliter aliae gentes caverint, severe tamen in eos ab omnibus animadversum est. *Diogenes* quidam *Sinopaeus* [d] exilio solum poenas dedit. [e] *AEgyptii* manum utramque praecidebant. Lege civili [f] ad bestias mittebantur, fundamento ex *Lege Cornelia* petito; qua pecuniae vitiator, criminisque celator falsi aeque tenebantur. Eadem cavebat ne Nummos quis vel stanneos, vel plumbeos emeret. In crimine falsificatae Monetae alia Lex [g] servis potestatem faciebat dominos Magistratui deferendi; in cujus officii remunerationem Civitate *Romana* publico impendio donabantur; quod quidem ita interpretandum nobis videtur, si praeter dominum, alii quoque servus ministraverit. Ut omnis monetae adulteratio capitalis esset, & universa adulterantis bona fisco cederent *Tacitus Caesar* [h] cavit; immo (ut apud nos in more positum) *Caesar Constantinus* adulterantem Majestatis reum sanxit.

Nummorum adulterinorum *Georgius Agricola* [i] species septem recenset; propter prolixitatem hic non commemorandas.

Pecuniae *Spectationem* Populo *Romano* gratissimam fuisse abunde ex iis apparet, quae idem Cicero Lib. 3. de Officiis, & Plinius Lib. 33. Cap. 10. scripsere. Hujus verba retulisse sufficiat. *Igitur Ars facta denarios probare, tam jucunda Lege Plebi, ut* MARIO GRATIDIANO *vicatim totas statuas dicarit.* Marius enim jactatam antea nummariam rem constituerat. [c] Cicero Lib. 3. de Legib.

† *Pyxidas*, Monetarii vocant *Capsulas*, in quibus specimina numismatum, cujusque officinae conduntur; omnes nummi, qui cuduntur, cum speciminibus illis a Magistratibus conferuntur; quos si deterioris notae reperiunt, quod ad debitam puritatem deest, à Monetae praefecto resarcitur.

[d] Diogen. Laert. Lib. 6. [e] Diodor. Sicul. lib. 2. [f] Ulpian. quicunque. ff. ad Legem Cornel. de falsis. [g] Leg. 153. ff. ubi quis agere. &c. [h] Flav. Vopiscus in ejus Vita. [i] Georg. Agricola fine lib. 1. de Pretio metallorum.



CA-



CAPUT III.

DE NUMMIS ROMANORUM.

De ASSE *seu* ÆRE.

Nummariam rem Romani per *AEs*, *Asses*, *Sestertios*, seu *Nummos*, *Denarios*, *Solidos* vel *Aureos*, *Pondo* seu *Libram* conficiebant.

[a] *AEs*, *AEris* non pecuniam solum in genere, sed peculiarem quoque nummum denotabat.

Mentio etiam fit *AEris gravis*, quo appenso, non numerato, debita dissolvebantur.

Pro *AEreis Nummis* seu *Assibus*, saepius *Romani* Genitivo ÆRIS usi sunt in modum Adjectivi; *Mille AEris*, & *Mille Asses* idem designant; cujus innumera exempla prostant.

As initio *Libralis* [b] fuit; & licet pondus sequioribus temporibus imminutum fuisset, nomen tamen *Libellae* semper retinuit. Sic *Dupondius* duos *Asses* denotabat. Juris studiosos primi anni, *Dupondios* vocari vetuit *Justinianus* Imperator, nomine, ut videtur, per contemptum indito; signabantur autem initio *Jano gemino* una facie, versa autem, *Rostro Navali* [b]

Non nummo soli, sed *Toti* cuilibet, *Assis* appellationem *Romani* adplicuerunt, quae est nostri *Ace* vel *Unit* origo. Sic *As* totam hereditatem designabat, *Heres* ex *Asse*, heres omnium bonorum. Eodem modo *Jugerum*, quando computabatur, *integrum*, quemadmodum *As*, in partes 12 dividebatur; ratione in Tabulis exposita.

Quadrantis & *Teruncii*, ut nummorum, plurima fit mentio. *Quadrantem*, *Plinius* [b] *Triuncium* vocat. Utroque minimi nummi denotantur, differuntque in eo solum, quod quarta *Assis Libralis* pars, *Quadrans*, quarta autem *Libellae*, seu imminuti *Assis*, *Teruncius* audiat. *Quadrantariae* convicio, durius feminae nullum fuit, alluditque ad illud *Cicero* [c], in sua pro *M. Coelio* oratione. Eodem nomine *Clytemnestram Caecilius* poeta compellavit; *Petronio* scortum *Quadrantilla* dicitur.

Tria-

[a] Liv. IV. in fine. Et quia nondum argentum signatum erat, grave Æs plaustris quidem in Ærarium convehentes, speciosam collationem faciebant. [b] Plin. L. 33. c. 3. [c] Cic. in Orat. pro M. Coelio. Nisi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta est balneatori.

[d] *Trientem* ſeu tertiam *Aſſis* partem nummulum fuiſſe, ridicula illa *Plinii* fabula demonſtrat. *Serviliorum* familia aereum Trientem, auro & argento feſtis diebus paſcebat, (alimento nummo accommodatiſſimo), & prouti creſcebat vel decreſcebat, ita de honore familiae, aut deminutione augurabantur. Hanc fabulam, ipſis *Meſſalae* veteris ſervi verbis, ſe commemorare, *Plinius* ait.

Aſſis [e] pondus gradatim deminutum fuit: primo *Punico* bello (ut fuſe Plinius) à Librali, ad Sextantarium eſt reductum, poſtea *Hannibale Italiam* urgente, *Aſſes Vnciales* & Lege denique Papiriana, *Semunciales* facti. Has converſiones publicae quidem rei inopia imperavit; nullus tamen dubito, quin maior Argenti & Auri copia (ſi adfuiſſet) idem praeſtitura, & tantae molis aereum nummum in deſuetudinem deductura fuiſſet.

As apud *Latinos* in *Senſu diminutivo* adhibebatur, cum de aeſtimatione aliqua ſermo eſſet; *non Aſſis facere, ad Aſſem omnia perdere.*

Ab *Aſſe* ſunt *Treſſis*, *Quadreſſis*, *Nonuſſis*, *Decuſſis*, *Vigeſſis*, Sunt quoque qui vocem *Aſſiduus* inde deducunt, dictam quaſi *Aſſi ſtudens.*

De Sestertio.

Sestertius vocatur, quaſi *Semistertius*, Graeca figura, nam ἕβδομον ἡμιτάλαντον (proprie ſeptimum ſemi-Talentum) *Voluſius Maetianus* [a] ſex Talenta cum dimidio denotare facit. Sic *Seſtertius*, duos Aſſes cum ſemiſſe continens à *Semiſtertio* dictus eſt. Teſtis eſt *Varro* [b], item *Vitruvius* [c] qui ſcribit, *Etiam quartam Denarii partem,*

d Plin. l. 34. c. 13. Unum etiamnum Æris miraculum non omittemus: Servilii familia illuſtris in Faſtis Trientem aereum paſcit auro & argento, conſumentem utrumque; origo atque natura incomperta eſt mihi, verba ea ipſa de re Meſſallae ſervi ponam. Serviliorum familia habet trientem ſacrum, cui ſumma cum cura & magnificentia ſacra quotannis faciunt, quem ferunt alias creviſſe alias decreviſſe videri, & ex eo aut honorem aut diminutionem familiae ſignificari. e Plin. l. 33. c. 3. Et placuit Denarium pro decem libris Æris, Quinarium pro quinque, Seſtertium pro dupondio ac ſemiſſe. Librale autem pondus Æris imminutum bello Punico primo, cum impenſis Reſpublica non ſufficeret, conſtitutumque ut Aſſes ſextantario pondere ferirentur. Itaque quinque partes factae lucri, diſſolutumque Æs alienum. —— Poſtea Hannibale Italiam urgente, Q. Fabio Maximo dictatore, Aſſes unciales facti: placuitque Denarium ſedecim Aſſibus permutari, Quinarium octonis, Seſtertium quaternis. Ita Reſpublica dimidium lucrata eſt. —— Mox lege Papiriana ſemiunciales Aſſes facti. Livius Druſus in Tribunatu plebis octavam partem aeris argento miſcuit.

a Voluſ. Maetianus libro de ponderibus
b Varro l. 4. de lingua latina c Vitruv. l. 3. c. 1.

tem, quod efficiebatur ex duobus Assibus & tertio semisse Sestertium vocitaverunt. His *Priscianus* [d] accedit. *Sestertius* argenteus semper, aereus nunquam fuit, valuitque *Denarii quadrantem* testibus *Festo Pompeio*, *Vitruvio* loco citato, aliisque compluribus. *Cicero* in *Verrem* [e] de pretio tritici agens, Denarios ternos Sestertiis duodenis aequat

De Nummo.

Cum NUMMI mentio fit, tanquam singuli Numismatis, seu specificae partis Monetae, idem est quod Sestertius. Cicero in [f] Verrina: *Cogit Scandilium quinque illa millia nummum dare Apronio*, mox subjungit, *Cogit Scandilium Apronio H. S. quinque millia mercedis nomine ac praemii dare.* Ex quo apparet, 5000 *Nummos* pro 5000 *H. S*, seu *Sestertiis* a Cicerone poni. Eodem modo lucrum e saginatu pavonum rediens *Plinius* [g] 60000 Sestertiis complectitur, quod 60000 Nummis *Varro* [h] expresserat.

Haud raro apud Auctores *Nummus* & *Sestertius* conjunguntur, & tunc junctarum vocum idem sensus est, qui separatarum fuerat. Planum id est ex Columella [i], Valerio Maximo [k], aliisque. Sic *Mille Sestertii*, *Mille Nummi*, *Mille Sestertii Nummi*, nec non *Mille Nummum*, *Mille Sestertium Nummum*, eandem prorsus summam denotant.

Graeci eidem suppositioni innituntur; *Denarius*, *Drachmae* aequalis ponitur. *Plutarchus in Sylla* perhibet, 1000 *Nummos* aequivalere 250 *Drachmis*; consequenter una *Drachma* quaternos *Nummos* aequat. Nummum *Aristoteles* [l] 3 *semiobolos*, seu Drachmae quadrantem continere scribit. *Caesarem* singulis civibus 75 *Drachmas Atticas* testamento reliquisse *Plutarchus* [m] memoriae mandavit; *Suetonius* [n] contra, eum singulis 300 Nummos legasse.

Sestertium in neutro genere Mille Sestertium Nummorum summam significat. Sintne voces hae diversae an eaedem, acriter inter-

Eru-

d Sestertius olim Dupondius & semis, id est duae librae & semis, quasi semistertius &c. —— Dupondius enim & semis antiquus Sestertius est. Priscianus lib. de ponderibus. e Cicero in Verrina frumentaria & Divinatione. f Cicero in 4. Verrina. g Plin. lib. 10. c. 20. h Varro l. 3. de re rustica. i Columella l. 1. c. 4. k Valer. Maximus l. 5. c. 2. Excquiarum apparatus Sestertio Nummo addicere. l. Aristot. apud Polluc. l. 9. δύναται δὲ ὁ νῦμμος τρία ἡμιωβόλια. m Plutarchus in Bruto & Antonio. n Sueton. in Caesare c. 83.

Eruditos disputatur. Sunt quibus placet, quod, quemadmodum *Sestertius* Libras duas & semis gravis Æris denotat, ita *Sestertium* duas Argenti Libras & semis indicare; quae sententia omni fundamento destitutum figmentum videtur. Et omnino *Gronovius* ° rem acu tetigit, qui *Sestertiûm* in *genitivo* accipit, & quando dicunt *Mille Sestertiûm*, substantivum *Corpora* subintelligit. Enim vero quaecunque demum phrasiologiae hujus Grammatica ratio sit, certum manet *Sestertium* in neutro genere *Mille Sestertios Nummos* designare. *Sestertium Nummum* his notis indicant IIS. LLS. HS. H-S. qui characteres asses 2½ exprimunt. *Millenarium Sestertium* probatis codicibus transversa superius linea hoc modo $\overline{\text{HS}}$ indicari, auctor est *Budaeus*.

Tenendum itaque quod unam eandemque summam designent,

Mille Sestertii
Mille Nummi
Mille H. S
$\overline{HS}$
Mille Sestertium
Mille Nummorum
Mille Sestertii Nummi
Mille HS. Nummûm
Æris 2500
Denarii 250
Drachmae 250

conficientem juxta Tabulas l. 8 f. 1. d. 5½.

Praeterea in summis ultra *Mille*, nunc vocis *Sestertium* aut ejus *Notae*, nunc vocis *Mille* gemina *Ellipsis* attendenda venit. In primo alterove † adscriptorum infra Epigrammatum HS sive *Ster-*

° Auctoris venia dictum sit, verum mihi hoc loco hallucinari, aut memoria lapsus videtur. Ipse in capite de Pondo Romano Argenti libram (libram nempe illam nummariam; non ponderalem) 100 Denariis seu 400 Sestertiis aestimat. Duae itaque librae & semis facient 1000 Sestertios Nummos, seu unum Sestertium. Adsunt praeterea hujus sententiae gravissimi patroni Budaeus & ipse Gronovius, qui ultimus contra Agricolam, Hotomannum &c. Sestertio in neutro genere binas argenti libras & semis invincibilibus argumentis vindicat. vd. Fr. Gronov. de Sestert. l. 1. c. 4. & l. 2. c. 1.

† Pauca Jovem nuper cum millia forte rogarem. Mart. l. 6.
Quid promittebas mihi millia? Gaure ducenta
Si dare non poteras millia Gaure decem.

Septingenta Tito debet Lupus ——
Quadringenta tibi non sunt, Chaerestrate
Surge. ——

tertium, in reliquis *Millia* subintelliguntur. Alia gemina Ellipsis occurrit; sc. quum adhibent *Adverbia numeralia*, omittunt *centena Millia*. Sic cum Cicero in *Verrina* III, HS. *bis & tricies in singulos annos Verri decernebatur quod aratoribus solveret*: subintelliguntur *centena Millia*; adeoque summa Cyphris exponenda per *Nummos Sestertios* 3200000, seu *Sestertia* 3200, *Sestertio* aequante 1000 *Nummos Sestertios*. Atque hoc quidem satis dilucide Tabulis declaratur. Summam *Sestertiis Nummis* expressurus illud *Decies* multiplicare debet per 100000, quoniam utrumque & *centum* & *Mille* subintelliguntur: eandem autem per *Sestertia* elaturus, quoniam vox *centum* subintelligitur, per 100 solum illam multiplicabit. Hac ratione *Decies* HS. 1000000 *Nummos Sestertios*, aut 1000 *Sestertia* aeque interpretari licet. Hinc *Decies centena Millia* HS. (δέκας apud *Plutarchum* in *Antonio*), *Æris Vicies quinquies*, *Denariorum* 250000, *Drachmarum* 250000, eandem variis scriptoribus summam designant, viz. 8072 l. 18 s. 4 d. sed

Mille Sestertii
Mille Sestertia
Millies HS *Sestertium*,

insigniter inter se differunt.

Mille Sestertii nonnisi 1000 *Nummos Sestertios* faciunt, moneta Anglica 8 l. 1 s. 5½ d. seu unum *Sestertium*.

Mille Sestertia est eadem summa 1000ies repetita, faciuntque 8072 l. 18 s. 4 d.

Ast *Millies* HS est eadem summa 100000ies repetita, viz. 807291 l. 13 s. 4 d.

Quando numeri transversa linea superius notantur, *centena millia* subintelliguntur, haud secus ac in *adverbiis numeralibus*; sic HS. $\overline{MC}$, idem est quod HS *millies centies*, viz. 110,000,000 *Nummi*, seu 888020 l. 16 s. 8 d. cum contra HS. MC. absque superinducta linea, nonnisi 1100 nummos, vel 8 l. 17 s. 5½ d. designent.

Numeris in duas, tresve classes per puncta distinctis, classis quae est dextrae proxima *unitates*, quae secunda *Millena*, quae tertia *centena millena* indicat. Exemplo sit series III. XII. DC. HS. quae

quae 300000, 12000, & 600 HS designat, i. e. 312600 Nummos in universum, aut moneta Anglica 5047 l. 3 s. 9 d. *Plinius* perhibet, septem annis ante tertium bellum *Punicum*, Romae in Ærario fuisse, *Auri Pondo* XVI. DCCCX. *Argenti Pondo* XX. LXX, & *in Numerato* LXII. LXXV. CCCC. quod interpretare 16810 *Pondo Auri*, 20070 *Pondo Argenti*, & 6275400 *nummos in numerato* seu 50741 l. 10 s. 2½ d.

His formulis Lectores saepe turbari, neque distinctas numerorum notiones in legendis veterum scriptis iis subjici propria experientia didici. Quod itaque solito pluribus ea de re explicaverim, de eo me cuivis excusatum fore confido.

De Denario.

Denarium inter argenteos nummos principem *Romani* habuerunt, Unciae *Romanae* 7am partem, appensum, pendentem. Ad hanc normam (sive legem) rem *Romanorum* Zygostaticam omnem atque Nummariam, in Tabulis exactam, nostris ponderibus & nummis expressimus, manuducente nos *Greavio* [a], Classici scriptoris auctoritatem hac in tractatione merito tuente.

Ab erudito hoc, diligentiae summae & integritatis viro relictum ita est; pertractatis in *Italia* & alibi *Denariis Consularibus* pluries centenis, eorum integerrimos crebris curiosisque tentaminibus, 62 Granorum [b] Anglicorum a se esse deprehensos, quorum exempla a zygostatica *Troijensi* libra, quae *Londini* in regia arce, *Tower* dicta, in *Goldsmiths-Hall*, & Academia *Oxoniensi* asservantur, diligenter desumserat. Proximum huic ex binis experimentis elicuit conclusum, de pondere *Congii Vespasiani* aqua repleti, Libras veteres *Romanas* denas pendentis, institutis. Alterum congio ipso instituit *Villalpandus* [c], alterum effigie *Gassendus* [d]. Priori *Denarius*, qui est

a. Greavius hic ab Autore citatus; Anglus natione, Astronomiae in Academia Oxoniensi Professor, vernacula lingua, praeter plurima alia opuscula, Pyramidographiam & duas de Pede Romano & Denario Dissertationes in lucem emisit. Iis omnem materiam tam diligenter rimatus est, omnes nodos tam feliciter solvit, ut summis viris, quibus idem argumentum tractare contigit; conferri posse videatur. Neque mirum, ipse Italiam, ipse Ægyptum terrasve Orientales adiit, quo Pyramides mensuraret, & Nummos Romanos quam plurimos colligeret, quos Anglicis ponderibus & Nummis summa cura contulit. b Greav. de Denario p. m. 262. c Villalp. de Apparatu Urbis ac Templi. d Gassendus in vita Peireskii.

eſt unciae *Romanae* 7ª pars, Granorum $62\frac{4}{7}$, prodit, poſteriori $62\frac{361}{458}$: neglectis fractionibus ipſe ejusdem valorem ſtatuit 62 Granorum ſeu 7 pen. 3 farth. *Anglicorum*, nummo argenteo Anglico dicto *Penny* octo grana Anglica tribuens. Ad hanc aeſtimationem meum quoque ſummarum computum accommodavi, viz. Argenti Unciam quinis *Schellingis* taxavi; quae licet ratio aberret a vera aliquantulum, (pro hodierna enim monetaria lege, ex ſingulis Argenti Libris, Schellingi 62, ſeu Librae ſterl: 3 cum Schellingis 2. cuduntur) cur tamen aliam potius eligerem, cum gradum puritatis Argentei nummi Romani ignoremus, deprehendere non potui, praeſertim quum aliqua moleſtia hoc pacto, in computo liberemur.

Romanae Unciae noſtra *Averdupois* Uncia indubie eſt aequalis: in conſtituendo autem Granorum *Troijenſium* numero, *Averdupois* Unciam explentium, me parumper a *Greaviana* ratione deflexiſſe fateor: poſito enim cum *Greavio Averdupois* & *Troy* Libras invicem rationem 175: 144 tenere, illamque unciis ſedenis componi, unciam *Romanam* ſeu *Averdupois* Granorum *Troijenſium* $437\frac{1}{2}$, Libramque *Romanam* Granorum 5250 reperiemus. Noſtra vero, quam pro genuina accepimus, librarum ratio, numeris 17: 14 (neglectis ultimis notis) continetur; Hinc *Romanam* ſeu *Averdupois* unciam ad *Troijenſem* ſe habere reperio, ut 51 : 56, unde libra *Romana*, Tabulis convenienter, Granis *Troijenſibus* $5245\frac{1}{7}$, i. e. Granis $4\frac{6}{7}$ levior nobis quam *Greavio* conficitur, peccato, ſi tale, ſane leviſſimo. *Denario* itaque noſtra ratiocinia $62\frac{22}{49}$ Grana adſcribunt: fractio enim in computanda libra nullo modo negligenda. Hinc maxime probabile fit, Romanos olim ſuam unciam in Britannia reliquiſſe, quae noſtra *Averdupois* uncia facta eſt: *Troijenſem* enim aliunde accepimus.

Quod *Denarius* 7ª pars unciae Romanae fuerit, loca plurima manifeſtum faciunt. *Celſus* ſcribit, l. 5. c. 17. *Sed & antea ſciri volo in uncia pondus Denariorum eſſe ſeptem.*

Alia methodo, ponderando ſc. numiſmata *Graeca*, *Tetradrachma Attica* praecipue, in *Denarii* pondus *Greavius* inquiſivit; Denarius enim ſemper Drachmae aequalis fuit aeſtimatus. Enim vero ſic *Denarium* priori graviorem nanciſcimur. Penſis enim *Tetradrachmis Atticis* quam plurimis, *Palladis* effigie ab una parte, *Noctuae* ab altera ſignatis, integerrimos Granorum 268, ſingulasve

proi

proin *Drachmas*, Granorum 67 repertas a se scribit, ratione sua *Didrachmorum* aureorum pondere insuper confirmata. Horum unus Granorum 134,5 ex *Snellio* adductus, *Drachmam* Granis $67\frac{1}{4}$ exhibet. Veterem *Denarium Romanum* Drachmae *Atticae* exaequatum esse, partim ex iis quae diximus, partim ex *Plinii* testimonio [e] apparet, qui a tempore *Vespasiani* usque ad *Traiani* principatum vixit, Drachmamque *Atticam Denarii* pondus habere, expressis verbis asseverat. *Denarium Italicum* Drachmam continere scripsit *Cleopatra* [f]. Donativum *Cicero* [g] veteranis ab *Antonio* datum 500 *Denariis* absolvit, quod *Dio* [h] totidem *Drachmis* effert. *Galenus* scribit [i], per *Drachmam* idem pondus intelligi, quod Romani *Denarium* vocant, hac ejus sententia ex *Auli Gellii* interpretatione [k] manifesta. Summas à Latinis hominibus *Sestertiis* elatas, *Plutarchus* Drachmis effert, singulis *Sestertios* quaternos, quot ipse nempe *Denarius* habet, attribuendo. In obsidione *Casilini* murem *Drachmis* 200 emtum [l] *Strabo* perhibet, hocque 200 *Denariis Valerius Maximus* [m] reddit. *Athenaeus* [n] refert, Talenta *Attica* 400, facere 240 Myriades, seu 2,400,000 *Denarium*; unde *Talento* 6000 Denarii cedunt: quod totidem itaque Denarios, quot Drachmas continet. Talentum Atticum 6000 Denariis constare *Festus Pompejus* expressis verbis testatur, quod *Livius* [o] *Polybio* collatus ulterius confirmabit.

Haec testimoniis uberioribus confirmavi, quo omnium omnis aetatis scriptorum, de *Drachmae Atticae* & *Denarii* aequalitate consensum, ostenderem; quo ratiocinio relicto, pessime nosmet ipsos intricaremus: idem secutis, is nectitur nodus, qua ratione nummorum aequalitatem servaturi simus, ut videtur diversissimorum, hunc 67, illum 62 Granis complentibus.

En primo *Greavii* solutionem, suismet verbis. Viz. "Neque e-
" nim, quod diversarum Civitatum nummi, pondere parum diver-
" si, ut *Denarius* & *Drachma Attica*, in *Italia* praesertim Impe-
" rio-

e Plin. l. 21. c. ultimo. Drachma Attica Denarii argenti pondus habet. f Cleopatra, τὸ ἰταλικὸν δηνάριον ἔχει δραχμὴν α΄. g Cicero l. 16. Epist. ad Atticum. Octavium veteranis militibus, quique Casilini & Calatiae erant, dedisse donativum Denarios quingenos, quo eos in suam sententiam perduxit. h Id. Dio l. 45. refert, καὶ ἔδωκεν εὐθὺς τότε κατὰ πεντακοσίας δραχμάς. i Gal. l. 8. c. 3. de Medic. compos: πρόδηλον δὲ ὅτι δραχμὴν λέγομεν νῦν ἐν τοῖς τοιούτοις ἅπασιν, ὅπερ Ῥωμαῖοι δηνάριον ὀνομάζουσιν. k Gell. l. 1. c. 8. l Strabo l. 5. m Val. Max. l. 7. c. 6. n Athen. l. 4. Dipnosoph. o Liv. l. 4. Decad. 4.

„ rioque *Romano*, nullo habiti ſint diſcrimine, mirari magis debe-
„ mus, quam quod *Reales Hispanici* cum *Teſtaris*, aut *Dolarorum*
„ quadrantes cum noſtris *Schellingis*, in urbibus *Angliae* mariti-
„ mis permutentur, licet *Realis* 4 granis & aliquanto plus *Teſ-*
„ *taro*, & rurſus *Schillingius*, *quadranti Dollaris* plus octonis
„ granis, adeoque penningo integro, pretio intrinſeco praeſtet. Quo-
„ niam vero Æſtimatione, Titulo & Signatura Principum noſtro-
„ rum, (quod nummi *Extrinſecum* voco) deſtituuntur, de vero
„ pretio aliquid monetae Hispanicae detrahimus, quod noſtris num-
„ mis viciſſim in *Hispania* eventurum foret. Idem pari *Analogia*
„ de *Drachmis Atticis* cenſendum eſt, quamvis *Denarios* intrinſe-
„ co pretio aliquantum ſuperaverint. Hocque *Voluſius Maetianus*
„ ſibi velle videtur, quum ait, *Victoriatus nunc tantundem valet*,
„ *quantum Quinarius olim. At peregrinus nummus loco mercis, ut*
„ *nunc Tetradrachmum & Drachma, habebatur*: Quae verba *loco*
„ *mercis* manifeſto oſtendunt, *Drachmam* eos & *Tetradrachmum*
„ quaeſtui habuiſſe, quemadmodum negotiatores noſtri & Aurifices
„ cum *Realibus* & *Dolarorum* quadrantibus factitant, quo lucello,
„ nummorum aequalitate non praecluderentur ſolum, verum no-
„ va liquefactione novaque opera jacturam ſui facturi forent. Hinc
„ eſt quod omnes hactenus hujus argumenti ſcriptores, *Drachmam*
„ partim leviorem *Denario*, partem aequalem, graviorem nun-
„ quam conſtituentes, duplici ſeſe Paralogiſmo implicuerint, dum
„ re ipſa incurioſius tractata, nudis veterum verbis ſcrupuloſe ni-
„ mis inhaeſerunt: Primum peccatum eſt, quod *Denarium* ad amuſ-
„ ſim *Drachmae Atticae* aequaverunt, quoniam hanc illo, aut illum
„ hac veteres omnes, diſſentiente nemine, interpretantur; vel,
„ quoniam quotidiano uſu & vulgari aeſtimatione, alter alterius vices
„ in Imperio *Romano* fungebatur; vel quoniam, ſi quam maxime a cu-
„ ratioribus, quales procul dubio κολλυβιςαὶ erant, deprehenſa differen-
„ tia, tamen propter ejus tenuitatem, fractionum moleſtiam, defec-
„ tumque nummi perfecte aequalis, quo absque errore explicari po-
„ tuiſſent, omnes tam *Graeci* quam *Romani* ſcriptores promiſcue
„ illos ut aequales adhibuerunt. Alterum eſt, quod, quoniam vete-
„ rum quidam (quos inter *Dioſcorides* & *Cleopatra*) unciae *Roma-*
„ *nae* Drachmas octonas attribuerunt, quantas quoque uncia *At-*
„ *tica* numerat, hinc *Romanam* unciam *Denariis* octonis fecerint,

„ ſicque

„ ſicque *Atticae* aequaverint, quam tamen *Celſum*, *Scribonium*
„ *Largum*, *Pliniumve* (*Dioſcoridi* poſteriores) ſuo tempore *De-*
„ *nariis* 7 abſolviſſe, jam antea annotavimus. Qui cum *Romani*
„ homines eſſent, rationem *Denarii* ad unciam prudenter profe-
„ rentes; quo ejus ope medicas Doſes curatius conſtituerent, rem
„ *Graecis* perſpectiorem habuiſſe, veroſimillimum eſt.

Enim vero vereor, ut de tanta differentia *quinorum de centenis*, quam hac nummorum varia aeſtimatio parit, *Greaviana* ſolutione male ſit ſatisfactum. Profecto ſi *Attica Drachma* 67 Granorum, *Romano* Denario 62 Granorum exaequabatur, nimium inde lucrum in permutationibus ad Romanos perveniebat.

Exaraveram adnexas huic operi Tabulas, antequam eruditi Epiſcopi *Hooperi* ingenioſa in *ſtatum veterum Menſurarum* disquiſitio lucem adſpexiſſet, quo opere intricatae materiae plurimam lucem affudit, nodumque, pag. 44. hiſce verbis ſolviſſe videtur. „Con-
„ ſtat itaque de ponderum atque Nummorum Atticorum ratione:
„ ſingulorum nummorum ſpecificos valores autem tam certo con-
„ ſtitutos nondum habemus, quam quidem deſiderari poſſe videtur.
„ *Drachmam* enim, unde eorum nummaria res omnis optime de-
„ ducitur, quaeque etiam inter pondera princeps eſt, varii variam
„ ſtatuunt. Diligentiſſimus *Greavius* noſter, ponderatis plurimis
„ *Atticis Tetradrachmis*, reperit nonnullas ex integerrimis ut re-
„ fert 268 Granorum, quo Drachma conſtitueretur Granorum 67.
„ Idem ex *Didrachmis* aureis, veterum *Daricorum* exemplo a *Phi-*
„ *lippo* & *Alexandro* cuſis, unum ab utroque Rege, Granis 134,5,
„ ex *Snellio* adducit, quibus *Alexandri* ternia, a Granis 134 vel bis
„ 67 nonniſi dimidio Grano deficientia, ſibique viſa, adjungit.
„ Ex hoc genere duo Doctor *Bernhardus* invenit; ſed frequen-
„ tius talia, quae Drachmae Grana 66 tribuunt. Maxima pars
„ vetuſtiorum nummorum qui remanſere Granis eam 65, Medici qui-
„ dam *Arabes* 64, 28 circumſcribunt: Immo dubio caret, ut in-
„ fra videbimus, eandem 63 ſub primis *Caeſaribus*, mox 55 Gra-
„ nis leviorem factam, atque ſic tandem in Octantem unciae *Roma-*
„ *nae* abiiſſe. Sic nummaria *Drachma* temporis decurſu ponde-
„ re decrevit, id quod praeter pericula trutinae, veterum ſcripto-
„ rum teſtimonia collata cum ponderibus & nummis *Romanis* ma-
„ nifeſtum faciunt. Interim nihil obſtat quo minus ponderalem

„ *Drachmam* medio tempore immutatam constitisse ponamus, siquidem idem & nobis & vicinis gentibus contigit, quorum nummaria Libra jactata, ponderalem incolumem reliquit.

Porro pg. 55. " Hanc sensim factam imminutionem, successiones nummorum insequentium aetatum demonstrant. Reductioni itaque rei nummariae veteris ad nostram optime consuleret, qui eas Tabulis seorsim digestas exhiberet. Prima v. g. ad legem Solonis instituta, paucis aut additis aut detractis, toti tempori a *Solone* ad *Alexandrum* usque applicari poterit. Altera *Drachmam* Granis 65 aut circiter conficiens, proximae aetati serviat, usque ad tempora quibus *Graecia* sub Imperio *Romano* fuit. Tertia *Drachmae* Grana 62,57 attribuet, quam ejusdem ponderis *Denario* sub primis Caesaribus (& ut opinor jam longe antea) aequalem fuisse infra ostendemus.

Sed de his curiosius in sequentibus dispiciemus.

Greavio ita placet, novam illam *Denarii* aestimationem, quam *Plinius* loco citato *l.* 30. *c.* 3. descripsit, qua *Asses* 16 pro denis, quos antea habebat, accepit, per omne intermedium tempus a bello Punico secundo, quo facta est, ad *Justinianum* usque constanter duravisse. Enimvero hoc omnium Classicorum stilo repugnat, quippe quibus *Denarius*, 4 *Nummi Sestertii* & *Asses* deni idem significant, & summas denotant plane easdem. Neque deserendo hanc supputandi rationem rebus aliud quidpiam, quam summam confusionem induceremus; adde quod vero dissimillimum sit, posthabita sui temporis aestimatione, scriptores *Denarium* juxta primaevum institutum taxavisse.

Miratur quoque insolitam illam & parum prudentem primorum temporum Argenti & Æris rationem, qua Æris libris 10 librae Argenti 84ª pars, (tantam enim aut circiter *Denarius* capiebat) aequivalebat; seu ut eloquar apertius; singulas Argenti libras Æris libris 840 aequiparatas fuisse.

Ego vero *Plinium* rei, quam verissimam narrat, falsam nihilominus rationem reddere existimo. Causam enim minuti ponderis *Assium* angustiis Reipublicae temporibus tribuit, quae rectius in sublata Æris & Argenti aequalibritate quaeretur; & hoc ipsum Rempublicam movit, ut Assium pondus gradatim minueret, quum prima Æris & Argenti proportio nimia videretur.

Grea-

Greavius Denarii pondus, & diminutiones quas sensim subiit, alia via constituere aggressus est, per pondera nempe *Aureorum*. Quum enim *Athenienses* suos χρυσοῦς sive *Aureos* duplo *Drachmarum* pondere donaverint, idem factitasse *Romanos*, suisque *Aureis* quoque duplum *Denarii* pondus eorum exemplo attribuisse vero simile est. Ex quo consit, *Aurei Romani* pondere imminuto pondus Denarii similiter minuendum fuisse. Qua ratione *Aureus* primum percussus, qua postea minutus sit, a *Plinio l.* 33. *c.* 3. his verbis edocemur. *Aureus Nummus post annum LXXII. percussus est quam Argenteus, ita ut Scrupulum valeret Sestertiis vicenis, quod efficit in libras ratione Sestertiorum, qui tunc erant, Sestertios* ↀCCCC. *Post haec placuit XL. M. signari ex Auri libris: paulatimque Principes imminuere pondus, imminuisse vero ad XLV. M.* Hunc locum ita *Greavius* emendat. Postea placuit X. XL signari ex Auri libris, paulatimque Principes imminuere pondus, imminuisse vero ad XLVIII.

Notari meretur, quod dum *Aurei* minutum pondus *Plinius* tam diligenter describit, ut ipsam proportionem curate adscripserit, minutum tamen *Denarii* pondus taceat. Quapropter hic illius fortunam quovis tempore secutus esse non videtur, licet a 7ª Unciae parte ad 8am decidisse communis sententia sit, eumque duplici quoque Tabula Episcopus Hooperus complexus fuerit, quarum ope nostra pecunia exprimeretur. In nostris autem, quae sequuntur, Pecuniae Romanae computationibus, Denarium Auctorum Classicorum, quem ⅐ unciae fuisse constat, adhibuimus.

Subdividitur *Denarius* in duos *Quinarios* [e], a quinque *Assibus*, quos valebant ita dictos: eosdem *Victoriatos* [f] dixere.

Celsus [g] *Denarium* in 6 partes distraxit, quas uncias vocavit, nomine, ut jam monui, cujusvis integri parti cuilibet applicabili. Hoc imitatione Medicorum *Graecorum* fecit, qui *Drachmam* patrio more *Drachmis* 6 componebant.

[h] *Denarium* Consulis vel Principis effigie signabant, quo regnante

e Varro l. 4. de lingua latina. In argento nummi Denarii, quod denos Æris valebant, Quinarii, quod quinos. f Voluf. Maetianus. g Corn. Celsus l. 5. c. 17. h Plin. l. 6. c. 22. Matth. c. 22. Marci 12. Lucae 20. In una parte ANTONINUS PIUS, AUG: BRIT: in altera vero facie AUGUSTUS BRITANICUS, PONTIFEX MAXIMUS, TRIBUNICIÆ POTESTATIS DUODECIMUM, CONSUL TERTIUM.

nante cuſus erat, id quod nummi ſuperſtites & ſcriptorum teſtimonia probant.

Titulus nomen plerumque Principis aut fabricae occaſionem indicabat. Exemplum ab *Antonini Pii Denario* deſumtum infra adſcripſi.

Denarius [i] nota X aut X̶ plerumque notatus eſt, quam Medici Latini imitati in * tandem transmutaverunt. Δηνάριον *Graeci* in neutro uſurpaverunt.

Ad *Denarium* ſolvere apud *Ciceronem* [k] eſt, quod inepte duo ſcriptores reddiderunt, altero interpretante, *ad minimum ſolvere*, altero de uſuris intelligente, unde merito ab *Hoſto* exagitantur. Verus ſenſus eſt, ad pecuniae *Romanae* rationem ſatisfacere.

Bigatorum [l] & *Quadrigatorum* [m] paſſim mentio fit, a *Bigis* & *Quadrigis*, quibus ſignabantur, ita dictorum.

Cornelius Tacitus [n] nummorum *ſerratorum* mentionem facit, quibus forſan inſculpta ſerra nomen indidit; quid fuerint parum certo conſtat.

[o] Legimus quoque de *Argenteis*, [p] *Argenteis minutis*, & *Æreis Philippeis:* Hi incerti fuere valoris, & ultimis Imperii temporibus viguerunt.

De Pondo Romano.

Pondo Argenti, quod a vulgari libra 84 vel 96 *Denariis* compoſita, omnino differt, nummorum certum numerum *Romanis* complectebatur; *As* enim *Æs*, *Pondo* & *Mina* Antiquis nullo diſcrimine fuere. *Pondo* huic *Budaeus* [q] *Denarios* 100, *G. Agricola*

i Non ſolum *Denario*, ut Autor dicit, ſed & *Victoriato* notam illam imprimebant. Talem M. Catonis facie conſpicuum in arculis recondebat Greavius. Hinc nodum eleganter ſolvit, qui *Budaeum* l. 1. de Aſſe intricatum dedit. Quaerit nempe, cur ordo *decuſſatus* & *quincuncialis* in ordinandis arboribus idem ſignificent, quum hic a *Quincunce* ſeu *Quinario*, ille a *Denario* ſeu *Decuſſe* nomen traxerit? Reſpondet Greavius, Quinarius notam X aeque ac *Denarius* impreſſam habebat. Eſt praeterea in Codice MS. Temporarii locus, quo quincunx hoc modo ⁞·⁞ indicatur, ſicut uncia unica lineola. Cum itaque harum unciarum quinque, quincuncem conſtituant, in modum notae X formatum, quam decuſſis quoque characterem fuiſſe novimus, mirum non eſt, quod ordo decuſſatus & quincuncialis saepius idem denotent. Vide Greav. de Denar. p. m. 245, 246. k Cicero in Orat. pro Quint. l Livius l. 6. Decad. 4. m Plin. l. 33. c. 3. n Corn. Tacit. German. Pecuniam probant veterem Serratos & Bigatos. o Spart. in vita Probi. Lamprid. in Heliogabalo. p Spartian. in Probo. q Budaeus l. 2. & 3. de Aſſe.

cola [r] Denarium Drachmae aequans, non nisi 96 adscribit. Hic *Pondo Minae Atticae* aequat, seu 3 l. 4 s. 7 d. *Agricola* 31. l. 21. od. aestimavit.

Romanos hac centenaria *libra* sive *Pondo* ad imitationem *Minae Graecae* usos esse, verosimillimum est. [s] *Plutarchus* enim *Drachmis* 250 transfert, quod *Livius* [t] *Argenti Pondo binis & selibra* expresserat.

[u] *Galenus de compositione medicamentorum* Drachmas nonnullos centenas in Libram computare scribit, licet certissimum sit, Libram rei nummariae adplicatam subinde non nisi *Libram Romanam Drachmis* 96 denotare. Notandum hoc loco, quum uncias Argenti Tabulae schellingis quinque aestimant, Argentum subintelligi, indicaturae circiter, nummorum Anglicorum, quod 18 Pennyweight admixti alieni metalli in singulas libras *Troijenses* continet. Si igitur librae Romanae Argenti puri mixturam in ratione nostrae monetariae legis adjicias, ejus aestimatio 2 l. 41. 1¼ d. absolvetur. Eo autem sensu quo vulgo a scriptoribus accipitur, *Pondo* idem est quod *Mina*, faciens, ut supra ostendimus, l. 3 s. 4 d. 7. Puritatem nummi *Romani* compertam omnino non habemus, neque ejus valorem solo pondere accurate constituere licet. Rem nummariam pessime subinde adulteratam habuerunt. *Plinius* scribit [w], *Livium Drusum* in Tribunatu Plebis octava Æris parte Argenta miscuisse.

Pondo indeclinabile, numero conjunctum, Libram denotat; aliis autem ponderibus adscriptis, idem est quod *Graecum* σάθμη vel ὅλκη, exprimens *pondus* in genere.

Romani plurimum *Talento* in conficiendis summis *Graecis* usi sunt.

CA-

r G. Agricola l. 4. de Ponderibus. s Plutarch. in Fabio Maximo. ὡμολογήκει γὰρ αὐτοῖς, ἄνδρα μὲν ἀνδρὶ λύεσθαι ἁλισκομένων. εἰ δὲ πλείους, ὁ ἕτεροι γίνοιντο διδόναι δραχμὰς ὑπὲρ ἑκάστου τῶν κομιζομένων πεντήκοντα καὶ διακοσίας. t Liv. l. 2. Dec. 3. Convenerat inter Duces Romanum Poenumque, ut quae pars plus reciperet quam daret; argenti pondo bina & selibras in militem praestaret. u Galen. l. 6: πότε μὲν γὰρ ἀντὶ τῆς λίτρας ρ̄ δραχμὰς γράφουσιν αὐτοί. πότε δὲ ἀντὶ τῆς μνᾶς. w Plin. l. 33 c 3. Livius Drusus in Tribunatu plebis octavam partem aeris argenta miscuit.



CAPUT IV.

De Nummis Græcis.

Graeci tam ſuas quam *Romanas* rationes *Drachmis* efferebant, ſicut *Romani* Nummis *Seſtertiis*, cujus in omnibus ſcriptoribus, tum in *Plutarcho* praecipue, innumera exempla proſtant.

[a] Eſt autem *Drachma Minae* pars centeſima. [b] Δραχμὴ quasi δραγμή, a δράττομαι, ſignificat rem manu apprehenſam, quaſi diceres manipulum obolorum, qui junctim ſumti *Drachmam* conficiunt.

Drachma & pondus & nummus fuit. *Drachmam Atticam* vulgo *Denario Romano* aequant, & quemadmodum *Romani* duplicem *Denarium*, ita *Graeci* quoque vel aureas vel argenteas *Drachmas* habuerunt. In nummariis tamen ratiociniis, nulla ſpecie adſcripta, argenteus nummus ſubintelligitur. Hanc in Tabulis & omnibus hujus operis computationibus *Denario* ſeu $7\frac{3}{4}$ d. exaequavi. Eruditum Epiſcopum *Hooperum* Drachmas *Atticas* pro diverſo tempore diverſe aeſtimare, antea diximus: optimis ad legem *Minae Solonis* cuſis adſcribit Grana 68,4, quas tamen ad 62,57 minutas poſtmodum fatetur, id quod ipſum illud quod in Tabulis adhibuimus pondus eſt. Ad hanc *Drachmam*, eamque *Denario* exaequatam, ſcriptores Claſſici omnes nummarias ſuas rationes putaverunt, quas deſerere paucorum recentiorum exemplorum gratia non operae pretium eſſe duxi. Poſito interim *Hooperum* recte conjeciſſe, nec defuturos, qui rem curatius rimari velint, diverſarum *Drachmarum* valores ad Epiſcopi mentem concinnatos, a Granis 70, deſcendendo, ſequenti Tabula complectar.

Pon-

a Plutarch. in Solone. ἑκατὸν γὰρ ἐποίησε δραχμῶν τὴν μνᾶν. & Julius Pollux in Eupolide. ἡ δὲ ἀττικὴ μνᾶ ἔχει δραχμὰς ἑκατόν. b Euſtath. in Iliad. 1. Ὀβελὸν δὲ (λέγουσι) σιδήρεόν τι ἔλασμα, σχῆμα μὲν πᾶς ἔχον ὀβελοῦ, ὃ μὴν καὶ εἰς πέρατα ὀξὺ λῆγον. ὅτω δὲ ἀδρὸν ἦν τῇ παχύτητι, ὥστε ὀβολοὺς ἓξ τὸν δράκα ἐπλήρουν, καὶ τοῦτο ἐλέγετο δραχμὴ, ὀβολῶν τοιούτων ἓξ, ὅσων ἐπιδεδράχθαι δύναται χείρ.

Pondus	Valor
Gr.	*d. g.*
70. - - - - -	8, 3
68,4 - - - - -	8, $2\frac{6}{7}$
65,5 - - - - -	8, $0\frac{3}{4}$
62,57 - - - -	7 $3\frac{5}{7}$

c Subdividebant *Drachmam* in 18 κεράτια seu *Siliquas*, aeque ac in *Obolos* senos.

Diversae regiones *Drachmis* quoque diversis usae sunt.

d *Drachma Æginaea* vulgo $1\frac{2}{3}$ *Drachmae Atticae*, seu 10 Obolis *Atticis* aequalis aestimatur. *Atheniensibus* παχεῖα seu crassa audiebat, & Equiti e apud ipsos *Athenienses* diurnum stipendium data. Ejus plurimam mentionem *Hippocrates* injicit.

f Scriptores etiam *Drachmae Corinthiae* meminere, incertae aestimationis. Sunt qui eam *Atticae* exaequant.

g *Drachmam Ægyptiam* Cleopatra *Obolo*, seu *Drachmae Atticae* sextante absolvit.

Drachma & minores & majores nummos habuerunt, ut h *Semidrachmam*, *Didrachmum*, i *Tridrachmum*, *Tetradrachmum* k, (alias γλαῦξ l vel Noctua) *Pentadrachmum* m, *Hexadrachmum* n. Imo de o *Pentecontadrachmo* nonnulli scripserunt, nummo, si argenteus, ingentis voluminis.

p Genitivo δραχμῆς cum numero conjuncto, *Drachmas* subintelligito.

q De nummo βοῦς, ab signatura bovis ita dicto, memoriae quoque mandatum est. Eum & ex Auro & ex Argento habuerunt r, & *Didrachmo* s aesti-

c Hesychius. d Jul. Pollux l. 9. ἀλλὰ μὴν τὴν αἰγιναίαν δραχμὴν μείζω τῆς ἀττικῆς (δέκα γὰρ ὀβολοὺς ἀττικοὺς ἴσχυεν) ἣν οἱ ἀθηναῖοι παχεῖαν δραχμὴν ἐκάλουν, μίσει τῶν αἰγινητῶν, αἰγιναίαν καλεῖν μὴ θέλοντες. e Thucyd. Histor. 5. f Thucyd. Hist. 1. εἰ δέ τις τὸ παραυτίκα μὲν μὴ ἐθέλοι ξυμπλεῖν, μετέχειν δὲ βούλεται τῆς ἀποικίας, πεντήκοντα δραχμὰς καταθέντα κορινθίας μένειν. g Cleopatra. δραχμὴ δὲ καὶ ἄλλη ὁμώνυμος καλεῖται αἰγυπτιακή, ἥτις ἕκτον μέρος ἐστὶ τῆς ἀττικῆς δραχμῆς, ἄγουσα ὀβολὸν ά. h Jul. Pollux. i Aristoph: in Pace. k Cicero Epist. l. 12. l Interpres Aristoph. ἐκλήθη δὲ τὸ νόμισμα τὸ τετράδραχμον· τότε ἡ γλαῦξ. m Numisma Cyrenaeorum apud Pollucem. n Hesych. & Aristot: l. 2. Oeconom. o Plato & Jul. Pollux. p Athenaeus l. 4. q τὸ δὲ παλαιὸν τοῦτο ἦν ἀθηναίοις νόμισμα, καὶ ἐκαλεῖτο βοῦς, ὅτι βοῦν εἶχεν ἐντετυπωμένον. r Pollux l. 9. καὶ ἐν τῇ παρὰ δηλίοις θεωρίᾳ τὸν κήρυκα κηρύττειν φασὶν, ὁπότε δωρεάν τινι ἐδίδοτο, ὅτι δοθήσονται αὐτῷ τοσοῦτοι βόες, καὶ δίδοσθαι καθ' ἕκαστον βοῦν δύο δραχμὰς ἀττικάς. s Scholiastes Homeri, ἑκατὸν βοῶν τιμῆς ἄξιος, ἢ ἑκατὸν χρυσῶν νομισμάτων.

aestimasse creduntur. Hunc nummum inter *Graecos* antiquissimum esse probabile est, ejusque inter alios memor *Julius Pollux*, *Homero* notum fuisse contendit, ad quem alludere is videtur, cum *Glaucum* aurea centumboa arma cum aereis *Diomedis* commutasse scribit: unde patet, quod non ex solido auro fuerint. Bove enim nonnisi *Didrachmum* valente, id quod praeter *Pollucem Aristophanes* probat, armorum *Glauci* nimis tenue pretium esset.

Ὀβολὸς, *Obolus*; a veru, cujus speciem referebat, nomen traxit.

Fit etiam *Semiobolorum*, *Duobolorum*, *Triobolorum* & *Tetrobolorum* mentio.

t Χαλκὸς aereus nummulus *Oboli* sextans, *Dichalcus* ejusdem triens fuit.

u Scribunt etiam de nummulo Λεπτὸν dicto, Oboli 7ª parte.

x *Stater*, a ponderando nomen traxit. Pro pondere acceptus, libram designat. Cudebantur tam aurei quam argentei, frequentius tamen aurei. Eum varii Populi vario nomine & pondere donaverunt, exemplo sint.

Philippicus, *Alexandrinus*, *Daricus*, quorum alii Didrachmi, alii Tetradrachmi fuerunt.

Nec non sequentes nummos commemorant scriptores.

y Κόρη, Puella, ita dicta a *Palladis* effigie, *Tetradrachmum* valuit.

y Χελώνη, Testudo, ab effigie, de valore non constat.

z Σύμβολον, Symbolum, nummulus, incerti denuo pretii.

a Λεπτὶς, a parvitate cognominatus, *sesqui Ceratium*, seu *Oboli* trientem valuit.

b Ἐυθεῖα, Semidrachma, sive *Triobolus*.

b Κίδαβος, *Eutheiae* octans.

b Κραπάταλλος, Crapatallus, 8 Eutheias, adeoque Tetradrachmum valebat.

c Τροιζήνιον, Troezenium, cum Pallade in una, Tridente in aversa facie; valore incerto.

d Κόλλυβος, *Sestertio Romano* exaequatur.

e Κύλλυνον, nummulus incerti pretii.

f Κολύμβων,

t Suidas ὀβολὸς δὲ παρ' ἀθηναίοις ἕξ ἐστι χαλκῶν. u Suidas χαλκῶς λεπτῶν ζ. x Julius Pollux & Suidas. y Jul. Pollux l. 9. z Pollux ibidem, Σύμβολον βραχὺ νομισμάτιον, ἡμιτομόν τι νομίσματος. a Caelius l. 10. c. 2. b Jul. Poll. l. 9. c Pausanias in Corinthiacis. d Hesychius & Pollux l. 3. & 7. e Pollux l. 9. ὧν δ' ἂν καὶ κόλλυβον, λεπτόν τι νομισμάτιον.

f Κολύμβων, fluctuat ut praecedens.

g Κέρμα, nummulum denotat, ad commutandos majores idoneum; hinc κερματίζειν, nummos commutare.

h Φόλλις, Oboli genus.

i Δημαρέτιον, ita dictum a *Demareta*, *Gelonis* uxore.

k Λίτρα, alias pondus librale, denotat quoque nummulum *Obolo Æginaeo* aequalem.

l Legimus quoque de οὐγγία seu *Uncia*, quam *Siculi* a Libra *Romana* mutuati sunt.

m Κοδράντης, Quadrans, fuit *Oboli* quarta pars.

Γρῦ, nummulus, qui in proverbii consuetudinem abiit.

n Ἀσσάριον, *Assem*, interdum *Obolum* denotabat.

o Πέλανος, 4 *Chalcos* efficiebat.

p Ὀδολκαὶ, Oboli *Cretenses* fuerunt.

q Νυμία, a Nummo, *Obolus* vulgo redditur.

r Μίλιστα, *Obolus* quoque.

Ob magnum civitatum in *Graecia* numerum nummorum quoque nomina in infinitum variata sunt.

DE MINA ATTICA ARGENTI.

MNA, *Mina Attica*, *Denarios* sive *Drachmas* 100 continebat, quam rationem in summis conficiendis in Tabulis tenui, ubi *Minam* 3 l. 4 s. 7 d. aestimavi.

s *Dionysius Halicarnasseus* Census Romani Classes hunc in modum distribuit.

Quin-

f Suidas, κολύμβων εἶδος νομίσματος. g Suidas interpretatur κέρματα, τὰ λεπτότατα, h. e. minutissimos nummos. h Hesychius in voce κοδράντης sic ait: κοδράντης τὸ πᾶν, ἢ τὸ τέταρτον τῆς φόλλεως. i Pollux l. 9. δημαρέτιον νόμισμα, ἡ δημαρέτη γέλωνος οὖσα γυνὴ, κατὰ τὸν πρὸς λιβύας πόλεμον ἀπορῶντος αὐτοῦ, τὸν κόσμον αἰτησαμένη παρὰ τῶν γυναικῶν συγχωνεύσασα νόμισμα ἐκόψατο. k Pollux l. 9. καὶ μὴν ἐν ἀκραγαντίνων πολιτείᾳ, φησὶν ἀριστοτέλης, ζημιοῦσθαί τινα τριάκοντα λίτραις, δύνασθαι δὲ τὴν λίτραν ὀβολὸν αἰγιναῖον. l Pollux. l. 9. m Hesychius. n Suidas, ἀσσάρια ὀβολοί. o Hesychius. πέλανορ τὸ τετράχαλκον, λάκωνες. p Hesychius ὀδολκαὶ, ὀβολοὶ κρῆτες. q Idem. r Idem, μίλιστα, ὀβολὸς, ὅς ἐστι μέρος δραχμῆς. s Dionys: Halicarn: l. 4. ἀρχαιολογίας.

Quinta, *Minas* XII *cum semisse*, vel *Æris* XII *millia cum semisse*.
Quarta, *Minas* XXV - - - - - - - - *Æris* XXV *millia*.
Tertia, *Minas* L - - - - - - - - - - - *Æris* L *millia*.
Secunda, *Minas* LXXV - - - - - - *Æris* LXXV *millia*.
Prima, *Minas* C - - - - - - - - - - - *Æris* C *millia*.

Quintum Censum diversus ab illo *Livius* [t] XI millibus Æris absolvit, in quo error latet, aut prava lectio; in reliquis enim ad amussim conveniunt, *Minaeve* conjunctis sententiis *Denarios* 100 aut 1000 *Asses* adscribunt. Tantum enim pecuniae *Romanae Mina* juxta *Appianum* [u] & *Suetonium* [x] complectebatur, dum ille *Caesaris* Congiarium *Mina*, hic *quadringenis Sestertiis* aestimavit, qui *Asses* 1000, sive 100 *Denarios* complectuntur.

[y] Antiqua *Mina Attica* initio 75 *Drachmis* constabat, centenaria postmodum a *Solone*, referente *Plutarcho*, facta, cujus auctoritatem *Pollucis* [z], *Suidae* & *Hippocratis* [a] testimonia confirmant.

[b] *Mina Attica* minoris *Talenti Attici* pars sexagesima fuit.

De ASIATICIS *Quibusdam* & BARBARICIS *Nummis*.

† Κιστοφόρος, *Cistophorus*, *Rhodiorum* nummus fuit, ab insculpta cista denominatus: horum 7500 *Festus Pompejus* 4000 *Denariis* exaequat. *Denarius* quum $7\frac{1}{2}$ d. valeat, *Cistophoro* d. 4. cedunt quam proxime.

Ejus *Livius* [c] & *Cicero* [d] meminere.

Ἰαλύσιον, nomen ducit ab *Jalysio*, urbe *Rhodia*. *Hesychius* ejus mentionem facit.

[e] Τενέδιον νόμισμα, ab Insula *Tenedo*, una facie securi, altera duplici ca-

t Livius l. 1. ab U. C. u Appian. l. 2. Bellorum Civil: x Suetonius in Caesare. y Plutarch. in Solone. ἑκατὸν γὰρ ἐποίησε δραχμῶν τὴν μνᾶν, πρότερον ἑβδομήκοντα καὶ τριῶν οὖσαν. Pro τριῶν Agricola legit πέντε. z Pollux l. 9. a Hippocrates l. 5. c. 12. De compositione Medicam. b Suidas in voce ὀβολός. ἡ δὲ μνᾶ ἑξηκοστόν ἐστι τοῦ ταλάντου. †. Haec omnia apertius tradita, suisque testimoniis firmata reperies apud *Hostum*, Hist. rei num: vet. p. m. 238. sq. c Liv. l. 7. Dec. 4. d Cic. l. 2. Epist. 1. ad Atticum. e Stephanus de Urbibus. ἢ μᾶλλον, ὥς φησιν Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Τενεδίων πολιτείᾳ, ὅτι βασιλεύς τις ἐν Τενέδῳ νόμον ἔθηκε, τὸν καταλαμβάνοντα μοιχοὺς ἀναιρεῖν πελέκει ἀμφοτέρους. ἐπειδὴ δὲ συνέβη τὸν υἱὸν αὐτοῦ ληφθῆναι μοιχὸν, καὶ ἐκύρωσε περὶ ἰδίου παιδὸς τηρηθῆναι. τὸν

capite super eadem cervice notatum. Ejus Insulae Rex lege sanxerat, ut in adulterio deprehensi tam adulter quam adultera capite plecterentur. Cum postea ipse ejus filius in illud crimen incidisset, legem pater in ipso filio servavit, unde *Tenedia* securis ad denotandam crudelitatem in proverbii consuetudinem abiit, & nummi in ejus mortis memoriam dicta nota signari coeperunt.

[f] Ὅμηρος, *Smyrnaeorum* nummus, ab *Homero* compellatus est, quem sibi civem vindicabant.

Τύριον νόμισμα, *Tetradrachmum* valens, occurrit apud *Suidam* & *Josephum*. [g]

Σίγλος, *Hesychio* uno loco 8 *Obolos*, alio 2 *Drachmas* valet, dum *Xenophonti* 7 Obolos *Atticos* conficit: nummus *Persicus* fuit. *Ægyptii* σίγλους *Drachmis Atticis* 16 habuerunt: nomen a Siclo *Hebraeorum* inditum videtur.

Δανικὸν νόμισμα vel Δανική *Persarum* nummus de quo *Pollux*.

[h] Δανακή, nummulus mortuis datus, ad solvendum portorium pro *Acherontis* trajectu.

[i] Δανάη, Barbarorum nummus, *Obolo* paulo major. Hunc quoque mortuis datum perhibent. *Lucianus* in Dialogis *Charonti* suo tempore singulos *Obolos* datos esse reliquit: Sed apud *Aristophanem* binos petit.

Ὕλλος, *Polluci* nummus est.

Suidas nummi *Cyrenaei* meminit, una facie *Hammone*, altera *Sylphio* signati, herba succum *Cyrenaicum* fundente.

[k] Χία, forsan a *Chio* insula, habetur apud *Thucydidem*, de ea tanquam nummo aut nummorum summa verba facientem.

Πτολεμαϊκόν, nomen a *Ptolomaeo* habet.

Βερενίκιον νόμισμα, a Regina *Berenice*, a qua cusum est.

Utriusque nummi *Pollux* meminit.

Αρυανδικὸν νόμισμα, *Hesychio* memoratum, ab *Aryande* nomen accepit,

τὸν νόμον, καὶ ἀναιρηθέντος εἰς παροιμίαν ἐλθεῖν τὸ πρᾶγμα ἐπὶ τῶν ὠμῶς πραττομένων. διὰ τοῦτό φησιν, ἐπὶ τοῦ νομίσματος τῶν τενεδίων κεχαράχθαι ἐν μὲν τῷ ἑτέρῳ μέρει πέλεκυν, ἐπὶ δὲ τοῦ ἑτέρου δύο κεφαλὰς εἰς ὑπόμνησιν τοῦ περὶ τὸν παῖδα παθήματος. f Strabo l. 14. g Joseph. l. 14. c. 2. De bello Judaico. h τοῦτο νομίσματός ἐστιν ὄνομα, ὃ τοῖς νεκροῖς ἐδίδοσαν, πάλαι συγκηδεύοντες, ὡς ἀχερουσίας ἐπίβαθρον. i Δανάη νομισμάτιόν τι βαρβαρικὸν, δυνάμενον πλέον ὀβολοῦ ὀλίγῳ τινί. k Thucyd. l. 8. ὁ δὲ μίνδαρος ἐν τούτῳ καὶ αἱ ἐκ τῆς χίου τῶν πελοποννησίων νῆες ἐπισιτισάμεναι δυσὶν ἡμέραις, καὶ λαβόντες παρὰ τῶν χίων τρεῖς τεσσαρακοστὰς ἕκαστος χίας, τῇ τρίτῃ διὰ ταχέων ἀπαίρουσιν ἐκ τῆς χίου πελάγιαι.

pit, quem Ægypto *Cyri* filius *Cambyſes* praefecit.

Κορσίπιον, aliter *Cerſaeus*, *Ægyptiorum* nummus, apud *Heſychium*.

Ξύνιςρον νόμισμα, ibidem.

Τροπαὶ, φιλιςίδιον νόμισμα & Κέρσα ibidem. Hunc *Aſiis* attribuit.

Δίκρανον & δίκρατον νόμισμα, bicipitem nummum fuiſſe ipſum nomen teſtatur ad imitationem illius *Romani* cum *Jano* bifronte, ſive illius *Tenedii* antea memorati.

Ἐπίχυτον, argenteum aut plumbeum fuiſſe *Heſychius* perhibet.

Χαλκοῖ, nummus *Ægyptius* pondere drachmali, & ex auro & ex argento cudebatur.

Θάσιος, 4 *Drachmas* pendebat.

Κένσος, aut nummum, aut certam nummorum ſummam denotabat.

Ἥμαθον, *Cyzicenorum* nummus apud *Heſychium*.

DE TALENTO.

Ταλάντυ varia admodum ſignificatio. *Homero* trutinam plerumque denotat: hinc Grammaticis a τλῆναι, ἀπὸ τοῦ τλῆναι τὸ βάρος derivatur, unde ταλαντέω, ταλαντεύω & ταλαντάω, pendo, pondero.

Talentum *Romani* a *Graecis* mutuati ſunt, quo tamen rarius, nec niſi in *Graecis* aut *Aſiaticis* negotiis, aut in *Graecorum* ſcriptis latine reddendis utebantur. Qui ex his comoediarum argumenta deſumſerunt *Plautus* & *Terentius*, eo plurimum in conficiendis ſummis utuntur.

Τάλαντον, (ait *Pollux* l. 9.) μέγιςόν ἐςι χρυσίυ καὶ ἀργυρίυ μέρος. Idem *Epiphanius* l. 1. his verbis definit, τάλαντόν ἐςι τὸ ὑπερβάλλον πᾶν ςαθμώμενον μέτρον; ex utroque loco *Talentum* pondus omnium maximum fuiſſe colligitur: μέτρον enim apud *Graecos* voluminis aridorum aut liquidorum cujuſcunque communis menſura, ponderibus quoque & intervallis applicatur.

Talentum duplicis generis vel *ponderale* fuit, vel *nummarium*, pro varietate regionum & temporum in quibus uſurpatum eſt, varie aeſtimatum.

Quodvis *Talentum* 60 *Minis*, quaevis *Mina* *Drachmis* 100 componitur. *Talenta* autem pro vario *Drachmarum* & *Minarum* pondere ex quibus conſtant, varie pendunt. Vetus quoddam Talentum

lentum *Atticum* octogenis nonnulli *Minis* conficiunt †, & a sexagenario distinguunt; hocque *Livius* [a] de *Antiochi* tributo 12000 Talentûm loquens intendit, intra 12 annos pensionibus aequis dando, singulis Talentis non minus 80 Libris *Romanis* pendentibus. Magni Talenti rationem etiam *Plauti Mostellaria* declarat, ubi *Tranioni*, quater 40 *Minas* deberi dicenti, *Simo* respondet, *ergo totidem Talentis opus est, quot sumus ego* & *tu*, i. e. duobus. Ex his vetus *Atticum* Talentum valore sensim decrevisse videtur. Demus Talento Libras *Romanas* 80, *Mina* Libram cum triente adipiscetur; quae si nummaria Libra fuerit, Talentum Minae *Atticae* 80 complebunt; si ponderalis, *Minam* Granis 7008, quem numerum nostra *Averdupois* Libra fere capit, efformabis.

Talentum Atticum minus quam 60 *Minas Atticas* comprehendebat. *Suidas* scribit, τάλαντον μνῶν ἐςιν ἑξήκοντα, & *Pollux lib.* 9 τάλαντον ξ ἀργυρίυ ἠδύνατο ἑξήκοντα μνᾶς ἀττικάς. Idem *Rhemnius* his versiculis exprimit.

Cecropium superest post hoc docuisse Talentum:
Sexaginta Minas, seu vis sex millia Drachmas,
Quod summum doctis perhibetur pondus Athenis.

Talenti *Euboici*, ab *Euboea*, Attico vicina insula, meminit *Livius* [b]. Hoc ideo nonnulli idem esse cum *Attico* Talento arbitrantur, quia utraque gens iisdem ponderibus utebatur. *Minam* enim *Euboei* centenariam aeque ac *Athenienses* habuerunt. *Babylonium* Talentum *Herodotus* [c] 70 *Minis Euboicis* aequale esse reliquit, quod *Pollux* [d] 7000 *Drachmis Atticis* expressit, unde apparet, 70 *Minas Euboicas* 7000 *Drachmas Atticas*, adeoque *Minam Euboicam* 100 *Drachmas* capere, quem ipsum numerum *Attica* quoque continet.

His *Euboicis* Talentis *Persarum* Rex *Darius* aurum sibi pendere omnes sui imperii subditos jussit.

Talentum Æginaeum, ab *Ægina*, *Graecae* orae vicina insula dic-

† Magnas contentiones duplex hoc Talentum inter Eruditos movit. Unicum, *Gronovius* statuit. Alii triplex fingunt, maximum 100 Minarum. Sed haec antiquitus forsan obtinuerunt, neque ad nos spectant. Adeat qui volet Gronov. de Pec. Vet. l. 2. c. 3, 4. a Livius l. 38. Argenti probi duodecim millia *Attica* Talenta dato intra duodecim annos pensionibus aequis. Talentum ne minus Octoginta *Romanis* ponderibus pendat. b Livius l. 8. Decad. 4. c. Herodotus l. 3. d Pollux. l. 9.

dictum, 6000 Drachmis *Æginaeis* componebatur, 10000 Drachmas *Atticas* conficientibus, ut refert *Pollux*. [e] *Aulo Gellio* Talentum & decem *Drachmarum* millia unum idemque sunt, eamque summam *Romana* ratione 10000 *Denariis* transfert, valentibus 322 l. 1 s. 10 d.

Rhodium Talentum *Festus Pompejus* [f] multo minus facit, quam in Tabulis adscriptum est, quippe quod 4000 solum *Denariis* componit. Verum de hoc loco hactenus disputatur, quem nonnulli depravatum putant. Huic enim aestimationi alibi contradicens *Rhodium* Talentum 4000 *Cistophoris* & *Denariis* 500 componit.

[g] *Talentum Babylonicum*, si *Herodoto* fidem habemus, Minis *Atticis* sive *Euboicis* septuagenis constabat, id quod *Pollux* & *Ælianus* confirmant.

[h] *Talentum Syrium* Minas *Atticas* 15 seu 1500 Drachmas *Atticas* continet.

[i] *Talentum Ægyptium*, octoginta Minis *Atticis* constabat, quem ipsum numerum in Tabulis scripsimus. *Persiae* Rex *Darius*, filius *Hystaspis*, argentum in Talentis *Babyloniis*, aurum in *Euboicis* fisco pendi jussit.

Scriptorum in constituendo horum Talentorum valore consentientes sententiae omnino non sunt. Quae verosimillima reperire potui in describendis Tabulis secutus sum.

Dictis longe vetustius Auri Talentum accedit, quod *Homericum* appellare possumus, vulgo Aureis *Atticis* ternis aestimatum. De eo *Pollux*. Ab *Eustathio Homeri* interprete 24 *Drachmis* aestimatur. De valore parum certo quidem constare videtur, tenue tamen ex illo *Homeri* † fuisse conjicimus, ubi praemia in *Patrocli* agone funebri hunc in modum distribuit. Primum locum tenet Femina captiva & Tripus, secundum Equa utero gerens, tertium Ahenum, quartum duo Auri Talenta, ultimum Phiala aerea. Ibi duo Auri Talenta ultimum, si unicum excipias, inter praemia locum tenent. Confirmantur haec plurimorum testimoniis, Talentum Auri veteres *Graecos* tenuissimum habuisse asseverantium; unde doctissimus Episcopus *Hooperus* haud male conjecisse videtur, „ hoc

e A. Gellius in Hist. Demosthenis & Laidis.
f Festus Pompejus l. 18.
g Herodot. l. 3.
h Pollux l. 9.
i Plin. l. 33. c. 3.
† Homer. Iliad. l. 23. v. 263. sq.

„ hoc Auri Talentum quamvis nulli nec ἰσάριθμον nec ἰσοστάσιον, suo
„ tamen Æris Talento, quodcunque demum fuerit, ἰσοδύναμον fuisse,
„ partibus communem rationem, quae in omnibus Talentis obtinet,
„ inter se servantibus: hocque Talentum (pergit) haud male *Phoe-*
„ *nicum* fuisse statuemus, mercatorum apud *Homerum* celebratissi-
„ morum. Ratione v. g. quae diu apud *Graecos* viguit, Auri ad Ar-
„ gentum decupla temporibus istis adplicata, & posito apud finiti-
„ mos *Phoenices Cyprium* Æs 100^{es} ab Argento pretio superatum
„ esse, (intra quos limites per longum temporis tractum fere con-
„ stitit) pondus Auri Drachmarum *Atticarum* sive *Tyriarum* sex,
„ Drachmis Æris 6000 exaequabimus.

Hoc Talento nonnulli *Davidis* Thesaurum aestimant, illum imprimis qui I. Chronic. XXII. descriptus est. *Nunc aspice in paupertate mea praeparavi impensas domus Domini, Auri Talenta* 100000, & *Argenti mille millia Talentorum.* Illa vulgari aestimatione conficiunt 547, 500,000 l. haec 342,000,000 l. Auri vero ad Argentum ratio decupla summas exaequabit.

Easdem *Josephus Antiq.* l. 7. Talentis 100000 effert, unde recentiori computo rationes subduxisse videtur.

Ex *Eusebii* Chronico colligimus, *Davidem* post eversam *Troiam* in *Judaea* regnasse, unde eum iisdem numeralibus Talentis cum *Homero* usum nullo modo improbabile videtur.

Singularem modum summas conficiendi antiquis usitatum [k] & *Pollux* & *Suidas* memoriae prodiderunt. *Tertium Semitalentum* duo Talenta cum dimidio, *quintum Semitalentum* 4 Talenta cum dimidio, *Septimum Semitalentum* 6 Talenta cum dimidio denotabat, ita ut semper numerus semitalento junctus Talentorum proxime praecedentem numerum semitalento auctum significaret.

Hanc dictionis rationem *Latinos* quoque recepisse, liquet ex voce *Sestertius*, quasi *tertius semis* significante, seu 2½ *Asses*. Et XII Tabulae *Pedem tertium* pro pedibus duobus & semis accipiunt.

CA-

k Pollux l. 9. ἀρχαία δὲ ἡ χρῆσις, καὶ ἡ τοῦ πέμπτον ἡμιτάλαντον, καὶ ἕβδομον ἡμιτάλαντον, ἢ τέσσαρα ἥμισυ τάλαντα, ἢ δύο ἥμισυ, ἢ ἓξ ἥμισυ, καὶ ὅλως ὁπόσον, φησί τις τὸ ἡμιτάλαντον, τὸν πρὸ αὐτοῦ ἀριθμὸν ὁλόκληρον εἶναι δεῖ, ἐὰν μὲν ἕβδομον, τὰ ἕκτον, ἢν δὲ τρίτον, τὰ δύο, σὺν δὲ τούτῳ τὸ ἥμισυ πάντως ἐπαριθμεῖν. φίλον δὲ τοῖς ἀρχαίοις καὶ τὸ ἓν ἥμισυ τάλαντον τρία ἡμιτάλαντα λέγειν, ὡς καὶ τρία ἡμιμναῖα τὴν μίαν ἡμίσειαν μνᾶν.



CAPUT V.

De NUMMIS HEBRÆORUM, *eorundemque* PONDERIBUS.

Quemadmodum Seſtertiis & Denariis *Romani*, *Graeci* Drachmis, ita *Hebraei* Siclis ſummas fere efferebant, quam vocem *Hebraicae* linguae gnari a *Sakal*, ponderare, derivant. *Graecis* σίκλος vel σίγλος audit, quo nomine, quendam nummum *Ægyptii* quoque & *Perſae* compellaverunt. In Tabulis *Rabbinorum* & Dr. *Cumberlandi* ſuperioris Peterborougenſis Epiſcopi ſententiam ſecutus ſum, quibus *Siclus* dimidiam *Romanam* ſeu dimidiam *Averdupois* unciam pendit; huic Dr. *Cumberlandus* Grana *Troijenſia* 219, nos in Tabulis 218$\frac{4}{7}$ adſcribimus. Sed jam monui, rationem *Averdupois* unciae ad *Troy* unciam, quam veram credere juſſus ſum, mihi numeris 51 ad 56 contineri. Nullius fere momenti differentia in ſemiuncia vix ad $\frac{3}{7}$ Grani partes excurrit.

Hunc *Sicli* valorem ex plurimis bilanci appenſis *Siclis* elicuerunt. Ex veterum teſtimoniis illud potiſſimum *St. Hieronymi* Epiſcopus adducit, qui 4um *Ezekielis* caput commentans, *Siclum* 4 *Drachmas* unciae *Latinae* continere adfirmat, cujus ſententiam quotquot ſunt *Rabbini* ſecuti ſunt. Pro hoc pondere & noſtra argenti aeſtimatione, (Schellingorum 5 in ſingulas uncias) *Siclum* 2 ſ. 3$\frac{2}{11}$ d. noſtrae rationis aequivalere reperio, cui fractioni hanc $\frac{1}{4}$ ſubſtituo, quo non ſolum expeditiori ratione uterer, ſed & propius ad hodiernum argenti valorem accederem: vix enim ad 5am Farthingi partem diſcrepantia pertingit.

Ne vero Lectorem eorum quidquam caelem, quae ad pleniorem ejus inſtructionem aliquo modo facere poſſunt, eruditi *Hooperi* mentem edocendus videtur, putantis, *Judaeos* Talmudis Commentatores veterum numismatum *Hebraicorum* aeſtimationem ab ea diverſiſſimam reliquiſſe, quam conterranei eximii viri, *Philo* & *Joſephus* ſcriptis antea evulgaverant, ab illa adeo diverſam, ut *Siclum* his

his Grana 272 pendentem, illi 219 circumſcripſerint, & *Zuzam* Drachmae *Romanae* exaequaverint, Grana 68 illa ratione capientem. Et haec Epiſcopus rectiſſime. [a] *Joſephus* enim dimidium *Siclum*, aliàs profanum dictum, *Didrachmum*, ſacrum *Tetradrachmum* facit, & illorum quinque millibus μυρίας δραχμὰς ſubſtituit. Rem *Philo* & *Heſychius* [b] confirmant, quorum ille *Claudii* temporibus vixit, & Siclum *Hebraicum* expreſſis verbis Tetradrachmo *Attico* exaequavit. Accedunt LXX Interpretes, *Siclum* 20 *Gerah* Didrachmo *Alexandrino* transferentes, quod *Attico* Tetradrachmo aequale fuiſſe conſtat.

Hieronymum & *Epiphanium* contra productos, de proportione ponderum Hebraicorum ad Libram & Unciam verba facientes, *Atticam* Libram & Unciam ſubintelligere putat Epiſcopus. Calculum dicta ratione ſubducturo facile apparebit, *Siclum* Grana 4. 67 vel 4. 68 pependiſſe; valuiſſe proinde, qua nummum 2 ſ. 9½ d. vel 2 ſ. 10¼ d.

Siclus una facie Aram ſeu Thuribulum fumans cum titulo SEKEL BISRAEL, (Siclus in *Iſraele*) altera *Aaronis* virgam effloreſcentem & inſcriptionem HEKADOSCH JERUSALAIM, (ſancta Hieroſolyma) *Hebraicis* litteris inſculptam gerebat.

[c] Dimidium Siclum *Beka* dixerunt, a *Baka*, quod eſt bifariam ſecare. Fuit idem cum *Didrachmo*, aliter *Siclo profano*.

Hunc Didrachmum *Romani* a *Judaeis* quotannis in capita exigebant.

Sicli 4[a] pars fuit *Zuza*; ſic enim *Chaldaeus Sicli* quartam partem I. Regum IX. interpretatur. De hoc nummo Tabulae tacent, quoniam rarius occurrit.

Sicli vigeſimam partem *Gerah* [d] nominaverunt, quod idem cum *Agorah* 1. *Sam.* II. 36. occurrente fuiſſe creditur. LXX Interpretes *Gerah* per *Obolum* reddunt, utpote nummulum proxime accedentem. Etenim *Gerah Tetradrachmi* viceſima pars *Drachmae* quinta erat, cum Obolus ejuſdem ſextans eſſet: nonnullos tamen ſuperſtites *Obolos Atticos* Granis 10, 95 a *Greavio* commemoratos, *Cumberlandus* profert, unde *Siclum* Granis 219 recte conſtitutum adparet.

Sum-

a Joſeph. l. 3. ὁ δὲ σίκλος νόμισμα ἑβραίων ὢν ἀττικὰς δέχεται δραχμὰς τέσσαρας. Haec de ſiclo ſacro dicta putentur. b Heſychius σίκλος τετράδραχμον ἀττικόν. c Geneſ. 24. & Exod. 38. d Exod. 30 & 13. Levit. 27. Numer. 3. 18. Ezekiel. 45.

Summas nummarias majores majoraque pondera per *Talenta* & *Maneh Hebraei* conficiebant. Talentum 3000 *Siclos* continuiſſe probat locus Exodi XXXVIII, 25. 26. cujus haec verba. *Item argentum numeratorum e coetu, centum Talenta, cum mille ſeptingentis ſeptuaginta quinque Siclis, prout eſt ſiclus ſacer. Didrachma in ſingula capita, dimidium Sicli prout eſt Siclus ſacer, in quemque tranſeuntem adnumeratos a nato viginti annos & deinceps, in ſexcentos. ter mille quingentos quinquaginta.* Cum itaque 603550 dimidii Sicli ſeu 301775 integri Sicli, 100 Talenta, redundantibus 1775 Siclis efficere dicantur, hoc numero a ſumma 301775 *Siclorum integrorum* ſubtracto, remanent Sicli 300000 aequales 100 Talentis, ſeu dividendo utramque ſummam per 100, 3000 Sicli aequales uni Talento.

In *Maneh* male rationes Dr. *Cumberlandus* putavit. " *Maneh*, „ ait, ſi tanquam pondus ſolúm, non tanquam nummus ſpectetur, „ praeciſe *Sicli* 100 complebant, ut probat locus 1 *Regum* VII. 17. „ (ubi dicitur ſingula *Salomonis* ſcuta tria *Maneh*, ſeu ut nos reddimus, tres Auri Libras continuiſſe) collatus cum illo 2. *Chron*. IX. „ 16, ubi noſtra verſio 3000 Auri *Siclis* ſingula ſcuta aeſtimat, neque quod *Siclum* eo loco non adſcripſerint impedit, quo minus „ ſubintelligatur; *Ezekiel* enim XLV. 12. *Maneh* ait Siclis expleri; & *Pollux* l. 9 c. 6 per *Aureum*, ϛατῆρα intelligendum eſſe, „ quemadmodum *Siclum* cum de *Argenteo* loquimur, nos docet". Hac τοῦ *Maneh* aeſtimatione Talento 5000 Sicli cederent, cum id omnes conjunctis ſententiis 3000 finiant. Nummarium *Maneh* 60 ſolum *Siclos* comprehendiſſe ex cap. *Ezekielis* XLV. 12. manifeſto apparet, ubi Propheta 20, 25 & 15, i. e. 60 *Siclos* in *Maneh* computat. Ponderale *Maneh* 50 tantum *Siclos* capiebat. Utrumque Talentum tam numerale, quam ponderale eundem *Siclorum* numerum, viz. 3000 comprehendebat.

Alibi, libro nempe 2. *Sam.* XIV. 26. *Abſalonis* capillamentum 200 *Siclos* pependiſſe legimus, quod *Joſepho* 5 *Minas* facit; hinc *Minae* 40 *Sicli* cedunt, id quod aliquos, ut *Siclos Tetradrachmos* fingerent, permovit. Quos haec diligentius perſcrutari juvat, eruditi *Hooperi* ingenioſam *Inquiſitionem in ſtatum Ponderum & Monetarum veterum* (p. 196) adire jubeo, quum, quae tradit, ob prolixitatem huc transferri nequeant.

He-

Hebraeorum & pondera & nummos poſt captivitatem *Babyloni-cam* inſignes mutationes ſubiiſſe, auctores ſunt *Rabbini*, quam rem eruditus modo memoratus Epiſcopus ceteris, qui de ea pariter ſcri-pſere, dilucidius expoſuit. " *Lex*, ait, *monetaria* tempore ſecundi „Templi uſitata, $\frac{6}{5}$ prioris legis capiebat. Hinc novi hi nummi nova „etiam nomina, diverſa a nominibus reſpondentium proxime priſti-„norum nummorum, acceperunt. Veteris enim *Sicli* $\frac{6}{5}$ *Selam*, „$\frac{6}{5}$ dimidii Sicli, *Tobbam*, & $\frac{6}{5}$ Sicli quadrantis, *Deinar* appellave-„runt, & ſimili mutatione *Gerah*, veteris Sicli $\frac{1}{20}$ ſed novi *Sela* $\frac{1}{24}$, „in nummariis ratiociniis retentum, alio nomine *Mea* dixere. Haec „nummorum *Syriaca* aut *Chaldaica* nomina, (inde enim, ſi ſolum „*Deinar* excipias, omnia originem ducunt) *Babylonis* reliquiae vi-„dentur, unde novum quoque numisma ſecum duxerunt, quo pri-„ſtinorum numerum auxerunt, quod *Darcon* dixerunt, duplici *Se-„la* aut duplicis *Sicli* $\frac{6}{5}$ partibus aequale. Univerſa haec numisma-„ta ad *Gerah* ſeu *Mea* usque, quo argenteum nummum minorem „nullum fuiſſe adfirmant, una cum ſubdiviſionibus homonymorum „ponderum in *Grana* atque *Peruta*, eorumque inter ſe rationibus, „ſubjuncta Tabula complectitur.

Peruta								
2	Granum							
32	16	Mea						
192	96	6	Deinar					
384	192	12	2	Tobba				
768	384	24	4	2	Sela			
1532	768	48	8	4	2	Darcon		
38400	19200	1200	200	100	50	25	Maneh vel Mani	
2304000	1152000	72000	12000	6000	3000	1500	60	Kibbera

Meah vox *Chaldaica* cenſetur. *Gerah* (Exodi XXX. Ezech. XLV) *Chaldaea* paraphraſis per *Meah* transfert, idem per *Obolum* LXX reddunt. Cum itaque *Sela* 24 *Meah*, *Siclus* 20 *Gerah*, *Deinar* 6 & *Sicli quadrans* 5 contineant, *Siclus* ſexta parte gra-vior reperitur. Hoc rei *Hebraeorum* nummariae poſt captivitatem

Babylonicam incrementum erudito Epiſcopo merum *Rabbinorum* figmentum videtur, „ cenſetque hac in re *Joſephi* & *Philonis* „ teſtimonia, Siclum *Hebraicum* conſtanter Tetradrachmo *Attico* „ aeſtimantium, prae *Misnae* compilatore fidem mereri, etiamſi „ ut *Rabbini* volunt, ipſius *Adriani* temporibus ſcriptam eſſe largiamur. *Talmudem* vero ſeu in *Miſnam* commentarios, nihil praeter traditiones complecti, longo demum intervallo poſt rem geſtam chartis demandatas, certiſſimum eſt".

Hujus figmenti ingenioſam ſane rationem his verbis Epiſcopus reddit. „ Coactis *Judaeis* poſt deſtructum a *Tito* templum dimidium Siclum, Templo antea penſum, Ærario *Romano* inferre, eorum in eo vertebatur commodum, ut data occaſione tributum pro virili minuerent. Quod detracto Sextante efficiebant „ ſane, dummodo mitium poſt *Hadrianum* Caeſarum uni vel alteri, *Alexandro* v. g. nullis injuriis provocato, perſuaderent, illos ſub ultimis ſuis Regibus cuſos Siclos, (quos ad hunc diem „ commenta ſua firmaturi oſtentant) illos ipſos fuiſſe, quos Templo Lex inferre juſſerat †: id quod *Romanis* gratiſſimum vel ideo „ accidiſſe crediderim, quoniam hoc modo ab ipſius *Moſis* temporibus repetita legis nummariae Romanae origine, ei ſic vetuſtiſſimae antiquitatis veneranda auctoritas accedebat &c. &c".

Phoenicum nummos ob graviſſimas rationes tanquam medium proponit, quo ad nummariae rei *Hebraeorum* cognitionem pervenire liceat. Memorabile inprimis quod *Tyrium* Talentum veteres nonnulli *Attico* aequale eſſe ſcriptum reliquerint.

Sacrae paginae τῶ *Keſitah* ſeu *Agni* Geneſ. XXXIII. & alibi meminere; *Emitque partem agri in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor, patris Sichem centum Agnis.* Job. XLII. 11. *Et dederunt ei quisque ovem unam.* Hic nummus ab agni effigie, quam impreſſam geſtabat, nomen ſortitus eſt.

Keſeph

† Cum ſubobſcura haec nonnullis videri poſſint, quid ſubſit paucis declarabo. Hebraeorum nummaria res captivitate Babylonica nullo articulo mutata eſt. Annuum vero ſtipendium dimidium ſiclum Ærario *Romano* pendere juſſi, quem Templo ante hac penſitaverant, nummos ſuos ex eo tempore 5ta parte iis majores eſſe contenderunt, quos Templo prius intulerant; quo factum eſt, ut ſingulis ſiclis quintam partem detractam dolo malo lucriſacerent. Quae res licet ad cupidiſſimae Gentis indolem mirifice quadret, vix tamen tam plumbeo Mercurio Romanos decipi potuiſſe mihi perſuadeo.

Kefeph, quod nummum interpretamur, in veteri Teftamento numero adfcripto vulgo *Siclos* denotat.

Nummi in novo Teftamento occurrentes fere hi funt, *Denarius Romanus*, *Af*, *Affarium*, *Matth.* x. 29. quod *Cleopatrae* medius *Af*; *Quadrans* qui ejusdem 4ta pars, *Matth.* V. 26. & *Quadrantis* dimidium, λεπτὸν dictum, quod Angli *Mite*.



CAPUT VI.

De AURI *ad* ARGENTUM *apud Veteres ratione, & de eorum Nummis aureis.*

Minima Auri ad Argentum ratio quae unquam *Romae* obtinuit, cafu enata eft. [a] Immenfa Auri vi a *Julio Caefare* Urbes Templaque expilando congefta, (quas, ut ait *Suetonius*, faepius ob praedam, quam ob delictum diruit) Aurum adeo vile factum eft, ut ternis millibus Nummum in libras promercale divenderetur. Sed 3000 *Nummi* continent *Denarios* 750, & fingulae Librae *Denarios* 84; Auri itaque valor ad Argenti valorem fe habebit ut 750 : 84, feu ut 123 : 14, quae ratio cum hac 9 : 1 fere convenit. Proportionem quidam ex dicto loco fesquioctavam erucre volunt, eo decepti quod Unciam *Romanam* ad modum *Atticae* 8 *Denariis*, quae feptenis finitur, componant.

Auri ad Argentum ufitatiffima & fere conftans ratio decupla fuit, quam *Julius Pollux* [b] ex Poeta *Menandro* confirmat, dum Auri Talentum δεκατάλαντον vocat.

Ex *Polemarcho* refert *Hefychius* [c], *Aureum duas Drachmas pendere, & Auri Drachmam* 10 *Argenti Drachmis aequivalere.* Neque

a Suetonius in Caefare. c. 54. In Gallia fana templaque Deum donis referta expilavit, urbes diruit, faepius ob praedam, quam ob delictum; unde factum eft ut auro abundaret, ternisque millibus nummum in libras promercale per Italiam provinciasque divenderet. b Pollux. l. 9 c. 3. τάλαντον χρυσίου δεκατάλαντον. c τὸν χρυσοῦν παρὰ τοῖς ἀττικοῖς Πολέμαρχός φησι δύνασθαι δραχμὰς δύο, τὴν δὲ χρυσίου δραχμὴν νομίσματος ἀργυρίου δραχμὰς δέκα.

que aliter *Livius* [d], qui cum *Ætolis* conveniſſe dicit, ut pro 10 Argenti Talentis unum Auri valeret. Eandem proportionem *Suidas* [e] retinuit.

Duodecuplae proportionis *Plato* in *Hipparcho* meminit, Aurum *δωδεκαστάσιον* Argenti faciens. Hanc apud *Judaeos* obtinuisſe eruditus *Staniſlaus Grepſius*, Polonus natione ex quibusdam *Joſephi* locis collatis cum aliis ſacrarum Paginarum probare conatur, quod tamen evinci poſſe vix videtur. Eadem enim inter metalla proportio apud *Judaeos* quae apud vicinas Gentes obtinuit.

Duodecuplam cum ſemiſſe Claſſicorum aevo attribuunt, quam exinde manifeſtam ajunt, quod Aureus *Romanus* Didrachmo *Attico* aequalis habitus, 25 *Denariis* commutabatur. Neque hac re apertius quidquam eſt. Centum enim *Aurei*, Cauſidici apud *Ulpianum* [f] ſalarium, *Tacito* dena *Seſtertia* conficiunt, id eſt *Aurei* 100 complectuntur Nummos 10000, aut ſinguli *Aurei* Nummos 100; unde *Drahmas* duas Auri, 25 *Drachmas* Argenti valere manifeſtum eſt; 25 enim *Drachmae* ſeu 25 *Denarii* Nummis centenis rependuntur. *Taciti* [g] praeterea centenos Nummos *Suetonius* [h] *Aureo* reddit, utroque de *Othonis* in *Galbae* cuſtodes liberalitate verba faciente.

Aureum *Dio* [i] expreſſis verbis 25 *Drachmas* valere adfirmat, quo loco *Xiphilinus* 25 *Denarios* legit.

Hic vero in difficultatem incidimus. Aureum enim *Atticum* 20 argenteis *Drachmis* commutatum fuiſſe, certiſſimum eſt. [k] *Zonaras* aperte profitetur, *Romanos* Aureum 25 *Drachmis*, *Athenienſes* nonniſi 20 rependiſſe; quae aeſtimatio duorum Metallorum, poſitis nummis ejusdem puritatis atque ponderis, pretia, in duabus Civitatibus perpetuo inter ſe commercantibus, diverſiſſima conſtitueret. Id vero fieri nulla ratione poteſt, ſiquidem futurum foret, ut ex altera aurum, argentum ex altera exportaretur, donec mutua aequalibritate continerentur. Igitur ſolutionis nonniſi duplex deſcriptio datur,

d Livius l. 8. Dec. 4. Si pro argento aurum dare mallent, dare convenit, dum pro argenteis decem aureus unus valeret. e δραχμὴ δὲ ὁλκὴ νομίσματος εἰς ἀργυρίου λόγον δραχμὰς δέκα. f L. 1. ff. de extraordinaria cognitione & l. 12. Digeſti novi conſtit: 13. g Tacitus de Othone loquens, Cohorti excubias agenti viritim centenos nummos diviſit. h Suetonius in Othone. Nullo igitur officii aut ambitionis genere omiſſo, quoties coena Principem acciperet, aureos excubanti cohorti viritim dividebat. i Dio l. 55. k παρὰ Ῥωμαίοις αἱ εἴκοσι καὶ πέντε δραχμαὶ χρυσοῦν νόμισμα ἦν. παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησιν εἴκοσι δραχμῶν.

tur, Aureum *Romanum* vel integriorem *Attico* vel graviorem ſtatuendo. Partes illas *Agricola* cum quibusdam aliis ſecutus eſt; hae *Gronovio* [l] graviſſimis, ut opinor, rationibus inducto, placuerunt.

Agricolae argumentatio ejusmodi eſt. „*Crates*, ait, Poeta comi„ cus *Athenienſis*, *Semiſextam Aurei*, 8 Obolis exaequat; 16 ita„ que *Oboli*, *Sextam*, 6 vero *Drachmam* conficiunt. Sexies igi„ tur 16 ſeu 96 Oboli, vel 16 *Drachmae* argenteae Aureum *Di*„ *drachmum* componunt, quem Æris quintam partem admixtam „ habuiſſe ex dictis liquet. Si enim, ut *Daricus*, omnis alienae „ materiae expers fuiſſet, *Drachmis* eum argenteis vicenis com„ mutaſſent." Enimvero id argumento nervos praecidit, quod *Atticum* Didrachmum *Darico Statere* vulgo compenſarent, & *Athenienſium* Nummi tanquam puriſſimi omnium atque nitidiſſimi in pretio habiti fuerint. Κάλλιςα πάντων, ait *Ariſtophanes*.

Hanc duodecuplam cum ſemiſſe Auri ad Argentum proportionem illo *Plinii* [m] loco inſuper confirmare ſtudent, quo *Byſſi* ſcrupula, ut Auri, *Denariis* quaternis permutata ſcribit, unde *Didrachmus* 24 *Denariis* enaſcitur. Verum ad noſtram rem hic *Plinii* locus nullo modo ſpectat. Si enim Drachmam *Atticam*, quarum Aureus binas pendebat, ſubintelligat, proportio duodecupla prodibit. Sin *Romanam Drachmam* Unciae *Romanae* octantem intendit, ratio 13,7 ad 1 reperietur, quarum neutra propoſitam probat. Numerum itaque rotundum, vero proximum potius quam verum fractum, deſcribere voluisſe *Plinius* videtur. Hinc decuplam rationem perduraſſe, Aureosque *Romanos* Didrachmis *Atticis* initio graviores fuiſſe *Gronovius* contendit, hocque ſuperſtitum nonnullorum pondere evinci exiſtimat. Aureos *Romanos* a ſcrupulis $7\frac{1}{5}$ ad quaterna ſub *Conſtantino* redactos, *Solidos* dixerunt aut *Sextulas*.

[n] Locus in Codice de *Argenti pretio* talis eſt. *Jubemus ut pro Argenti ſumma, quam quis Theſauris fuerit illaturus, inferendi Auri accipiat facultatem, ita ut pro ſingulis libris Argenti quinos Solidos inferat.* Solidis ſingulis 4 ſcrupula tribuendo, 20 Auri ſcru-

l Gronov. de Pec. vet. l 2. c. 8. m Plin. l. 19. c. 1. Proximus byſſino, mulierum maxime deliciis circa Elim in Achaia genito: quaternis Denariis ſcriptula ejus permutata quondam, ut auri, reperio. n L. Quotieſcunque C. de ſuscept.

ſcrupula 288 Argenti ſcrupulis commutabantur, unde inter Aurum & Argentum ratio 14$\frac{2}{5}$: 1 enaſcitur.

o Inter Aureos *Graeci* Staterem *Atticum* didrachmum habuerunt.

Habebant & *Tetradrachmas*, quos γλαῦκας λαυρειωτικὰς, noctuas laurioticas, vocabant, ab effigie noctuae impreſſa.

Praeterea *Philippus Macedoniae* Rex Stateres Aureos *Philippeos*, pondere didrachmos, percuſſit. Eos *Horatius* uno verbo *Philippos* appellat.

Rettulit acceptos regale nomisma Philippos.

Hic valuit, habita ratione ponderis, & decuplae Auri ad Argentum tum temporis uſitatae proportionis, *Drachmas* vel *Denarios* 20, ſeu 12 ſ. 11 d. Antea obſervavimus, *Aureos Romanos*, male ejusdem ponderis creditos, valuiſſe 25 *Denarios*, ſeu 16 ſ. 1$\frac{1}{4}$ d.

Stateres Alexandrini partim *Didrachmi*, partim *Tridrachmi* fuerunt.

Stater Aureus Pruſiae, Regis *Bithyniae* quoque fuit.

p *Stater Cyzicenicus*, 28 *Drachmis Atticis*, ſeu Angl. 18 ſ. 1 d. commutabatur. Sunt qui *Staterem Alexandrinum* & *Philippicum Stateri Cyzicenico* aequiparant, eamque ſententiam in tabulis ſecutus ſum.

Stateri Cyzicenico Cybelis effigies inſculpta apparebat.

Phocaitici Stateris meminit *Thucydides*. *Phocaea* urbs *Joniae* erat. Δαρεικὸς vel Δαρικὸς q initio *Didrachmus*, poſtea *Tetradrachmus* percuſſus eſt. Eum *Joſephus* Judaeorum *Siclo* aequat.

Julius Pollux Staterem 8 ſcilicet *Drachmarum*, *Mina* metitur, quo calculo *Tetradrachmum Drachmis Atticis* quinquagenis componitur. Hanc proportionem olim Tabularum rationes ſubducens ſecutus, inviolatam retinui, quippe qua *Romanorum* ratiocinationibus convenienter Aureum *Drachmae* 25 rependunt; licet Auri ad Argentum decupla proportio obtinuiſſe vulgo, & ad eam nummariae rationes plerumque exactae videantur.

Hebraeorum Aureus ſubinde *Drachmam* ſeu quartam *Sicli* (Nummi Argentei) partem, ſubinde dimidiam pendebat, audiebatque *Darck-*

o Pollux l. 4. c. 24. p Demoſthenes πρὸς φορμίωνα. ὁ δὲ κυζικηνὸς στατὴρ ἐδύνατο ἐκεῖ εἴκοσι καὶ ὀκτὼ δραχμὰς ἀττικάς. q Suidas.

Darckmon. Antea obſervavimus, *Joſephum* in aeſtimandis *Hebraeorum* ponderibus menſuriſque a *Rabbinis* diſſentire. Ille *Siclum Tetradrachmo Attico*, hi 4 *Drachmis Romanis*, ſeu dimidiae *Unciae Romanae* aequant, quae rationum diverſitas 8vae partis differentiam in nummis eorum aureis aeque ac argenteis parit.

Quoties *Pondo* ſeu *Libra Auri* a *Latinis*, Μνᾶ a *Graecis* pro pecuniae ſumma collectiva ſcribuntur, ſemper *Drachmae* centenae deſignantur.

Quinquageſimam alieni Metalli partem veterum Aureos admixtam habuiſſe, communis fere eruditorum ſententia eſt.

In aeſtimandis Aureis Auri ad Argentum rationem tunc temporis vigentem ſum ſecutus; pro pondere enim & integritate ſua, plus hoc noſtro aevo valituri forent.



CAPUT VII.

De ROMANORUM, GRÆCORUM, & ARABUM PONDERIBUS.

ROMANORUM *Pondera.*

Apud *Romanos Libra* in uſu erat, *Unciis* duodenis compoſita: hanc *Graecorum Litra* recentioribus temporibus imitata, diviſaque eodem modo eſt; quae res multis teſtimoniis, *Lucii Maetiani*, *Galeni* &c. firmatur.

Uncia 3 *Duellis*, aeque ac 6 *Sextulis* conſtabat. Nam *Rhemnius Fannius* ſcribit,

—— Drachmae ſcrupulum ſi adjecero, fiet
Sextula quae fertur, nam ſex his uncia conſtat.
Sextula cum dupla eſt, veteres dixere Duellam.
Duella Obolos habet ſedecim, ſcrupula octo.

Unciam ſimiliter in 4 *Sicilicos* diſtrahebant.

F *Sici-*

Sicilicus secundum *Festum Pompejum* ita dictus est, *quod semiunciam in duas partes secet. Rhemnius Fannius:*

Drachmam si gemines, aderit, quem dicier audis,
Sicilicus.

Sextulam Graeci ἑξάγιον & corrupte σάγιον nominarunt. ἡ οὐγκία ἔχει σάγια ἕξ. *Interpres Nicandri.*

Uncia Denarios quoque septenos capiebat. *Corn. Celsus* lib. 5. cap. 17. *Sed antea sciri volo in uncia pondus Denariorum septem esse. Plin. lib.* 33. *cap.* 9. de *Denario* loquens, *alii de pondere subtrahunt, cum sit justum octoginta quatuor e libris signari.* 84 in 12 *Uncias* distributis, *Unciae* septeni praecise cedunt.

Unciam porro *Drachmae* octonae constituebant, testibus *Fannio*, *Galeno*, *Dioscoride*, *Plinio*, &c.

Duodecimam *Unciae* partem, *dimidiam Sextulam* dictam, rursus in 24 *Scrupula* vel potius *Scriptula* dividebant. Haec *Graeci* γράμματα dixere. Ita *Fannius*,

Semioboli duplum est Obolus, quem pondere duplo
Gramma vocant, Scripulum nostri dixere priores.

Denarium pondus, aeque ac *Denarium* nummum duo *Victoriati* conficiebant, quod probant & *Plinius lib.* 21. *cap.* 24. & *lib.* 24. *cap.* 2. 5. 6. & *Scribonius Largus* plus uno loco.

Ad imitationem 6 *Obolorum* quibus *Drachma* constabat, *Romani* quoque *Denarium Sextantibus* senis conficiebant, ut refert *Corn. Cels. lib.* 6. *cap.* 7. 17: qua ratione *Sextanti* Grana *Troijensia* 6,$_{5}$ tribuenda veniunt.

Quadrantis Denarii meminit *Cornelius Celsus lib.* 4. *cap.* 4. *Aut sulphuris ignem non experti pondo X & quadrans.* Similiter de *Denarii Triente* loquitur *lib.* 4. *Salis Ammoniaci P.* 3. hoc est, *Pondo triens.*

Libra *Romana*, quemadmodum in Tabulis fecimus, ex *Denarii* pondere definitur, viz. Gran. 5245$\frac{1}{7}$, quae vulgari computo sunt 5256. Exiguam discrepantiam oriri inde diximus, quod *Averdupois* & *Troijensem* unciam ratione 51 : 56 accurate circumscripsimus. Hinc Librae

Librae partes, prout eas in Tabulis constituimus, facile deduxeris.

GRAECORUM *Pondera.*

T*alento* neque majus pondus, neque majorem pecuniae summam *Graeci* habuerunt. Easdem vero *ponderale Talentum*, quas *nummarium*, divisiones recipiebat; 60 *Minae Talentum*, & *Drachmae* 100 *Minam* complebant. Nummus a pondere drachmali, *Drachma* dicta est, teste *Rhemnio Fannio*,

In Scrupulos ternos Drachmam, quo pondere doctis
Argenti facilis signatur nummus Athenis.

Drachma $\frac{1}{8}$ Unciae, *Minae* $\frac{1}{100}$ erat; Unciae tamen Drachmaeque ratiocinationes *Graeci* fortassis a *Romanis* mutuati sunt; olim enim *Drachma* 6 *Obolis* constabat. *Suidas* δράχμα ἓξ ὀβολῶν. *Didrachmum*, *Hemidrachmum* &c. & Pondera & Nummos designabant. τρίτον ἡμίδραχμον *Graecis* 2½ *Drachmas* denotabat, quemadmodum τρίτον ἡμιτάλαντον duo *Talenta* cum dimidio.

Obolus 6 χαλκοῖς, latine *Æreolis* componebatur. *Suidas* ex *Diodoro* ait, ὀβολὸς, παρὰ Ἀθηναίοις ἓξ ἐσὶ χαλκῶν. *Obolus Athenis Æreolis senis constat.* Vocabulum διώβολος apud *Graecos* in usu erat, quod *Latini* non *diobolum*, sed *duos Obolos* transtulerunt. Sic *Plinius* [a] *lib.* 20. *Mox in Aceto pondere Obolorum duum.* Et ita ubique.

Ἡμιώβολον seu *Semiobolus*, *Siliquam* cum dimidia continet; nec non 4 *Æreolos* secundum *Cleopatram*, sed nonnisi 3, secundum *Diodorum apud Suidam.*

Χαλκῦς sive *Æreolus*, Oboli sextantem, aut 7 λεπτὰ, secundum *Suidam*, complectebatur; ὁ δὲ χαλκῦς λεπτῶν ἑπτά.

Λεπτὸν *Æreoli* 7ª pars, *Latinis Minuta*, etiam *Minutia* dicebatur, neque amplius subdividebatur.

Graeci ὐγκίᾳ utebantur, quam *Romano* more divisam habebant: de tempore, quo primum est adhibita, parum certo constat. Speciali Tabula hanc *Graecorum* ponderum divisionem exsequi superfluum duxi.

a Plin. l. 20. fere omnibus capitibus.

duxi. κεράτιον quoque, quod *Siliquam Latini* vocant, idque adhibuerunt, teste *Hesychio, Drachmae* partem decimam & octavam constituit.

Medici Minam Unciis *Romanis* sedenis habuerunt, prout ex *Dioscoride*, *Galeno*, & *Cleopatra* in *Cosmeticis* liquet; quae ponderalem *Minam* 16 *Unciis*, 128 *Drachmis*, 384 *Scripulis*, 768 *Obolis*, 1052 *Lupinis*, 2304 *Siliquis*, 6144 *Æreolis* constare facit. Enimvero quoties *Celsus* & *Scribonius Largus Denario*, 62$\frac{11}{45}$ *Grana* circiter pendente, utuntur, cui *Drachma* aequalis assumitur, 100 *Drachmae Minam* 6222$\frac{22}{45}$ Granorum conficiunt, dum *Mina* unciarum 16, 7000 *Troy* Grana circiter (seu nostram *Averdupois* Libram) complectitur. Differentiae originem antea explicuimus.

Porro *Litra* 96 *Drachmarum* a Medicis est adhibita, οὐγκία seu *Uncia* solitas divisiones retinente, quae ratio post *Galeni* tempora viguit. κεράτια quoque seu *Siliquae*, de qua antea, haud infrequens inter pondera usus fuit, aeque ac σιτάρια, *Siliquae* quartae partis.

Graecos & *Hippoiatricis* ponderibus usos fuisse legimus, quae a quibusdam *Mulomedica* appellantur, & a *Graeco* incerti nominis Scriptore memorantur. Comprehendebat *Mina Hippoiatrica* 15 *Uncias*, ὁλκὰς 112$\frac{1}{2}$; *Litram* componebant *Drachmae* 90, *Unciam* 7$\frac{1}{2}$ *Drachmae*, Drachmam *Scrupula* 3 seu *Oboli* 6.

Romani suas *Uncias* in 7 *Denarios* cum divisissent, ut & in *Drachmas* 8; cumque recentiorum aetatum *Graeci* suam *Unciam* similiter in 8 *Drachmas* dividerent, & insuper *Denarius Romanus Drachmae Graecorum* aequalis poneretur, usu venit, ut summam haec ratio veterum scriptorum verbis, circa pondera utriusque gentis, confusionem induxerit, plerisque Attico *Tetradrachmo* $\frac{1}{2}$ Unciam, *Didrachmo* $\frac{1}{4}$ Unc. tribuentibus &c. Difficultatem imminutum pondus nummorum utriusque gentis auxit. Praeterea nova ex eo superaccessit, quod cum *Drachmae* quaedam veteres *Atticae* Grana 67, *Denarii* 62, penderent, haud adparebat quo pacto horum nummorum aequalitas servari posset.

Doctissimo *Hoopero* ita placet. " *Drachmam Atticam* nummariam mutatam fortassis, ponderalem inviolatam mansisse. Et *Athenienses*, exemplo *Romanorum*, in 8 partes seu *Drachmas* suam Unciam dividentes, quo compendio in calculo uterentur, non 100 *Drachmas* in 12 uncias divisisse, sed de 100 detraxisse 4, ut restarent 96. Atque hoc modo ipsis prodiisse suam *Litram*, tam veteri *Romanorum*, quam

„ quam suae recentiori unciae in 8 partes divisioni accomodatam,
„ a *Mina* sua parum discrepantem, suarumque *Drachmarum* 96 con-
„ tinentem, qualium 96 non *Romana*, sed *Attica* Libra capiebat.

Minam antiquam *Atticam* unciis *Romanis* 16 constitisse, dubio caret. Consentiunt in eo omnes Scriptores, inprimis quod *Galeni* libris adjunctum est *de compositione Medicamentorum* fragmentum. Caput hujus 2um tam *Ægyptiae* Minae, quam *Atticae* uncias 16 adscribit. Minam *Cleopatra* c. 7. 16 uncias pendere ait; verum aliam Minam *Atticam* 12 uncias (quibus semis addendum erat), aliam 16 complecti, in alio loco adfirmat. *Romana* autem uncia, quae nostrae *Averdupoisensi* aequalis, subintelligi ubique debet. Hoc modo duplicem *Minam*, alteram unciis $12\frac{1}{2}$, recentiorem ut opinor, alteram unciis 16, vetustiorem, describere videtur. Adeoque vetustissima *Mina Attica* exactissime conveniebat cum nostra *Libra Averdupoisensi*. Consentiunt haec Talento supra memorato, quo *Antiochus* stipendium solvere jussus fuit. Singula *Livius* Libris *Romanis* octogenis, sive Unciis 960 componit; qui ipse numerus unciarum in *Talento Minarum* 60 est, si 16 uncias singulis attribuas.

Drachmam Atticam a 70 Granis ad $62\frac{11}{35}$ usque minutam esse aeque certo constat, quippe quae hujus ponderis *Denarium Romanum* aequabat. Ea de causa istius temporis pondera ad hanc normam componere consultum duxi. Ejusmodi enim ponderibus usos fuisse Medicos indubium videtur, qui, tametsi nummariam rationem sequebantur, ipsis tamen nummis mercimonia non ponderabant. Dosium praeterea modum saepe eos ex *Hippocrate* desumsisse, ipsae eorum praescriptiones testantur, unde eos ponderibus ad illa *Hippocratis* accommodatis usos esse, verosimillimum fit. Eam ob rationem *Graeca* vetustiora pondera ad *Drachmam* Granis septuagenis, & ad *Minam* nostrae *Averdupoisensi* Librae aequalem exacta, in Tabulam conjeci, cui duas tum *Graeca* tum *Romana* recentiora pondera invicem confusa complectentes adjunxi, iis potissimum temporibus accommodatas, quibus eadem nummaria ratio tam *Romae*, quam *Athenis* obtinebat, dum *Romana* λίτρα, *Romano* more divisa, etiam *Graeci* summas conficiebant, quam medio tempore non mutatam credimus.

In hac hypothesi fere omnes, qui de hoc argumento scripsere, consentiunt: in qua si peccatum est, illud certe ad quam plurimos pertinet. Mihi saltem facile venia dabitur, si eos, secundum

ſenſum apertum verborum ſuorum, ita uti typis deſcripta proſtant, interpretatus fuero.

Minam *Rhemnius Fannius* his verſiculis deſcripſit.

Accipe praeterea parvo quam nomine Graji
Mnam vocant, noſtrique Minam dixere priores.
Centum hae ſunt Drachmae; quod ſi decerpſeris illis
Quatuor, efficies hanc noſtram denique Libram,
Attica quae fiet, ſi quartam dempſeris hinc, Mna.

Cleopatra cap. 7. antea allegato, de duplici *Mina* verba facit, majorem 16 unciis componit, dein addit, *Mina Attica habet* ξxij. *ſemis*, i. e. habet uncias 12½, quas *Romanas* Uncias, ut priores, putaverim. Rurſus 8° capite Minam *Atticam* 12 unciis confici affirmat, quo loco *ſemis* ſine ullo dubio negligentia excidit. Mox ſubjungit, datur adhuc alia unciis denis & ſenis, vetus nempe illa, de qua antea.

De ſola hac ſedecunciali *Dioſcorides* loquitur; neque ea Medici in praeſcriptionibus utebantur, licet ejus mentionem injiciant; forſan quo fato noſtra *Averdupois* Libra uſa eſt, idem ipſi contigit, ut nempe craſſioribus adpendendis initio mercimoniis inſerviret.

Enimvero longe abſum, ut hanc hypotheſin, & quae inde pendent, pro demonſtratis venditem.

Ita enim de eruditi Epiſcopi ſententia videtur, graviſſimas rationes ſuadere, propriam *Athenienſibus* Libram, Drachmis *Atticis* 96 fuiſſe; in cujus rei ultiorem confirmationem eruditus *Hooperus* nonnullas auctorum lectiones haud vulgari ſagacitate reſtituit.

Pondera ARABICA.

Pondera *Arabica* quibus Medici Arabes, *Serapio*, *Rhaſis* & *Avicenna* utuntur, ex confuſione ponderum *Graecorum* & *Romanorum* enata ſunt. Iis *Hebraicum Maneh* aut *Graeca Mina* in *Manes* tranſiit, quae duplex, unciis 20 haec, 16 altera. Probatiſſima quae de ea re ab ipſis Arabibus traduntur, in Tabulis videri poſſunt. Sed in iis, quae huc ſpectant, majorem fidem Epiſcopo *Hoopero* egomet habeo.

Ratel

Ratel ſive *Litram*, in Tabulis *Rotulum*, per omnem *Ægyptum* omnesque vicinas orientales regiones uſitatum, doctiſſimus Epiſcopus diverſis locis „differre, & variis in uno loco mercibus inſer-
„ vire, partes autem 12, quas uncias dixeris, ubique recipere ob-
„ ſervat. Unciarum hac ratione diverſarum ea eſt diſtinctio, ut hae
„ pluribus, illae paucioribus ponduſculis, *Dirhem* vocatis compo-
„ nantur, quae invariatam ubique locorum magnitudinem ſervant".

Dividitur *Dirhem* univerſale hoc & conſtans pondus in 12 *Karatia*, quorum rurſus quodvis 4 Grana continet, ita ut integrum *Dirhem* 48 Granis componatur. Haec Epiſcopus ex *Golii* Lexico Arabico. „ Grana autem illa convenire pondere cum no-
„ ſtris a *Greavio* edocemur: noſtra enim Grana quadragena octona
„ totidem *Arabica*, unum *Dirhem* conficientia, nonniſi 0,18 Gra-
„ ni partibus ſuperant: qua ratione ſingula noſtra *Pennyweight* di-
„ midium *Dirhem* partibus 0,09 (vix decima Grani parte) exce-
„ dent. Simili ratiocinio noſtra *Troy* Uncia, viginti *Pennyweight*
„ pendens, vix Granis duobus dena *Dirhem* ſuperat, quae Grana
„ *Arabica* 480 conficiunt; ea propter non male pro una ex pluri-
„ mis iſtis *Ægyptiacis* unciis haberi poteſt, conſiſtens ex 10 *Dirhem*.

„ Inter varias Uncias illa 12 *Dirhem* inprimis memorabilis eſt.
„ Hac pretioſiora minoris voluminis mercimonia, Pharmaca prae-
„ cipue, appendi, ex *Golio* diſcimus. Litrae *Cairenſis* 12ma pars
„ eſt, quam *Greavius* inſtituto experimento 6886 *Troy* Grana pen-
„ dere repperit, dum eadem Granis *Cairenſibus* 12,12. 48 ſeu 6912
„ componitur; hoc computo Unciae 576 *Ægyptiacis* Granis con-
„ fectae, noſtratia 573,8 Grana cedunt.

„ Ex his manifeſto adparet, *Cairenſem* unciam eodem Granorum
„ numero componi, quem *Romani* & *Galli* & *Hiſpani* ſuis unciis
„ attribuunt, licet horum Grana multo ſint minora. Intelligimus
„ porro *Rotulum Cairenſem*, Libram *Romanam*, nec non *Gallicam*
„ & *Hiſpanicam* eam, quae unciis duodenis conficitur, Granorum
„ parem numerum complecti, qui eſt 6912".

„ Memorabile praeterea eſt, quod *Cairenſis* Libra ab *Hiſpa-*
„ *nica* & noſtra *Averdupois* Libra, nec non a *Romana Medica*
„ Mina, unciis itidem ſedenis, tam prope abſit, ut ſibi prototypi
„ honores, ad quem ſua pondera *Europaei* adornaverunt, merito
„ vindicare poſſe videatur.

Enim-

„ Enimvero ſi perpendamus, *Cairum* aeque ac *Memphim*, in cu„ jus locum illa ſucceſſit, in medio *Ægypto*, in via a mari *Rubro* „ (omnium & *Arabiae* & *Indiae* adhuc ante hos 300 annos vehicu„ lum) *Alexandriam* pertinente poſitam fuiſſe, totius Occidentis „ ad illa tempora usque commune Emporium fuit; & inſuper in „ memoriam redeamus, quam florentem cum *Alexandrinis* mer„ caturam ejusque urbis *Judaeis*, ſummis mercatoribus, vicina & „ potens *Saracenorum* gens agitaverit: minari deſtinemus, cur *Ara*„ *bum* Granis noſtra aequipendant, dimidia *Dirhem* noſtris Ar„ genteis, (*Silverlin*) aquivaleant, cur unciam *Europaei* ad mo„ dum *Cairenſis* diſtinctam habeant, aut cur ab horum *Rotulo* Li„ bras ſuas mutuati ſint.

„ Verum quo ratiocinio *Troijenſem* Unciam, repudiata *Europae*, „ ab *Ægypto* arciſſivimus, eodem adparebit, quod non *Hiſpanis* „ noſtram *Averdupois* unciam totam debeamus, licet uncia omni„ no aquali utantur, ſed quod ſaltem *Cairenſem Libram* pro bene„ placito a nobis exornatam, ad uſum noſtrum transduxerimus. A„ lium enim † Granorum numerum Uncia noſtra comprehendit, „ quam *Hiſpanica*; & cum Uncia quae decem *Dirhem* eſt, non a „ propolis, ſed ab ipſo artifice ad nos transducta ſit, qua veri ſimi„ litudine *Hiſpanicam* Unciam ſive *Romanam*, *Dirhemis* 9, aliunde „ quam ex ipſo fonte hauſiſſe videbimur? Hac ratione qui *Hiſpa*„ *nias* adiit, *Eduardus* primus, jactatasque nobis antea menſuras „ conſtituit, ex bellis ſanctis redux, duplicem noſtram Libram ad „ orientales menſuras exornaſſe, haud leviſſimo argumento cre„ ditur.

† Libra enim *Averdupois* dividitur in 12 Uncias, Uncia in 8 Drachmas, Drachma in 24 Scrupulos &c. Contra Hiſpanica Libra recipit Uncias 16. Uncia Adaramos 16 &c.

CA-



CAPUT VIII.

De Mensuris Intervallorum & Superficierum apud ROMANOS.

Mensuras Intervallorum *Romanis* usitatas in Tabulas distributurus, *Greavium* ducem sequutus, omnes rationes ad Pedem *Cossutianum*, qui *Romae* asservatur, exegi, qui nostri Pedis Pollices 11, 604. continet *. Reliquarum Mensurarum ratio indubia est.

Digitus latus sive *transversus* est *Palmi* quarta, vel *Pedis* sexta & decima pars.

[a] *Uncia* Digitum cum triente complectitur; Palmi tertia, Pedis 12ma pars est. Hunc enim non secus ac *Assem* in partes 12 diviserant. Saepius pro Uncia *Romani* [b] Scriptores *Pollicem* adhibent.

Palmus Pedis quadrans erat: hinc illud *Columellae* [c], *ad Palmum decoquere*.

Hunc

* Vide *Greavii* Dissertationem de Pede. Hunc verum esse Pedem Romanum, praeter omnium eruditorum consensum veterum ipsorum testi monia probant. quae paucis declarare operae pretium erit. Pede Anglico partibus 1000 composito, scimus ex operis hujus 16ta Tabula Pedem Parisinum contenturum ejusmodi partes 1068. Pede igitur Parisino continente 1440 partes (qui est modus a Gallis pedi suo attributus) earundem partium Pes Angl. capiet $1348\frac{4}{9}$ *Quibus* positis video Cassinum in Commentariis Acad. Reg. Scient. Paris. Edit. Paris. p. 19. Ibi distantiam inter *Narbonam* & *Nemausum* Pedibus Parisinis 405000 absolvisse. cui Strabo 88 Milliaria attribuit, seu Pedes Romanos 440000. Pes igitur vetus Romanus ad Parisiensem est ut 440000 : 405000 id est ut 81 : 88. Fiat igitur ut 88 : 81 = 1068 (numerus partium pedis Angl. in Pede Gallico): 983 magnitudinem veteris Romani Pedis in partibus quoque Pedis Anglici. Sed eundem *Greavius* per mensuras actuales partibus 972 esse reperit, si *Statilianum* Pedem sumas, aut 967, si *Cossutianum*: hi ab illo vix una aut altera centesima discrepant, quo errore si in tanta 88 Stadiorum longitudine nec severissimum quemque offensum iri puto.

Ibidem inter *Bononiam* & *Mutinam* intervallum *Ricciolus* & *Grimaldus* Pedibus Paris. 114832 invenerunt, cui *Antonini Itinerarium* & Tabulae *Peutingerianae* Milliaria Romana 25 seu Pedes Romanos 125000 attribunt Subducto calculo Pedem Romanum fere ut ante reperies.

a Julius Frontinus de jure limitum b Plinius l. 15. c. 24. Siliquarum latitudo pollicaris: & l. 13. c. 23. Pollicaris crassitudo Verum quae ex his adstruere Auctor noster conatur, dejicit Hostus. vid. Host. de mens. interv. p. m. 207. c Columella l. 21. c. 33.

Hunc Palmum *minorem* vocabant, quo ſic a *majori* diſtingueretur, quem 12 Digitis nonnulli componunt.

Aſſis diviſiones ad Pedem translatas eſſe ante monuimus. [d] *Plinius* enim de cedrinis Tabulis ita ſcribit, *Tiberium* menſam habuiſſe 4 Pedes *Sextante* & *Sicilico*, i. e. duobus Pollicibus & quadrante excedentem, craſſitudine vero *ſeſcuncialem*, ſeu ſeſquipollicarem. Alibi de [e] *Foliis trientalibus*, *Herba trientali* & *Herba quincunciali* [f] loquitur. Pari ratione lateres octo Pollices longi *Beſſules Laterculi* [g] a *Vitruvio* nominantur. [h] *Varroni* ſulcus 9 Pollices altus *ſulcus dodrantalis* audit. [i] *Plinius* pumilionum ternos Dodrantes altorum meminit, qui faciunt binos Pedes & Palmum. *Vitruvius* [k] monet, ne gradus Dextantem ſeu 10 Pollices craſſitie excedant, neve tenuiores *dodrante* ſeu 9 Pollicibus fiant. Ita Pede *Aſſis* diviſiones recipiente, *Dupondium* interdum binos Pedes ſignificabat, quo ſenſu apud *Columellam* [l] loco infra ſcripto occurrit, qui bonos quosdam viros, ſed eos non ſatis doctos, mire intricatos daret, ni de negotio edocerentur: ſic fit ut quae levia his, graviſſima haud raro aliis videantur.

Duos pedes cum dimidio Leges XII Tabularum *Seſtertio pede* reddunt. *Plinio* [m] *tripedaneae Statuae* ſtatuas 3 Pedes altas denotant, licet *Tripes* is *Livio* audiat, qui tribus pedibus inſtructus eſt.

Pede [n] in modum proverbii uſurpato menſuram quamcumque parvam exprimebant.

Leges XII Tabularum caverant, ut via loco anguſtiſſimo, 8 ad minimum Pedes, in flexu 16 in latitudinem pateret.

Palmipes, alia *Romanorum* menſura, Pedem cum Palmo, ſive 15 Digitos ſeu 20 Pollices longus erat. Utuntur eo *Plinius*, [o] *Columella* [p] & *Vitruvius* [q]. *Cubitus* vel *Cubitum*, in neutro genere, inferiorem brachii partem denotat cui innitimur. Κύβιτον vel κύβιτον, *Dorica* dialecto, ut *Julio Polluci* placet, *Romanis* determina-

d Plinius l. 13. c. 15. Tiberio Principi menſam quatuor pedes ſextante & ſicilico excedentem, tota vero craſſitudine ſescunciali. e Plin. l. 27. c. 5. f Plin. l. 27. c. 11. g Vitruvius l. 7. c. 4. h Varro l. 3. c. 19. i Plin. l. 18. c. 19. k Vitruvius l. 3. c. 3. l Columella l. 3. c. 15. A calamo usque ad proximum calamum non minus altum quam duos pedes & ſemiſſem planis minus locis refodit, acclivibus in *Dupondium* & dodrantem. m Plin. l. 33. c. 6. n Cicero l. 7. Epiſt. ad Atticum. Pedem in Italia video nullum eſſe, qui non in illius poteſtate ſit. o Plin. l. 17. c. 20. p Columella l. 3. c. 19. q Vitruvius l. 10. c. 21.

minatam sesquipedalem longitudinem denotat. Eidem *Vitruvius* [r] 6 Palmos seu 24 Digitos attribuit. A *Cubito* dixere *Cubitalis*. Sic quosdam *Indiae* [s] incolas subjectas pedibus soleas *cubitales*, oves [t] in *Syria* caudas, & quosdam *Indiae* [u] apros dentes *cubitales* habere, refert *Plinius*, quae magnitudo *Anglico* Pede expressa, Pedem & 5,406 Pollices constituit. Cubito *Solinus* [x] Ulnam substituit; Crocodilum enim 22 Ulnis absolvit, quem [y] *Plinius* ad 22 Cubitos protendit. *Julio Polluci* idem denotant, scribit enim, τὸν ϛ πῆχυν ὠλένην καλοῦσιν, Cubitum Ulnam vocant. *Plinius* [z] vero ambas voces distinguit. Namque *Platanum* [a] 15 Cubitos longum, & 4 Ulnas latum fuisse memorat, per Ulnam distantiam inter summos digitos, brachiis in lineam rectam a pectore explicatis, intelligens, id quod abietis descriptio probat. *Arboris ejus crassitudo quatuor hominum Ulnas complectentium implebat*; cui mox addit, *Maxima Cedrus in Cypro traditur ad undeciremem Demetrii succisa, centum triginta pedum; crassitudinis vero ad trium hominum complexum.*

Ulnam hanc ὀργυιὰν *Graeci* interpretabantur, Pedibus circiter senis compositam; hac ratione cedrum 130 Pedes *Romanos* in altitudine, 18 in ambitu habuisse reperies. Ulnam *Caelius* [b] eodem sensu accipit.

Cubitum *Aristoteles* [c] quadrante ejus longitudinis absolvit, ad quam aptae membrorum compositionis homo excrescit. Homo, inquit, est ζῶον πεζὸν δίπουν τετράπηχυ, *animal bipes quatuor Cubitorum.* Plurimos sane in hominum censum hucusque relatos, haec definitio excludit.

Passus a passis pedibus, Pedibus quinis terminatur. Haud raro hac mensura *Plinius* urbium intervalla metitur. Voce *centenarius* aut *millenarius* cum substantivo conjuncta, Passus ut plurimum subintelligito: sic *Porticus centenariae* sunt porticus 100 Passus in latitudinem patentes.

De-

r Vitruvius l. 3. c. 1. Cubitum animadverterunt ex sex palmis constare, digitis viginti quatuor. s Plinius l. 7. c. 2. t Plin. l. 8. c. 48. u Plin. l. 8. c. 52. x Solinus c. 45. y Plinius l. 8. c. 25. z Plin. l. 16. c. 32. a Plin. l. 16. c. 40. b Caelius l. 4. c. 3. Si ambas manus explices a pectore in lineam rectam, Ulna dicitur. c Aristoteles l. 4. Top.

Decempeda [d], longitudine *Georgica*, aedificia, areas, agros, vias, prata, fodinas &c. dimetiebantur: pro mensura pedali sumta, idem erat quod *Pertica*. Hinc *Cicero* [e] Decempedatorem agrimensorem vocavit, mensuramque ipsam saepius *Decempedae* [f] nomine compellavit. Hoc hominum genus vulgus *Finitores* [g], Lex *Agrimensores* nomenclabat.

Stadium [h] Passibus *Romanis* 125 vel 625 Pedibus & *Plinius* & *Columella* componit; idem ille [i] scribit, *Pythagoram* sagacem virum a Terra ad Lunam 126000 Stadiorum intervallum esse collegisse, ab ea usque ad Solem duplum. *Stadium* Milliarii *Romani* 8vi pars, Passibus *Anglicis* 120, Pedibus 4, Pollicibus 4½ expletur. Distat itaque Luna a Terra, secundum *Pythagoram*, Milliaribus *Anglicis* 14418¾.

Milliare subinde *Milliarium*, a Passibus millenis, quos capit, nomen accepit. [k] *Vitruvio* 5000 Pedes & 1000 Passus idem audiunt. Stadium *Columella* [l] 125 Passibus, 625 Pedibus, componit, qui octies sumti *Milliare* conficient. Rarissime *Cicero* Milliare, sed fere semper *Mille passus* dixit. Lapidibus olim Milliaria distinguebant, quos exinde ipsis intervallis applicuerunt. Hoc modo dixerunt, *ad secundum lapidem*, *citra octavum lapidem*, *ad lapidem duodecimum*, *XX ab Urbe lapidem*, *bis decimus lapis ab Urbe*, qui totidem Milliaria significant. Centum Milliaribus Codex centum *Millia* substituit. Veteres non ad quartum lapidem, sed ad quartum *Cippum* dixisse, *Valerius Maximus* in scriptis reliquit.

[m] *Boetius* mensuris *Romanis Gradum* adnumerat, quem haud incommode *dimidium Passum* reddideris. Verum nullibi in Classicis occurrit.

Nec desunt qui *Granum* inter mensuras numerant, *Digiti* quartam partem. Universas adscripti versus comprehendunt.

Ex

d Palladius l. 2. tit. 12. e Philipp. 13. Cavebat enim C. Antonio, qui fuerat aequissimus agri privati & publici decempedator. f Cicero Philip. 14. Quam jam peritus & callidus decempeda sua saxa diviserit. g Plautus in Poenulo. Nunc regiones, limites, confinia determinabo; ejus rei ego sum factus finitor. Et *Cicero* contra *Rullum*. Finitorem mittat, ratum sit, quod finitor uni illi, a quo missus erit, renunciaverit. h Plin. l. 2. c. 23. i Plin. l. 2. c. 21. k Vitruvius l. 10. c. 14. l Columella l. 5. c. 1 m Boetius. Decempeda decem Pedes colligit, passus quinque, gradus duo cum semisse.

Ex Granis Digitus quatuor formabitur unus:
Est quater in Palmo Digitus: quater in Pede Palmus:
Quinque Pedes Passum faciunt: Passus quoque centum
Viginti quinque Stadium dant: sed Miliare
Octo dabunt stadia: at duplicatam dant tibi Leucam.

Schonerus de usu Globi, c. 12.

De Mensuris SUPERFICIERUM *& nonnullis rei rusticae vocabulis.*

Sulcum uno impetu productum donec aratrum verteretur, *Actum* [n] vocabant, quem *Angli* Furlong interpretantur: eo *Plinius* utitur: subintellecta certa pedali mensura, 120 Pedes *Romanos* comprehendit. *Latini* scriptores *Actus minimi* meminere & *quadrati*. *Minimum* 120 Pedes longum, latum quaternos fuisse, reliquerunt *Varro* & *Columella* [o]. *Quadratus* autem 14400 Pedes quadratos, i. e. 120 Pedes quovis latere capiebat. Hunc vel *Minam* vel *Modium* [p] appellabant.

[q] *Climati*, areae quadratae, 60 Pedes in singula latera, seu 3600 Pedes quadratos *Columella* adscribit.

Versus 100 Pedes longus, 10000 Pedibus quadratis constabat.

Jugerum [r] vocabatur, quod uno jugo boum per diem exarari posset, dictumque forsan a *juncto*, quemadmodum *Plinio* † placet. *Jugerum* Actus quadrati duplum, 120 Pedes longum, 240 latum est, continetque 28800 Pedes quadratos.

Fertilitatem agri *Romani* plura *Varronis* & *Columellae* loca demonstrant. Ille [s] vinearum singula Jugera 600 vini *Urnas* reddere scribit, qua ratione nos ex singulis Acris, paulo plus 55 Mensuris (Hogshead) percipere deberemus. *Senecam* singulis Jugeribus 8 *Culeorum* seu 160 *Amphorarum* vindemiam fecisse, adnotavit *Columella*, quo computo singula nostra Acra $24\frac{3}{7}$ Mensuras (Hogsheads) rede-

n Plinius l. 18. c. 3. o Columella de re rust. l. 5. c. 1. p Varro l. 1. c. 10. q Columella l. 5. c. 1. r Plin. l. 18. c. 3. † Mallem Plinio Columellam surrogare, qui l. 5. c. 1 *ab eo*, inquit, *quod erat junctum jugeri nomen usurpavit.* Plinium idem dicentem nullibi reperio. s Varro l. 3. c. 9.

derent. Idem vineta minus quam 3 *Culeos* jugeratim reddentia exstirpanda censet, id est ea, quorum Acra minus 11 Mensuris (Hogsheads) producunt.

Quod Balaenas *Indicas* attinet in Jugera quaterna patentes, adeatur *Plinius*. Bina Jugera *Varroni* [t] *Heredium* audiunt: *quod Heredem sequeretur*. *Columella* scribit, latitudinem 30, longitudinem 180 Pedum, provinciae *Baeticae* rusticos *Porcam* [u] ducere, cui subjungit, *Gallos Pandetum* appellare in areis urbanis spatium 100 Pedum, in agrestibus autem 150: & eosdem semijugerum *Arpennem* vocare.

[x] *Centuria* erat 200 Jugerum modus; olim a centum Jugeribus vocabatur, sed mox duplicata nomen retinuit.

Jugerum pro integro sumtum eodem modo quo Assem, in *Uncias*, *Semiuncias*, *Drachmas* &c. distrahebant; id quod *Plinii*, *Columellae* & aliorum testimonia evincunt.

Semiscrupulum, agri minima pars secundum *Columellam*, 50 Pedibus patet, estque Jugeri 576[va] pars. *Varroni* Pedes 100, sive *Scrupulus*, agri minima pars est. Jugeri partes omnes aut apud *Columellam*, aut in nostris Tabulis descriptas reperies. Eodem sermonis habitu *Livius* usus est; *Terna Jugera & septunces viritim diviserunt*.

Ex descriptis *Romanis* mensuris *Architecti* Digito, Pollice, Palma, Pede, Cubito & Passu utebantur: Pedem, Passum, Stadium cum Milliari *Geographi* adhibebant; sicque Rei rusticae scriptoribus Pedes, Passus, Climata, Jugera, Stadia & Centuriae relinquebantur.

GRÆCÆ *Mensurae*.

Romani mensuras suas a *Graecis* mutuati sunt, qui denas circiter & senas, ex membris corporis humani collectis rationibus habuerunt. Δάκτυλος, digitus transversus, quarta Palmi & Pedis 16[ta] pars, ut in *Latio*, fuit. Φύλλα διδάκτυλα τὸ πλάτος, folia duos digitos

t Varro l. 1. c. 10. & Columella in praefat. ad Libr. 1. u Columella l. 5. c. 1. x Columella ibidem.

gitos lata. Ῥίζα εἰς τριδάκτυλος τὸ μῆκος, Radix tres digitos lata &c. *Dioscorides.*

[a] Δοχμὴ a δέχομαι, recipio, Palmus est seu spatium 4 Digitos latum.

Eandem composita voce δακτυλοδόχμην nominant.

Palmus etiam δῶρον audit, quia donum palma datur: hinc δίδωρον, τετράδωρα, πεντάδωρον, summam 2, 4, vel 5 Palmorum denotant. Sic *Homerus* [b] per κέρα ἑκκαιδεκάδωρα cornua intelligit Palmis denis & senis. Alio adhuc nomine Palmum παλαιστὴν vocant, unde διπάλαιστος, τετραπάλαιστος, πενταπάλαιστος, sicque ipsis δοχμὴ, δακτυλοδόχμη, δῶρον & παλαιστὴ unum idemque designant, qua de re veterum scripta versantes admonendos putabam.

[c] Λιχὰς 10 δακτύλους a Pollice ad medium digitum comprehendit.

[d] Ὀρθόδωρον, manus longitudo, inter ejus principium & summum medium digitum intercepta, Digitos 11 complectitur.

[e] Σπιθαμὴ, distantia inter Pollicem & parvum digitum, aperta vola, $\frac{3}{4}$ Pedis partibus seu 12 Digitis componitur.

Pygmaeos τρισπιθαμοὺς appellavit, quod *Latini* pessime *trium Palmorum homines* interpretati sunt, capiunt enim Pedes 2 & Pollices 3. Dominum nostrum Servatorem ἑπτασπιθαμιαῖον, seu Pedes *Graecos* 5 cum Palmo longum fuisse, refert *Nicephorus*. Δάρης *Hesychio* idem est quod σπιθαμή.

Ποῦς, Pes, *Herodoto* mensura τετραπάλαιστος est, sive Palmis quaternis. Secundum *Suidam* ὁ ποῦς ἔχει δακτύλους ιϛ΄, i. e. Digitos 16, Pollices 12 ut *Romanus* Pes comprehendebat.

Mensuras has ad *Anglicarum* rationem reducturus, *Romanum* Pedem a *Graeco* dimidio Pollice excedi, magnum scriptorum numerum secutus, assumsi. Confirmat attributum modum illa *Romae* conspicua pedalis mensura, titulo ποδῶν θ. inscripta, cujus Pedis ratio ad *Romanum* ratione 25 : 24 continetur. *Plinii* Pedem *Graecum Bernhardus* 1.0104 Ped. Angl. statuit, qui nostrum in Tabulis descriptum $\frac{373}{10000}$ seu 27ma circiter Pollicis parte superat. Palmum *Atticum* doctissimus Episcopus nostro aequalem facit; saltem si minus

[a] Pollux l. 2. δοχμὴ συγκλεισθέντες οἱ τέσσαρες δάκτυλοι. [b] Homerus Iliad. 4. [c] Pollux. l. 2. εἰ δὲ τὸν μέγαν δάκτυλον τῷ λιχανῷ ἀντιτείνας τὸ μέτρον λιχάς. [d] Pollux ibidem. τὸ δὲ ἀπὸ καρποῦ ἕως ἄκρων δακτύλων ἡ πᾶσα χεὶρ ὀρθόδωρον. [e] Pollux ibidem. εἰ δὲ τοὺς δακτύλους ἀποτείνας ἀπὸ τοῦ μεγάλου πρὸς τὸν σμικρότατον, μέτρον σπιθαμή.

nus quam 100ma augeatur, aquae Palmus cubicus *Atticus* veteri Minae *Atticae*, seu Granis 7000 aequalis prodibit. *Graecus Bernhardinus* Pes aquae Palmum cubicum 7012 Grana gravem facit, quem noster in Tabulis descriptus porrectus Palmus Granis 6990 finit: Sed *Averdupois* Libram meae rationes 6994 Granis circum scribunt, a priori pondere nonnisi quaternis Granis abeuntem, sicque propius ad *Averdupois* Libram seu veterem Minam *Atticam* accedentem, quae cubico Palmo aequipendisse ob graves rationes videtur.

Quosdam insolitae staturae homines tales accepimus.

Plinius l. 7. c. 2. Pygmaeos 3 Spithamas, seu 2 Pedes & duos Pollices altos in medium profert.

Idem multos *Indiae* incolas 5 Cubitos seu 7 Pedes 3 Pollices statura superare adfirmat. Æque alta hominum corpora *Herodotus* l. 9. & *Arianus* l. 5. recensent.

Imperatorem *Maximinum* fere ad Pedes *Romanos* octonos cum dimidio pertinuisse, auctor est *Julius Capitolinus*, qui nostrae mensurae circiter 8 Pedes, & 2 Pollices cum dimidio conficiunt. *Erasmus Chil.* 1. *c.* 21.

Persam quendam *Artachaeum*, 4 tantum Pollicibus a 5 Cubitis *Regiis* defecisse, scribit *Herodotus lib.* 7, quo eum calculo 8 Pedes & 5 Pollices altum habemus. Cubitum vero Regium, *Babylonium* 3 Pollicibus superasse, adeoque 21 Pollices comprehendisse videri, ex eodem discimus. *Hebraeorum* Cubiti, *Goliathum Philistaeum* 6¼ Cubitos, seu 12 Pedes & 4 Pollices longum faciunt.

Artabanum Tiberio septem cubitalem, i. e. 12 Pedes & 9 Pollices altum *Judaeum* dono dedisse, auctor & testis est *Josephus lib.* 18. *c.* 8. ἀρχαιολ.

Plinius lib. 7. *c.* 16. *Orestem* 7 Cubitos, *Graecos* scilicet, h. e. 10 Pedes & 7 Pollices, longum fuisse scribit. Idem *Syrbotas Aethiopicam* gentem lib. 7. c. 2. octonos Cubitos, seu 11 Pedes 7 Pollices superasse asserit.

Ogi, *Basani* Regis lectum, 9 Cubitos, seu 16 Pedes & 5 Pollices in longitudine, quatuor in latitudine, i. e. 7 Pedes & 3 Pollices habuisse, legimus *Deut. Cap.* 3.

Ganges Rex 10 Cubitos, seu 15 Pedes cum Pollice apud *Suidam* habet.

Otum & *Ephialtem Homerus*, *Odys.* λ. 9 Cubitos in latitudine,

ne, & 36 in longitudine habuiſſe, praedicat.

A πῦς derivantur ποδαῖος, διποδαῖος, τριπόδης, quod 1, 2, 3 Pedes longum eſt. Semipedem dicebant ἡμιπόδιον, compoſitis τριημιπόδιον, πεντημιπόδιον, tres aut quinque dimidios pedes ſignificantibus. Ita *Solon* agros limitibus diſtingui juſſit, ut vepres aut murus pedis intervallo a vicino agro diſtaret, domus duplo, ſepulchrum vero aut foſſa ſpatio ſuae profunditati aequali, Oliva & Ficus novem, reliquae arbores quinque tantum pedibus a confinio removerentur. Haec in XII Tabulas verbotenus fere tranſlata ſunt.

Ninae Urbis muri ad altitudinem 100 Pedum, turres ad duplam erigebantur.

Πῆχυς [f], Cubitus, Pedem cum dimidio capit ſecundum *Heſychium*; *Herodoto*, quod eodem redit, eſt ἑξαπάλαιςος, ſeu Palmorum 6. Veſtigium ab *Herculis* pede rupi in *Scythia* impreſſum idem δίπηχυ, i. e. 2 circiter Pedum & 3 Pollicum fuiſſe adfirmat.

Diſtantiam [g] a Cubito ad alterum digitorum articulum, ſeu Cubitum inflexis digitis Πυγόνα dixere. Quinta parte ab altero Cubito ſuperabatur, cum hic non plus 20 Digitis conſtaret. Adhibent hanc menſuram & *Xenophon* & *Herodotus*.

[h] Πυγμὴ, Cubito clauſis digitis abſoluta, continet 18 ſolum digitos. *Pygmaeos* ab hac menſura nomen traxiſſe, ab *Euſtathio* edocemur.

[i] Ὀργυιὰν ab ὀρέγειν extendere, *Herodotus* τετράπηχυν, quatuor Cubitorum, nec non ἑξαπόδην, ſex pedum facit, quos *Columella Graecos* eſſe ſtatuit. Eam *Plinius Ulnam* interpretatur, ut in capite quod de Menſuris *Romanorum* ſcripſit, videri poteſt; πυραμὶν τεσσαρακοντόργυιαν reddit [k] *pyramidem quadragenarum ulnarum.*

Cyzicenium [l] templum columnis ex uno lapide exciſis fulciebabatur, quae 4 Ulnas vel Ὀργυιὰς in ambitu, & 50 in altitudine habebant.

Circumferentiam columnae templi *Herodis* [m] 3 ὀργυιαὶ abſolvebant.

Strabo

f Pollux. l. 2. ἀπὸ τῦ ὠλεκράνου πρὸς τὸ τῦ μέσου δακτύλου ἄκρον, τὸ διάςημα, πῆχυς. g Pollux ibidem. εἰ δὲ συγκάμψειας τὺς δακτύλους ἀπὸ ἀγκῶνος ἐπ' αὐτὺς, πυγὼν τὸ μέτρον. h Pollux ibidem. εἰ δὲ συγκλείσειας (τὺς δακτύλους) πυγμή. i Herodot. εἰ δὲ ἄμφω τὰς χεῖρας ἐκτείνειας ὡς καὶ τὸ ςέρνον αὐταῖς συμμετρεῖν, ὀργυιὰ μέτρον. k Plin. l. 36. c. 13. l Xiphilinus ex Dione in vita Anton. pii. m Joſephus l. 5. in fine.

Strabo vitium in *Margiana* radices ad duorum hominum ὀργυιὰς excrevisse, reliquit.

Hesychio γυίη mensura ὀργυιᾷ aequalis memoratur.

πλέθρον sive πέλεθρον *Suidae* mensura 100 pedalis est, ἔχει πόδας ρ'.

In *Strabonis Epitome* ἑκτημόριον τῦ σαδίυ, *Stadii* 6ta pars definitur.

A πλέθρον adjectivum πλεθριαῖος centumpedalis: φοίνικας πλεθριαίυς, Palmas 100 Pedes altas, apud *Herodotum* reperias, quas *Babylone* crescere ait. *Strabo* eadem longitudine *draconem* memorat.

πλέθρον quoque *Jugerum* denotat. *Hesychius* scribit, μέτρον γῆς, ὅ ἐςι πλέθρον. *Plutarchus* in vita *Camilli*, *Jugerum Livii* πλέθρον reddit, id quod vice versa *Laurentius Valla* per *Jugerum* ex *Herodoto* transfert.

Ἄρυρα, si *Suidae* credimus, Pedibus quinquagenis constat. Significat quoque campum, vel terram aratam:

Στάδιος, 100 ὀργυιῶν, aut 600 Pedum *Graecorum* mensura, ut refert *Herodotus lib.* 2. Eam alibi 400 *Cubitis* componit, quod unum idemque est. A σάδιος adjectivum σαδιαῖος; πυραμίδες τὸ ὕψος σαδιαῖαι habet *Strabo*, i. e. *Pyramides Stadium*, (600 Pedes) altae.

Urbi *Ninae*, *Niniveh* in sacris paginis dictae, *Diodorus Siculus* [a] 480 *Stadia* in ambitu adscribit: haec 55 circiter *Milliaria Anglica* conficient, si *Stadium* 600 Pedibus *Graecis* constet. Aequale spatium *Babylon* complectebatur. *Beli* Sepulcrum quavis dimensione ad *Stadii* longitudinem excurrisse auctor est *Strabo* lib. 16; quod si ita fuit, *Pyramidum Ægyptiacarum* maximam longe profecto superavit.

Στάδιον veteres *Graeci* αὐλὸν nuncupaverunt, hinc δίαυλος spatium duorum *Stadiorum*.

Ἱππικὸν σάδιον *Plutarchus* in vita *Solonis*, 4 *Stadiis* aestimat. *Hesychius* scribit, ἵππειος δρόμος τετρασάδιός τις, equi cursus *Stadiorum* 4.

Μίλιον, Milliare, a latina voce *Mille* desumtum est. Hoc 8 *Stadiis* componebant. Τὰ δεκαμίλια ἔχυσι σάδια π', decem Milliaria habent *Stadia* 80, ait *Suidas*. Ei nonnulli majorem modum quam *Stadia* octona tribuunt.

De

a Diodorus Siculus l. 1.

De Mensuris Intervallorum HEBRÆORUM.

H*ebraeorum* pedales mensuras certis omnino fundamentis non consistere, ante omnia monendum est, quo fit ut in tantis tenebris communem sententiam ex necessitate sequamur. In Tabulis quas antehac evulgavi, Dr. *Cumberlandi* superioris *Peterborougensis* Episcopi Cubitum adoptavi, quem ipse Rabbino *Godoliah* debet. Hunc, ait *Hooperus*, ad *Maimonidis* mentem loqui opinantur, Scriptoris inter suos omni doctrinae genere excellentis.

Hebraicum itaque Cubitum, quem *Ammah* vocant, Pollicum Angl. 21, 888 esse statui, quot praecise hodiernus *Cairensis* Cubitus continet: quae res omnis in duplici probatione posita est; primum ut ostendamus, *Ægyptiorum* hodiernum Cubitum a veteri nullo articulo diversum esse, dein *Ægyptio* Cubito *Hebraicum* aequalem fuisse. Hujus rei probationes fere has *Cumberlandus* profert.

Ægyptios eodem quovis tempore Cubito usos esse, liquet primo exinde, quod de mutatis mensuris historiae tacent. Secundo ex eo, quod *Nilometrion*, quo *Nili* incrementa mensurabant, inde a *Josephi* temporibus immutatum mansisse, fere omnibus ejus argumenti Scriptoribus placet. Neque mutare aut per Leges aut per Populum licuisset, siquidem altitudinem aquae cubitor. denor. & senor (teste *Herodoto* aliisque) mediocris messis constanter requirebat, ex qua ubertatem ejus colonus praevidebat.

Quumque porro *Nili* inundationibus agrorum limites haud raro disjicerentur, necesse est ut iis restituendis invariatas adhibuerint mensuras: hanc rem Episcopus *Cumberlandus* exemplo ab agris militum desumto his verbis illustrat.

„ Argumenti, inquit, vim melius sentiemus, si exemplum ex „ *Herodoti Euterpe* depromsero. Scribit ibi, milites quos, *Ægy*„ *pti* Reges in armis habebant, dignatione nobilissimo cuique „ mercatori praecellentes, vel in *Hermotybiis* vel in *Calasiriis* „ militasse; hos, 250000 numero, totidem in bello praetorianos „ fuisse milites, se suosque immuni agro, *Arouras* duodenas in su„ perficiem patente, sustentantes, singulis *Arouris* Cubitos cente„ nos in quovis latere, i. e. Cubitorum 100 quadratam aream continen„ tibus. Haec patria ratione expressurus, *Cairensi* Cubito sedula ma-

„ nu verſato, quem † partibus 1824 noſtrae pedalis menſurae *Grea-*
„ *viana* Tabula circumſcripſit, *Arouram* Pedes quadratos 33269,
„ 76 continere comperi, adeoque *Anglico* Acro multo minorem,
„ quod quadratos Pedes 43560 complectitur. *Arouras* itaque duo-
„ denas Pedes quadrati 399237,12 explent, quibus per numerum
„ Pedum *Acri* diviſis, *Acra* 9 cum partibus milleſimis 165, i. e.
„ cum *Acri* parte 10ª, centeſimis 6 &c. reſultant; quam portio-
„ nem apti ſoli ſuſtentando militi familiaeve abunde ſufficere, faci-
„ le cui vis adparet.

„ Cubitum primario breviorem militares eorum ſpiritus non tu-
„ liſſent. Major vel inter plebem vel inter eos milites ſeditiones
„ moviſſet, qui ultimas in diſtributione partes obtinuiſſent".

At Speciosa haec; vix ac ne vix quidem in animum inducere poſſum, quod poſt quamvis *Nili* inundationem agros de nuo metati ſint: ſed urgenti neceſſitati haud raro obtemperandum eſt.

Aſſertionem tertio loco exinde firmat, quod fieri nequit, ut ulla Gentium quae *Ægypto* imperavere, ſuarum menſurarum uſum introduxerit.

Babylonius enim 5 Palmorum aeque ac *Romanus* Cubitus & *Graecus* inſigniter a *Cairenſi* deficiunt, qui viciſſim a *Turcarum* Pertica (Pyke a πηχὺς dicta) longe abit.

Novam conjecturam maximae Pyramidis dimenſiones pariunt, quae hoc Cubito menſurata, rotundis quaquaverſus numeris circumſcribitur, id quod Architectum in tanti operis delineatione, rejectis fractionibus, conſilio intendiſſe putare debemus. „ Baſin magnae
„ Pyramidis quovis latere 693 Pedes *Anglicos* comprehendere, do-
„ cet nos *Greavius* Pyramidographiae pag. 68. Numero, quo re-
„ ducatur, per 1,824 (longitudinem Cubiti *Cairenſis* in noſtra pe-
„ dali menſura) diviſo, Cubiti *Cairenſes* 379, 934 prodeunt, a
„ 380 Cubitis adeo parum recedentes, ut hunc ipſum numerum ſi-
„ bi propoſitum habuiſſe vetus Architectus videatur. Nam ſi aſſu-
„ mamus *Greavium* in dimetienda tanta 700 Pedum longitudine non-
„ niſi 12 centeſimis a vero aberraſſe, lateri 693, 12 Pedes cedent,
„ qui per 1,824 diviſi, quotum 380 praeciſe Cubitorum faciunt.

„ Prae-

† Vide Greavii Tabulam de Pedibus, adnexam ejus Diſſertationi de Pede. Habet nempe Cairenſis Cubitus partes 1824, quales Pes Angl. 1000 complectitur.

„ Praeterea in memoriam redibam, *Greavium* p. 96, 97 faciem „ sepulchri externam in Pyramidis meditullio erecti, pedes nostros „ 7,296 longam facere, qui 4 praecise *Cairenses* Cubitos confici- „ unt, si per 1,842 dividantur".

Verum his rationibus, aut iis saltem conclusis, quorum probationem in illis Episcopus posuit, calculum adjicere nequeo. Magnae enim Pyramidis & ejus partium commensus brevior Cubitus rotundius & arctiori analogia servata exprimet, quam a Cubito Pollicum 21, 888 fieri observamus. Baseos latus 380 circiter Cubitos, Sepulchri quaternos continere, recte quidem ostendit Episcopus. Verum tot partium mensuras *Greavius* reliquit, ut unam earum alteramve omnis Cubitus integris prope numeris expressurus esse videatur. Argumenti igitur illius praecipua vis in eo posita est, quod in instruenda aedificii adeo conspicua parte Architectus ad 380 ut numerum excellentem spectasse videtur. Sed estne numerus suo quadrato 144400 adeo prae ceteris clarus? aut cur eo potissimum, qui ex 300 & 80 componitur, Pyramidis latus delectaretur? Mihi potius ad 400 Architectus in protendenda basi spectaverit, numerum revera rotundum, & praeterea talem, ut inde deductus Cubitus ad reliquos Pyramidis commensus multo melius quadret, quam hodiernus *Cairensis*.

Divide enim 693 numerum Pedum Baseos, per 400, Cubitum *Aegyptiacum* 1,7325 repperies †, breviorem Pede Episcopi, quem hoc modo praecipuis quibusdam dimensionibus conferes.

Greavius de tribus quadratis speluncis verba faciens, singulas Pedes 3,463 latas facit, qui per Cubitum 1,7325 divisi, reddunt 1,9988, numerum a duobus Cubitis 12 tantum decem millesimis partibus recedentem, ad quos proin Architectum respexisse crediderim. Contra numero 3,463 per *Episcopi* Cubitum (1,824) diviso, *decima parte* quotum 1,898 a 2 integris discrepare reperies.

Divide porro 6,87 Pedes, latitudinem porticus in *Pyramide*, per 1,7325, quotus 3,96 a 4 integris, ${}_{100}$ deficiet, dum sextuplo ($\frac{24}{100}$)

ab

† Quae de *Memphis* Cubito & *Judaeorum* differit in sequentibus Auctor, Neutono, ut opinor, debentur. Conscripsit ille de *Sacro Judaeorum Cubito, & de Cubito aliarum Gentium* egregiam sane & tanti viri acumine dignam Dissertationem, insertam *Greavii* operibus, nec non latino sermone Neutoni, quae Lausannae nuper & Genevae prodierunt, opusculis, Tomo 3.

ab iisdem quotus 3,76 differt, numero Pedum per 1,824 diviso proditurus.

Duo ex marmore polito sedilia 1 Pedem cum, 717 lata sunt; haec mensura a meo Cubito, qui est 1, 7325, 15 *millesimis* circiter differt, sed ab altero, 1,824, *decima* Pedis parte discrepat.

Semita inter duo scamna interjacens, pedibus 3,436 in latitudinem absolvitur; hi a numero 1,7325 duplicato, seu 3,465,.3 Pedis *centesimis* deficiunt, *Cairensi* Cubito, duplicato quoque, discrepantiam ad sextuplum adaugente.

Camerae marmoreae longitudinem latitudinis duplam, *Greavius* 34, 38 Pedum exhibet, qua ratione illa 20, haec 10 Cubitos adipiscetur, si Cubitum 1,7325 assumas.

A nostro Cubito hae mensurae non magis deflectunt, quam fabrilem pedem a vero in aedificiis aberrare hodie videmus.

Aegyptiorum proin Cubitum Pede *Anglico*, & 7325 partibus, sive 20,79 Pollicibus rationes nostrae absolvunt. Hunc *Aegyptiis*, tempore aedificatae Pyramidis usitatum fuisse, superius aperte satis demonstravimus. Habet se ad Cubitum *Cairensem* hodiernum ut 19: 20.

Secundum *Heronis Isagogen*, Pes regius *Aegyptius* aliter *Phileteraeus* dictus, ad *Romanum* sese habebat ut 6: 5: Cubito proin utroque eandem rationem servante, *Aegyptium* 20, 8872 Pollicum reperio, minus decima Pollicis parte ab eo diversum, quem per magnae *Pyramidis* commensus deteximus, unde illi haud levis auctoritas accedit. Iis tamen plurimum tribuens, quae ab Episcopo *Cumberlando* scripta in hanc rem esse reperio, Tabulas ad ejus mentem adornavi, licet aliis Cubitum *Aegyptium* 20, 79 Pollicum *Anglicorum*, decimalibus computatum, commendatum magnopere velim.

Judaeos, quod erat alterum, *Ægyptiorum* mensuris usos, nisi mox dicenda planum fecerint, vero saltem simillimum facient.

Quum per 200 circiter annos in *Aegypto* servitutem servierint, proprias habuisse mensuras omnino non videntur. *Moses* ad eos de mensuris verba faciens, oratione sine dubio ea usus est, quam plebejus quisque posset intelligere. Sic de *Ephah* sermocinaturus, supponit caeteros mentem suam perspectam habere.

Quin ipse *Ponderum* & *Mensurarum* scientiam, *Arithmeticam* & *Geo-*

& *Geometricam* tenuerit, dubitare nulla ratione licet. Accedit, quod *Ægyptiis* primus Rex *Misraim* pondera mensurasque certas eas constituerit, quas ab antecessoribus *Ham* & *Noah* acceperat, ex quo fonte ad totam *Abrahami* familiam defluxere. *Noachum* inter & *Josephum* vix anni 283 effluxerant, huncque, dum rerum potiretur, *Nilometrion*, Cubitis demonstratae magnitudinis distinctum, ordinasse opinantur.

Mensuras ex eo tempore aeque ac Pondera intemerata mansisse, vero est simillimum. At *Siclo* medio tempore usi sunt promiscue, qui duplex pondus denotans, sensum peperisset ex necessitate ambiguum.

Hebraeos Cubitum habuisse *Ægyptio* aequalem, contenti in utroque pari numero, Cubiti seni, nova probabilitate firmant. Neque ut illis diversos Cubitos largiatur, sacrarum paginarum auctoritate adducitur Episcopus. De alio enim Cubito verba facientes, rem semper adjuncto nomine planam faciunt, ut cum *Ogi* lectum hominis Cubito, non sacro, mensuratum esse dicunt.

Duo sunt praeterea loca, unde duplicem Cubitum inferunt †, *Ezech.* XL. 5. & XLIII. 13. „Enimvero *Ezechieli* scribenti, „dum captivus *Babylone* detinebatur, non poterat non in mentem venire, diversas ab *Hebraicis* mensuras, a *Judaeis* saepe ipsis usurpari, qui mensuras regni, in quo vivebant, tunc ex necessitate receperant; Templi proin futuri commensus traditurus monere necesse habebat, non *Babylonicis*, sed palmo longioribus „Cubitis rationes a se subductas esse.

Ejus quod nobis sumsimus novum argumentum illud est, quod populos orientales, granis hordei & Digitos & Palmos confecisse novimus: 6 scilicet granis transversis Digitum, 24 Palmum componebant. Sena illa mediae magnitudinis electa, longitudinem circiter 0,912 Pollicis partium faciunt, unde per supra stabilitam proportionem Cubitum Pollicum 21, 888 deducimus. Ab hac *Romanorum* & *Graecorum* magnitudines deflectunt aliquantum, quia assumtis pro arbitrio Cubito & Pede, minores mensuras has demum subdividendo constituerant.

Aram

† In manu illius viri calamus mensurae, sex cubitorum, ex cubito & palmo, &c. c. 43. 13. Hae vero sunt mensurae altaris iisdem cubitis, cubito unoquoque ex cubito & palmo, &c.

Aram *Ezechiel c.* XLIII. 13. eique parallelo XL. 5. Cubito metitur, qui Palmo ſuperat *Babylonium*, ubi captivi detinebantur *Judaei*; Palmum proin menſuram fuiſſe omnibus notam, exinde apparet. Porro ad propriorum Cubitorum cognitionem perducere eos Propheta voluit, qui *Babylonios*, Palmorum 5, ſingulis Palmis ſuperant.

Dicta probaturus Epiſcopus locum ex *Misne Chilaim cap.* 17 adducit, citatum olim ab *Aria Montano*, quo *Suſis* duplicem Cubitum, hunc Palmis quinis, illum ſenis, aſſervatum fuiſſe edocemur. Hos etiam *Herodotus* in *Clione* diſtinguit, quum dicit, Muros *Babylonis* Cubitos 200 in altitudine habuiſſe, regiosque Cubitos δακτύλων trium (totidem forſan Pollicum) reliquos ſuperaſſe.

Dum muri menſuras, templum exterius cingentis, traditas a *Joſepho* & a *Talmudis* interpretibus, cum Stadiis *Hebraicis* atque *Romanis*, Cubitorum 400 & 500, conferebat *Jacobus Capellus*, *Hebraicum* Cubitum ad *Romanum* in ratione 5: 4 eſſe edoctus eſt.

Contra, *Attico* Cubito *Hebraicum* a *Joſepho* videmus exaequatum, qua in re, ut in aeſtimandis nummis fecerat, *Rabbinis* ex adverſo ſtat. *Abulfedem Hamathi* in Oriente Regem, haud longe a *Judaea* diſſitae civitatis, hominem in disquirendis ponderibus menſuriſve mirifice ſibi placentem, *Kircherus* dixiſſe refert, *Hebraeorum* legalem Cubitum *Ægyptio*, Digitis 24, eſſe aequalem.

Hebraicum Cubitum *Rabbi Gedaliah* Ulnae contulit *Bononienſi*; ex cujus leviſſime ſubductis rationibus *Hebraicum* Cubitum Pollicibus 21, 735 Epiſcopus elicuit, ab illo qui ipſi placet vix decima Pollicis parte deficientem.

Dictis ſymmetria accedit. Menſam panum propoſitionis noſter Cubitus, ad Pollices 32, 832 attollit, quam ſesquicubitum altam accepimus, cum ad veterem *Romanum* Cubitum non ultra Pollices 26, 109 adſcendat, quae eſt menſae nimia humilitas.

Noae Arcae ad Cubitum 18 Pollicum excitatae capacitas parvo exceſſu dimidiam capacitatem ſuperabit, quam Cubito 21, 888 Pollicum adipiſceretur.

De his Epiſcopi *Cumberlandi* ratiociniis, quibus, ut unicum *Judaeis* Cubitum Pollicum 21, 888 concedat, inducitur, legentes ex arbitrio conſtituent. Nobis quidem manifeſtum videtur, duplicem eos Cubitum, Sacrum habuiſſe atque Profanum ſive vulgarem

rem. Legimus enim Deut. III. 11. *Ogi* lectum novem Cubitos longitudinis, quatuor latitudinis habuisse, ad mensuram Cubiti virilis manus. *Ezechielis* quoque calamum mensurae 6 Cubitorum & Palmi fuisse, scriptum est *Ezech. cap. XL.* 5.; hinc clare apparet, magnum Cubitum, qui calami longitudinem explebat, Palmo vel 3 Pollicibus superasse vulgarem. Cum his consentiens *Herodotus*, *Babylonis* muros 50 Regios Cubitos in latitudinem, & 200 in altitudinem protendi asserit, hisque addit, a Regio Cubito vulgarem 3 δακτύλοις deficere; quos cum pollices interpretor, *Herodoti Babylonium* cubitum, cum sacro *Ezechielis* convenire reperio.

Vulgarem cubitum 6 Palmis aut 18 Pollicibus constitisse, a nemine in dubium revocatur, quae ratio Sacro 7 Palmos sive 21 Pollices attribuit. Quadrat ad hunc, qui ex *Pyramide* deducitur, a Pollicibus *Anglicis* 21 vix 21 partibus Pollicis 100^{is} discrepans: mulcta hunc 7^{a} sui parte, seu a 20, 79 substrahe 2,97, profanum Cubitum 17, 82 Pollicum habebis, a nostro, quem 18 Pollicibus absolvimus, 12 tantum centesimis pollicis partibus discrepantem.

Neque est quod dubitemus, hunc ipsum Cubitum *Attico* esse a *Josepho* exaequatum, cui ad aequalitatem vix tres Pollicis decimae desunt. Cubiti partes, Spithamam, Palmum, Digitum, a Cubito minore pollicum 17, 82 deductas, decimalibus Tabulis intuli; Mensuras vero pedales majores ad Sacrum ordinavi, etsi parum certo constat, utro plurimum usi sint *Hebraei?* Praeter Cubitum sive *Ammah*, longitudinum ratiocinia mensuris adhuc binis expediebant, a membris corporis humani desumtis, scilicet,

Tophach, Cubiti 6ta parte, quem [a] Palmum LXX interpretantur.

[b] *Zereth*, medio Cubito; a LXX σπιθαμὴ transfertur.

Cubitum *Josephus* 2 σπιθαμαῖς absolvit.

Goliathum 6 Emoth & *Zereth* altum, LXX ἐξ πήχεων καὶ σπιθαμῆς, i. e. 6 Cubitorum & Spithamae, qui faciunt *Anglicae* mensurae, 11 Pedes & 10 Pollices.

Σπιθαμὴν LXX & alii verbo *Gomed* adplicant.

[d] *Ka-*

a Psalm. 39. 1 Reg. 7. Ezek. 40 43. b Exodi 28, 39. 1 Samuel 17. Ezek. 43. Isaiah. 40. c Judic. 3.

[d] *Kaneh*, unde forsan Latinum *canna*, LXX κάλαμον, decempedam reddunt, 6 Cubitorum plerique.

Pathil & [e] *Chebel* LXX σχοινίον γεωμετρικόν, sive *Schoenum* interpretantur, mensuram pedalem, 80 forsan Cubitorum.

Milliaria [f] a *Romanis* mutuati sunt, quae *Hebraice* plerumque per *Berath* transferuntur.

[g] *Parasanga Persis* usitata, 30 *Stadiis* efficitur.

Iter diurnum *Sabathi*, quod spatio inter Arcam Foederis & *Israelitarum* castra, aequale fuisse creditur, 2000 Cubiti finiebant: per hoc spatium adorandi causa iter facere licebat. *Origeni* ad 3000 Cubitos protenditur.

Iter diurnum incertae Veteribus mensurae fuit. Hoc Milliaria *Italica* vicena, quemadmodum in Lege Civili *de excusatione Tutelae*, complectebatur. *Herodoto Stadia* 200, seu 19 circiter *Milliaria* continent.

Idem de mansionibus Regum *Persiae* verba faciens, 150 *Stadia*, 17 circiter Milliaria, quovis die percurrere eos scribit. Ingentia itinera diurna passim memoriae prodita sunt. *Julium Caesarem* [h] 100 *Milliaria* in singulos dies conficere solitum fuisse accepimus.

Curio [i] *Caesaris* Tabellarius, cum literis, 3300 triduo *Stadia* emensus est, i. e. 377. Milliaria *Anglica*.

Diurna aliqua itinera, inter prodigia celeritatis *Plinius* numerat; *Anistis* v. g. cursor *Lacedaemonius*,[k] & *Philonides Alexandri* M. a *Sicyone Elin* uno die 1200 Stadia, seu 137 Milliaria cucurrerunt.

[l] *Tiberius Nero* nocte ac die 200 Milliaria 3 vehiculis emensus est, quum ad *Drusum* fratrem aegrotantem in Germania festinaret.

Rhedis rudibus admodum atque levibus Veteres utebantur [m], quas ipsi intus insedentes promovebant. Earum effigiem vetusta quaedam ad nos marmora transmisere.

Cursum navis diurnum 700 *Stadiis Herodotus* [n] absolvit, i. e. 84½ Milliaribus *Anglicis*. Nocturnum vero 500 finiunt, i. e. 70½ Milliaribus:

d Ezek. 40. e Zakar. 2. f Genes. 35. 47 & 48. g Herodotus l. 6. h Suetonius in Caesare. Centena passuum millia in singulos dies rheda meritoria expeditus conficere solitus est. i Appianus l. 2. Bellor. Civil. k Plinius l. 7. c. 20. Donec Anistis cursor Lacedaemonius, & Philonides Alexandri Magni a Sicyone Elin uno die 1200 Stadia cucurrerunt. l Tiberium Neronem nocte ac die longissimum iter tribus vehiculis emensum, festinantem ad Drusum fratrem aegrotantem in Germania. m Vide Montfaucon Tom. 4. n Herodotus lib. 4.

ribus: his additis, 24 horis ſpatium 155 Milliarium *Anglicorum* emetiremur, quod nimium videtur.

Salomonis Claſſis aurum ex *Tarſi* quaeſitura, triennium in itinere conſumſit, unde tardiſſimas fuiſſe onerarias naves adparet, id quod ipſa fabrica confirmat; omnes enim vel teretes erant, vel rotundae.

Enimvero ipſa, quae recenſuimus, itinera monent, ut *Romanorum* vias & pontes luſtremus, Tabulas huic quoque rerum generi adplicaturi.

Publicae *Romanorum* viae, ſi earum & longitudinem, & ſolidam immenſique ſimul ſumtus fabricam ſpectemus, Majeſtatis Imperii Romani prae ceteris inſignia argumenta ſunt. A *Milliari Aureo*, ſeu primo in media *Roma* poſito lapide, tanquam e centro prodeuntes, ad ultimos uſque Imperii limites protendebantur. Per plurium Milliarium ſpatium plus uno loco, prope *Fundos* urbem, integra adhuc *Appia* via, licet ante 2000 abhinc annos excitata, manet. Neque id mirandum, ſi ſtructuram conſideres. *Montfaucon* in locum lapidibus nudatum *Velitras* inter & *Sermonettam* ſe incidiſſe ſcribit, quo ad contemplandam fabricam commode adjutus eſt. Aſpera ſaxa, tenaciſſima calce conſolidata ſubſtructionis loco ſunt: his lapillorum ſtratum interſperſa arena ita ſuperimpoſuerant, ut defixi in infimi ſtrati ſeu ſaxorum cavitates lapilli omnes ſinuoſitates exaequarent. Quod ingenioſe excogitatum eſt, cum vix, niſi duplex ſtratum, temporum injuriis reſiſtere valeat. Totus agger 3 circiter Pedes *Pariſinos*, ſeu 3 Pedes *Anglicos* cum $2\frac{1}{2}$ Pollice craſſus eſt.

Viatorum in gratiam vias excitatis ſubinde utrimque ſemitis, in $1\frac{1}{2}$ pedis altitudinem, duorum in latitudinem porrectis, includebant. Qua in re eorum commoda ſpectaſſe videntur, qui equum conſcendere cupiebant; quibus adminiculis ex neceſſitate ſubinde, ignotis tunc temporis ſtapedibus, utebantur. Militaris viae inter ſemitas latitudo 14 fere pedum erat, quo ſpatio dato facile duo currus junctis lateribus tranſibant, cum plurium uno tempore concurſus raro illa aetate extimeſcendus eſſet. Haec fuit viarum in *Italia* fabrica. Aliis vero in locis, ut in *Galliae* parte, quam *Belgicam* vocabant, latiores, hunc fere in modum muniebantur. Foſſam inter duos ſulcos parallelos depreſſam ſolida materia replebant, eaque arietis ope arcte compreſſa, conſolidatam fabricam, quo ab in-

inundationibus tuta esset, in locis palustribus vel ad 20 Pedum altitudinem attollebant. Via saxorum & lapidum vivorum sibi invicem superimpositis stratis assurgebat, tam firmiter conjunctis, ut tot saeculorum impetus compagem illam neque separare, neque diffringere valuerint. Hanc uno alterove articulo structuram, prout id vel soli vel materiae natura postulare videbatur, immutabant.

Diversoria quoque opportunis in locis ad excipiendos viatores exstruxerant.

Hanc mihi digressionem, directe licet cum proposita tractatione non cohaerentem, omittendam tamen non putavi.

Ut viatorum securitati & commoditati, apud gentem inprimis commerciis deditam, prospiciatur, Reipublicae rectorum praecipua cura esse debet. Summos quippe sumtus in eorum operum firmitate & soliditate collocare, summa est frugalitas.

Ut viarum apud *Romanos*, ita & pontium admirabilis structura fuit. Eorum quosdam refectos hodiedum consistere videmus; quae vero de caeteris restant, totidem sunt magnifici operis praeclara monumenta. Illum inter tot alios adduco *Narniensem* pontem, *Romam* inter & *Laurettam* positum, quem *Augustus* construxisse creditur. Duos montes conjungit, quos *Narnus* interfluit. Pons 4 fornicibus compositus, per spatium 636 pedum hodiernorum *Romanorum*, sive 583 *Parisinorum*, seu 622½ pedum *Anglicorum* procurrit. Fornicum dimensiones *Anglicis* mensuris sic exprimes. Primus fornix 109 pedes altus est, dum ejus columnae 72½ pedibus a se invicem distant. Columnae secundi fornicis 130, tertii 109, quarti 138 pedum intervallum servant.

Pontem, quo *Trajanus Danubium* constravit, aliter descriptum, aliter *Trajanae* columnae incisum accepimus, dummodo eundem Scriptor & Sculptor intenderint. *Viginti* apud *Dionem* saxeis columnis innititur, 150 pedes supra substructionem altis, & 60 latis, quarum quaevis fornice e saxis candidis 170 pedes amplo conjunguntur. Cum vero solum palustre, fluminisque propter loci angustias summam rapiditatem, & locorum omnem naturam considero, quae dum pons excitaretur, flumen alio diverti non patiebatur, summa me ejus operis admiratio capit.

Mirae fabricae pontem, *Rheno* injectum, *Julius Caesar* in suis *Commentariis* descripsit, variis admodum figuris ab *Architectis* exhibitum.

Pon-

Pontem Vardi, vulgo *Pont du Gard* vocatum, tribusque horis a *Nemauso* dissitum, novum magnificentiae pariter ac elegantiae *Romanae* argumentum habemus. Componitur tribus columnarum ordinibus. Infimae columnae sursum productae, reliquas suffulciunt, apertumque viatori iter relinquunt. Infimus ordo 6 fornicibus, medius 11, summus 35, omnium minimis, distinguitur. Ad tantam altitudinem aedificium attolli necesse erat, quia Aquaeductui simul inservit. Infimus fornicum ordo 438, alter 746, tertiusque 805 pedum spatium occupat. Pons totus saxeus ad altitudinem 182 pedum assurgit, lapidibus transverso ferro invicem junctis.

Veteris *Brivatis* in *Arvernis* pons, doctissimo de *Montfaucon* memoratus, unam tantum fornicem habet, cujus columnae 195 pedibus distant: ab aquae superficie ad verticem 84 pedes numerantur.

Norbae Caesareae seu *Alcantarae* in *Hispania Tagi* pons, *Trajani* principatu exstructus, 670 pedes longus, 6 fornicibus componitur, 84 pedes latis. Columnis quadratis, 28 circiter pedes crassis insistit, eminetque 200^tis in altitudinem, & 28 in latitudinem pedibus.

Pontonibus quoque pontes insternere didicerant. Sed haec in transitu dicta sunto.

Redeamus itaque ad propositum; Mensuras nempe distantiarum, quibus Tempus quoque accensebimus. *Horam Romani*, tanquam *Integrum* consideratam, in 12 partes, ut antea *Assem*, dividebant. Qui ad haec non attenderet, mire loco illo *Pliniano* torqueretur, quem legimus *lib.* 2. *c.* 14; his verbis; *Lunam semper aversis a sole cornibus, si crescat, ortus spectare: si minuatur, occasus, haud dubium est. Lucere dodrantes semuncias horarum ab secunda adjicientem usque ad plenum orbem, detrahentemque in diminutionem. Intra quatuordecim autem partes semper occultam esse.*

- Per *Dodrantem* 3 horae *quadrantes*, per *Semiunciam* 24 partem intelligit; hae junctim $\frac{19}{24}$ horae partes constituunt: Mens itaque auctoris haec est, lunam cum a *Novilunio* emergit, primo die $\frac{19}{24}$ horae partes lucere, & tantundem incrementi singulis diebus ad Novilunium usque adjicere; eademque ratione tempus lucendo decrescere.

Porro *Plinius lib.* 8. *cap.* 32. de luna ita scribit. *In coitu vero quod interlunium vocant, cum apparere desierit, supra terram au-*

tem erit quamdiu & ſol, interlunio & prima tota die, ſecunda horae noctis unius dextante Sicilico: ac deinde tertia usque ad quintam decimam, multiplicatis horarum iisdem portionibus: quintâ decimâ tota ſupra terras noctu erit, eademque ſub erris tota die; decima ſexta ad primae horae nocturnae ſextantem Sicilicum ſub terra agit, ejusdemque portiones horarum per ſingulos dies adjicit uſque ad interlunium, & quantum primis partibus noctis detraxerit quod ſub terris agat, tantundem noviſſimis ex die adjiciet ſuper terram.

Facile hunc locum intelliget, qui meminerit, *dextantem horae*, uncias denas, ſeu horae $\frac{5}{6}$ partes, *Sicilicum*, unciae quadrantem, ſive horae partem 48^am^ deſignare, ut ſumma quadraginta una quadrageſimis octavis partibus prodeat. Horum locorum ſenſum exhibui, *Aſtronomiam* miſſam facio.

Diem *Romani* naturalem ita dividebant.

Pars prima vocabatur *mediae noctis inclinatio.*

Secunda, *gallicinium.*

Tertia, *conticinium*, gallis canere deſinentibus.

Quarta, *diluculum.*

Quinta, *mane.*

Sexta, inter mane & meridiem interpoſita erat.

Septima, *tempus occiduum*, ſubinde *ſuprema tempeſtas*, ſolis occaſu finiebatur.

Octava, *veſpera*, ab *Hespero* ita dicta eſt.

Nona, *prima fax.*

Decima, *concubia.*

Undecima, *intempeſta*, quia non habet tempus idoneum rebus agendis.

Noctem veteres 4 quoque φυλακαῖς, ſeu *vigiliis* componebant, quarum in novo Foedere crebra mentio. Romani eas in caſtris *caſtrenſes vigilias* vocabant, quas ob noctium inaequalitatem, inaequales quoque fuiſſe neceſſe eſt.

CA-



CAPUT IX.

De Mensuris Cavis.

ROMANORUM.

Proportiones Mensurarum porrectarum, cavarum atque Ponderum, tanta cura *Romani* expressas reliquerunt, ut una data caeteras nullo inde negotio inferre possis. Sic cognito semel Pede *Congium* definiemus, quia *Amphora*, cujus octava *Congium* efficit, cubum quovis latere pedalem replet. *Congius* ipse dimidii pedis cubus est. Cognita itaque vel *Amphora* vel *Congio*, neque latus nos fugere posse apparet. Quum porro *Congius* aquae pluvialis Pondo *Romana* 10, *Amphora* Pondo 80 contineret, Mensurae aut *Congii* aut *Amphorae* detectae, ad cognitionem *Librae Romanae*, *Unciae*, & *Denarii* nos perducent. Verum experimenta parum diligenter instituta, Prototypi forsan ipsi incuriosius fabricati, in causa sunt, ut collatis invicem Mensuris cavis, porrectis & Ponderibus, ad unius rationem exactae reliquae, invicem omnino non conveniant.

Pedis 11, 604 pollicum antea stabiliti cubus 1562, 5112, *Amphoram* in pollicibus solidis exhibet, cujus 8ª pars, 159, 3139 *Congio* pollices relinquit.

Villalpandus expertus est, *Congium Vespasianum*, aqua repletum, 52560 *Troy* grana ponderare, quae pollice cubico expressuri, recordari debemus. Aquae pluvialis pedem cubicum *Anglicum* 76 libras *Troijenses* gravem deprehensum esse, seu (pede pollicibus, libra granis expressa,) 1728 pollices solidos grana 76. 5760 pendere: hos numeros si cummuni divisore (576) dividas, tres pollices cubicos aquae pluvialis, 760 *Troiensia* grana pendere reperies. Enimvero *Congius* granis aequiponderat 52560; capacitatem proin proportio sequens exhibebit, ut 760 grana : 52560 grana, ita 3 pollices cubici : 207, 4737 pollices cubicos, quos *Congius* continet.

tinet. Superat haec summa eam quam *Pes* exhibet pollicibus cubicis 12, 1598, facitque pedem 11,84 pollicum, quinta circiter pollicis parte ab eo diversum, quem in Tabulis stabilivi, unde haud mediocris in cubis exoritur differentia. Enimvero ut recte eruditus monet Episcopus, ad quem toties rejicimur, non receptam antea longitudinem, in constituendis Mensuris cavis, sed pondus potissimum contenti liquoris, secuti videntur *Romani*, quo omnia quoque sua vasa descripsere. Si enim pedem cubicum principem inter Mensuras cavas ab initio elegissent, & ex eo *Congium*, partem octavam, & cubum pedis dimidii, *Geometrica* progressione elicuissent, eadem via progressuri, *Congium* partibus quoque octonis, potius quam senis fuissent efformaturi, dubium nullo modo est, quin ita singulos Palmos cubicos, mensuras *Romanis* notissimas, singulae suboctavae partes comprehendissent.

Hanc rationem *Anglica* Mensura, *Gallon* vocata, quamque *Congio* eo respectu substituimus, servavit, suboctavam partem *Pintam* habens. Ex dictis itaque abunde manifestum fit, *Amphoram* ad *Pedem*, & *Congium* ad dimidium pedem, rationem cubicam temere obtinuisse, initio consilio nullo proposito, licet postea *Amphoram* cubi latere descripserint *Latini*, ut apud *Rhemnium Fannium*,

Pes longo spatio latoque notetur in anglo,
Angulus ut par sit, quem claudit linea triplex;
Quatuor ex quadris medium cingatur inane,
Amphora fit Cubus.

id quod ita intelligendum, *Amphora sic formatur, ut ejus capacitas lineas quatuor habeat rectas aequales, pedem longas, quatuor angulos rectos, in quorum quemque tres lineae longa lata & alta conveniunt, efficiaturque figura quadrata, quam Graeci κύβον hoc est, cubum vocant.*

Servata itaque analogia inter *Congium* & *Libram Romanam*, antea 5245 $\frac{5}{7}$ granorum *Troiensium* repertam, pondus *Congii* hic numerus per 10 multiplicatus, 52457 $\frac{1}{7}$ granorum exhibebit, quo triplicato & per 760 diviso, cubici pollices 207, 0676 prodibunt, quos in Tabulis quoque *Congius* capit, capacitas ab illa *Villalpandi*

pandi vix dimidio pollice cubico diverſa. Doloſa admodum ſunt experimenta quibus aquae pondus indagatur; idem aquae volumen hieme 474 grana, aeſtate 470 tantum ponderare, expertus eſt *Hombergius*.

Vas 6am *Congii* partem, ſeu Librae *Romanae* $\frac{1}{6}$ partes, i. e. Uncias vicenas continens, *Sextarium* dixere; duabus hic *Heminis*, quatuor *Quartariis*, ſingulis Unciarum 5, & 12 *Cyathis* componitur, ſecundum *Voluſii Maetiani* inclyti Jurisconſulti diſtributionem, quo cum vetuſtiores etiam Scriptores conveniunt. Neque ſuperiorum proportionum probatio hoc loco omittenda eſt, quam duorum *Siliorum* Plebiſcitum, *Greavio* memoratum, in integerrimis quoque *Sexti Pompeii de ſig. verb.* editionibus conſervatum, ſuppeditat.

VTI. QAVDRANTAL. VINI. OCTOGINTA.
PONDO. SIET.
CONGIVS. VINI. DECEM. IS. SIET.
SEX. SEXTARII. CONGIVS. SIENT. VINI.
DVO. DE. QVINQAGINTA. SEXTARII.
QAVDRANTAL. SIENT. VINI.
SEXTARIVS. ÆQVVS. ÆQVO. CVM.
LIBRARIO SIET.

Congius Veſpaſiani ſuperſtes duas litteras P. X. inſcriptas habet, denotantes *Pondo decem.*

Majorem *Romani Culeo* vel *Culleo* menſuram pro liquidis non habuerunt, qui *Amphoras* vicenas complectebatur.

Eſt & bis decies quem conficit Amphora noſtris
Culleus: hoc nulla eſt major menſura liquoris.

Rhemn. Fannius

ubi pro *noſtris*, *noſtra* legi debere eſt indubium. *Plinius* [a] ſeptenos *Culleos*, 140 *Amphoras* interpretatur, ait enim, *quando ſaepenumero ſeptenos culleos ſingula jugera, hoc eſt, Amphoras centenas quadragenas muſti dedere. Quadraginta* etiam *Vrnis Romanis* Culeum componunt, dimidiam enim *Amphoram Vrnam* nominant.

Columella ſcribit *l.* 3. *c.* 3. ut deterrimi generis ſint vineae, tamen *Cu-*

a Plinius l. 14. c. 4.

Culeum Nummis 300, seu *Denariis* 75 venire, quo *Anglica* ratione translato, *Gallones* 143 cum Pintis $3\frac{1}{2}$ aestimandae venient l 2. s. 8. d $5\frac{1}{4}$, seu Pintae singulae dimidio circiter Penningo.

Culeum 160 quoque *Congii*, seu 960 *Sextarii* conficiebant. Memorantur & *Dolia Culearia* & *Sesquiculearia*. Haec amplissima fuisse oportet, mensuras enim, *Hogsheads* dictas, continent fere $3\frac{3}{7}$, & nostras hac ratione Fistulas, (vernaculo sermone *Pipes*), capacitate superant. *Culeus* [b] saccum quandoque coriaceum significat.

Amphora a *Graeco* ἀμφιφορεὺς, *Iliad.* 23. *Odyss.* 9. per syncopen ἀμφορεὺς, a duobus manubriis, quibus portabatur, ita dicta est. *Culei* hanc esse 20am partem jam ante diximus.

Quadrantal idem quod *Amphora*, *Festus Pompeius* a contento dici voluit. *Quadrantal Antiqui vocabant, quam ex Graeco Amphoram dicunt: quod vas pedis quadrati, quadraginta octo sextarios capit.*

Ceramium, κεράμιον, itidem *Amphoram* denotans, quasi vas fictile esset, ita dictum est. *Diosc. lib.* 5.

Amphorae Columella haud raro *Cadum* [c] substituit. Vocabatur quoque μετρητὴς Ἰταλικὸς, quo ab *Attico* distingueretur, teste *Diosc. lib. 5. de vino Scillitico.* *Amphorae* exemplum *Jovi* sacrum, in Capitolio asservabant, quod *Amphora Capitolina* dicebatur.

——— *Quam ne violare liceret*
Sacravere Jovi Tarpeio in Monte Quirites.

Rhemn. Fannius.

Cato de re rustica cap. 57. familiae in annos singulos, *Quadrantalia* seu *Amphoras* 10 viritim, dari jubet, id est 71 Gallones, 8 Pintas; adeoque plus sesqui Pinta in diem.

Urna, ab *urinando*, ait *Varro*, *quod in aqua haurienda urinat, hoc est mergitur ut urinator.* *Culei* 40am, *Amphorae* dimidiam partem efficit, ut apparet ex *Columella lib.* 3. *cap.* 3. & *Volusio Maetiano*. De vineis ibidem *Columella* verba facit, 600 quotannis musti *urnas* jugeratim reddentibus, quo calculo singula nostra *Acra* mensuras $54\frac{1}{3}$ (Hogsheads) redderent.

Amp-

b l. 43. ff. de Pignor. act. Titius pecuniam mutuam accepit a C. Sejo sub pignore Culleorum: istos Culleos cum Sejus in horreo haberet, missus ex officio annonae centurio, Culleos ad annonam transtulit. c Si in vetustatem servare voles, Cado duarum urnarum quam optimi vini sextarium addito.

Amphorae octantem, *Urnae* quadrantem, *Congium* dixere, 6 *Sextariis* constantem, quos nomen ex eo ipso traxisse putant *Cato* & *Galenus*. *Anglica* mensura *Congius* pollices cubicos 207,0676, seu 7 Pintas redundantibus 4,942 pollicibus cubicis continet.

Ciceroni filio a *Tergilla* objectum fuisse refert *Plinius lib.* 14. *cap.* 22, quod binos vini *Congios* simul hauriret, unde *Bicongius* dictus est. Conficiunt autem duo *Congii* plus 7 Quadrantibus (*Quarts*). Idem scripsit, *Novellum Torquatum Mediolanensem* 3 Congios, seu 2 Gallones 6½ Pintas, uno impetu bibisse, spectante Imperatore *Tiberio*, unde *Tricongius* dici meruit; incredibilia narrata.

* *Saturnalibus* & *Compitalibus Cato* singulis servis *Congios* in diem dabat, seu 7 *Pintas*, & 4, 942 pollices cubicos.

Narratur & prisci Catonis
Saepe mero caluisse virtus.

ait *Horatius*.

A *Congio Congiarium* dictum est, munus quod amicis vel populo Imperatores aut Magistratus *Romani* data occasione largiri solebant. Nomen exinde accepit, quod *Congii* vini aut olei singulis initio dabantur; mansitque vetus appellatio, licet illis nummaria munera substituerentur, cujus in hoc libro plura occurrent exempla. *Ancus Martius* [d] salis Modia 6000 in Congiario populo dedit, qui faciunt 188 Quadrantes (Quarts) & 5 Peckos.

Lucullus ex *Asia* reversus, ultra centum *millia Cadorum congiarium divisit*, ut refert *Plinius lib.* 14. *c.* 14. Pro *congiarium Budaeus congiariorum* legit, & *Cadorum congiariorum* interpretatur *Cados Congii*, seu sex *Sextariorum* capaces. *G.* vero *Agricolae Congiarium Cadorum*, *Congiarium* est totidem *Cadis* constans, quos populo *Lucullus* divisit, *Cado* sua mensura manente.

Apud *Quintilianum* [e] est, *Augusti Congiaria Heminaria* ob exigui-

* Cato de re rust. c. 57. d Plin. l. 31. c. 7. Ancus Martius quartus Rex Romanorum salis modia Sex mille in Congiario dedit Populo. e Quintilianus l. 6. c. 4. Fabius Maximus incusans Augusti congiariorum, quae amicis dabantur, exiguitatem, heminaria esse dixit. Nam Congiarium cum sit commune liberalitatis atque mensurae, a mensura ducta imminutio est rerum.

guitatem dicta esse, allusione ad *Heminam* facta, quae *Congii* 12ª pars. Dedit tamen haud pauca, quae hoc nomen non merentur.

Munera militibus ab Imperatoribus dari solita, *Donativa* dicebantur. *Populo congiarium, militi donativum proposuit*, ait *Suetonius* in *Nerone*. *Metelli* triumpho vini *Congius Asse* venibat, adeoque singuli nostri *Gallones* paulo plus Farthingis tribus.

A *Congio* est *Congialis*, quod *Plautus* adhibuit, ut *Fidelia congialis*, quod vas est *Congii* capax.

Sextarius non liquidorum solum, sed & aridorum mensura erat. Differebant inter se *Congius Castrensis* & *Urbicus*.

Sextarius Urbicus pro liquoribus, erat *Amphorae* 48ª, *Urnae* 24ª, *Congii* 6ª pars, unde etiam nomen traxit. Recipit hic *Sextarius* 2 *Heminas* sive *Cotylas*, ut apparet ex his *Rhemnii Fannii* versibus.

At Cotylas, quas si placeat dixisse licebit
Heminas, recipit geminas Sextarius unus.

Eum quatuor quoque *Quartariis* componunt, qui *Heminarum* dimidiae partes sunt, ut apparet ex *Volusio Maetiano*. *Quartarii* appellatione ad *Sextarium* spectarunt, cujus ille quarta pars est. *Sextarium* 8 quoque *Acetabula* conficiunt, ut liquet ex *Plinii lib.* 21. *cap. ultimo*.

Sextarium ut *Assem* partiebantur; *Uncia*, *Sextans*, *Quadrans*, *Triens*, *Quincunx*, *Semis*, *Septunx*, *Bes*, *Dodrans*, *Dextans*, *Deunx*, totidem *Cyathos* designabant, *Sextarii* 12ªˢ partes.

Tot veteres *Cyathis* amicos vel amicas in conviviis bibere solebant, quot litteris cujusvis nomen constabat.
Ita *Mart. lib.* 1.

Naevia sex Cyathis: septem Justina bibatur:
Quinque Lycas: Lyde quatuor: Ita tribus:
Omnis ab infuso numeretur amica Falerno.

Item *lib.* 5.

Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni.

Duo *Sextantes*, *Sextarii* $\frac{2}{6}$ partes seu 4 *Cyathos* conficiebant.
Au-

Augustum Caesarem quoties largissime se invitaret, senos *Sextantes* sive *Sextarium*, qui vix Pintam superat, non excessisse, aut si excessisset, rejecisse, auctor est *Cornelius Nepos.*

Sextarium castrensem urbici duplum fuisse, *Agricola* ex loco *S. Hieronimi* in *Ezechielem* colligit. Ab hoc *Sextario castrensi* usitatum nobis proverbium * (A Soldiers bottle), originem forsan traxit.

Dimidium *Sextarium Heminam* dixere, teste *Aulo Gellio lib.* 3. *c.* 14. Componitur 2 *Quartariis*, 4 *Acetabulis*, 6 *Cyathis*, 24 *Ligulis*, ut videre est in *Volusio Maetiano. Hemina* subinde *Graeci* utuntur, ῥωμαϊκὴν addere soliti aut ἰταλικήν.

Quartarius, quarta erat *Sextarii* pars, ut jam vidimus.

Acetabulum, dimidius *Quartarius*, ab aceto nomen accepit, ad imitationem *Graecorum*, quibus ὀξύβαφος vel ὀξύβαφον audit; erat enim initio *vasculum, quo acetum ad embamma, intingendi gratia, apponebatur*; unde ad mensuras liquidorum est translatum.

Cyathus, Sextarii 12ª pars, dictus est a χύειν, *fundere.*

Ligula, alias *Lingua* dicta, primo cochleare denotavit, postmodum a Medicis *Latinis* pro mensura 48am *Sextarii* partem continente, est adhibita. *Columellae lib.* 12. *cap.* 21. *Cyathi* 4ª pars est.

Cochlear, *Cochleare*, & *Cochlearium*, saepius mensuram *Ligulae* aequalem denotant. Iis & *Plinius* & *Columella* utuntur.

Romani Libram quoque *mensuralem*, *Graecis* λίτραν μετρικὴν dictam, & a λίτρᾳ σταθμικῇ seu *Libra ponderali* diversam habuerunt. *Uncias* recipiebat 12, cum ipsis *Assis* divisionibus. *Cornea* plerumque fuit mensura, 12 lineis in totidem uncias distributa, unde *Galeno* κέρας μετραῖον, *cornu mensurale* audit. *Mensuralem* Libram *Galenus lib.* 6. *de composit. medicam.* Olei 10 *Uncias*, vini 11 *Uncias*, 2 *Scripula*, *Obolum* 1, *Siliquam* 1, Librae ponderalis, pendere scribit. Olei inter se & vini pondera veteres fere rationem 9: 10 tenere crediderant, a nostra diversam quidem, forsan tamen recte in calidioribus terris sese habentem, cum aëris calore oleum magis quam vinum expandatur. Proportionem eam allata quoque pondera

* *A Soldiers bottle*, seu militis lagena, significat mensuram multo majorem quam caeteri sibi sumunt.

dera curate ſequuntur. 11 enim Unciae, 2 Scripula, 1 Obolus cum 1 Siliqua, faciunt 1600 *Siliquas*; 10 Unciae conſtituunt 1440 *Siliquas*, qui numeri per 160 diviſi, rationem 9 : 10 produnt. Vini pondus hoc, a *Galeno* deſcriptum *Libram menſuralem* poll. cub. 19,085 facit, noſtrae Pintae 3 quartis partibus, qua vinum metimur, paulo minorem. Quia vero parum ſibi conſtitere *Romanae* menſurae, Unciis initio duodenis exornaſſe *Libram* videntur; ut pollices cubicos 20,612 adipiſceretur, ſummam ab illa nonniſi 1 pollice & ,527 partibus differentem.

De ROMANORUM *Menſuris Aridorum.*

MODIUS, *Plinio* nonnunquam *Modium*, a *modus* derivatus, menſura erat pro menſurandis rebus aridis. *Amphorae* vel *Quadrantalis* tertiam partem fuiſſe, eſt apud *Voluſium Maetianum.* Quemadmodum vero *Modius Amphorae* tertia pars, ita haec *Medimni* dimidia fuit. *Rhemnius Fannius* ita de *Amphora* ſcribit.

Hujus dimidium fert Urna, & ipſa Medimni
Amphora, terque capit Modium: Sextarius iſtum
Sexdecies haurit.

Triticum *Gallicum* atque e *Cherſoneſo* advectum omnium leviſſimum fuiſſe, ſcribit *Plinius lib.* 18. *cap.* 7. de pretiis varii generis tritici loquens, cum 20 Libras in *Modium* non excederet. *Sardum* erat *Selibra* gravius, *Alexandrinum* vero & *Siculum triente* ſeu 4 unciis, praeponderabat, ut adeo 20 libras & 10 Uncias penderet. *Boeotium* libram adjiciens, pendebat 21 libras. *Africanum Dodrantem* ſuperaddens, 21 libras & 9 uncias grave fiebat. Hanc itaque rationem Tritici pondera *Plinio* tenent.

Modius	*Gallicus* - - - -	240	Uncias *Romanas*.
	Sardus - - - - -	246	
	Alexandrinus -	250	
	Boeotius - - - -	252	
	Africanus - - -	261	

Haec

Haec mensuris ponderibusve *Anglicis* ita exprimes.

† Peckus Tritici	Uncias Troij:	Libras	Uncias
Gallicus	218,517	18	$2\frac{1}{2}$
Sardus	223,979	18	8
Alexandrinus	227,621	18	$11\frac{5}{8}$
Boeotius	229,442	19	$1\frac{2}{5}$
Africanus	237,637	19	$9\frac{3}{5}$

Peckus vero tritici *Anglici*, *Jonae Mooro* in Tabulis hac de re editis, uncias 204,884, seu 17 Lib. 1 Unc. pendet.

Inter descripta tritici genera a levissimo nostrum parte ponderis 18ª vincitur. Per *Triticum Gallicum* id intellexerant, quod in *Galliae* meridionalibus oris crescit, quod, ut opinor, eandem rationem hodiedum servare deprehenderetur; quae tamen omnia de *medio* quodam pondere intelligi velim, varie enim variis annis grana pendent.

Huic *Plinii* tentamini dicendo inhaesi, quo ostenderem, de *Modio Romano* satis certam posse rationem subduci, licet fluxa nonnullis magnitudine videatur. *Trimodia* & *Decemmodia* vasa rustica fuere, ut apparet ex *Colum. lib.* 12. *cap.* 18. & 5.

Cato familiae cibaria ita distribuit. *Familiae cibaria; qui opus facient per hyemem tritici modios quaternos, per aestatem quaternos semis: Villico, villicae, epistatae, opilioni, modios ternos: Compeditis per hyemem panis pondo quaterna: ubi vineam fodere caeperint, panis pondo quina, usque adeo dum ficus esse caeperint: deinde ad panes quaternos redito.*

Hoc quatuor vel quinque Modiorum tritici demensum, quod paulo plus quam totidem Peckos facit, in mensem datum putari debet; discimus enim ex *Donato* in *Phormionem Terentianum*, cujusvis servi menstruum demensum quatuor fuisse *Modiorum*; hinc etiam demensum nomen traxit, vel a *mense* vel a *demetiendo*, quo *Terentius* utitur, quum dicit, *Quod ille unciatim vix de demenso suo, suum defraudans genium, comparsit miser, id illa universum abripiet; haud existimans quanto labore sit partum.* Notari etiam meretur, quod *villici*, *epistatae*, & *opilionis* minus fuerit demen-

† Vide Tab. 3. Area. 8.

menſum, quam reliquae familiae; cibaria vero procul dubio praeter triticum adhuc alia habuerunt caeteris denegata. In quantum tempus 4 illa aut 5 *Pondo* panis *Compeditibus* data, incertum eſt.

Aliquam forſan lucem menſuris ſuperficierum cavisque, totique Rei ruſticae adfundemus, ſi expoſuerimus, quantum ſeminis cujusvis ſpeciei agro datae magnitudinis inſerere juſtum fuerit. Id [f] *Plinium* hoc modo deſcripſiſſe reperio,

5	Modios tritici	in Jugerum.
6	Modios hordei	
6	Modios fabae	
3	Modios piſi	

Quae menſura *Anglica* expreſſa facient,

Bushel.	Pecks.		
2 -----	$0\frac{1}{5}$	tritici	in Acrum.
2 -----	$1\frac{5}{6}$	hordei	
2 -----	$1\frac{5}{6}$	fabae	
1 -----	$0\frac{11}{12}$	piſi	

Sementes adhuc plurimas dictum caput complectitur; verum allatae pro exemplo ſufficiunt.

Semimodii, qui 8 *Sextariis* conſtabat, mentionem faciunt *Cicero*, *Varro* & alii.

Sextario arida quoque metiebantur; ſcribit enim *Palladius*: *Triginta columbis volantibus diurni tres Sextarii tritici ſufficiunt.*

Hemina arida quoque metiuntur *Cato*, *Columella* & *Palladius*.

Quartario, pro aridis utitur *Plinius lib.* 18. *c.* 43. Eadem *Acetabuli*, *Cyathi* & *Ligulae* ratio fuit, quorum capacitatem, mutuosque commenſus, capite de Liquidorum menſuris deſcripſimus.

Varro & *Plinius* de *Concha*, ut aridorum menſura, ſcriptum reliquerunt. Duplicem eam facit *Cleopatra*, minorem dimidio, majorem ſeſqui *Oxybapho* aequans.

De

f Plinius l. 18. c. 24. Serere in jugera temperato ſolo juſtum eſt, tritici aut ſiliginis Modios V..... Hordei VI. Fabae quintam partem amplius quam tritici....... Piſi III.

De GRÆCORUM *Menſuris cavis.*

Graecorum menſuras cavas *Anglicis* menſuris expreſſurus, illam χοῦς dictam praecipue adhibui, omnibus ſcriptoribus 720 *Drachmas* aquae pluvialis v. g., pendentem: aquae & vini enim pondera nullo diſcrimine veteres habuerunt. *Drachmis* itaque *Atticis* graviſſimis electis, quae ſunt veteris *Minae Atticae*, ſeu noſtrae *Averdupois* Librae, centeſimae partes, ſingularum pondus granis *Troijenſibus* 70 abſolvo, neglecta exigua fractione cujus in Tabulis rationem inii. *Drachma* haec *Attico* χοᾶ grana 50400 attribuit. Pes autem cubicus, qui eſt 1728 pollicum cubicorum, pendet aquae pluvialis 76 Libras; inſtrue igitur proportionem talem; 760 grana faciunt 3 pollices cubicos; 50400 igitur grana facient 198,94737 pollices cubicos, replentes τ̀ χοῦν, ſive noſtra menſura, pintas 6, remanentibus pollicibus cubicis 25,698, quae capacitas paulo infra *Congium Romanum* eſt, tametſi Graecum χοῦν & *Congium Romanum* indifferenter adhibuerint veteres, quemadmodum indifferenter quoque adhibuerunt 6^tas eorum partes, ξέστην & *Sextarium*, nec non 12as eorum partes, κοτύλην & *Heminam*. *Graecos* vaſorum ſuorum capacitatem pondere olei, fructus vernaculi menſuraſſe, veroſimillimum eſt, deſcriptarum enim menſurarum pondera Medici conſtanter oleo exprimunt. *Cotylam*, inquit *Galenus* *lib.* 5. *de compoſ: medicam.* *Herae* fuiſſe *Drachmarum* 60, pondere per oleum expreſſo. Pondus quoque olei ad pondus vini Antiquis, fere video rationem 9 : 10 tenuiſſe: ſic in fragmento quod *Galeni* libro *de compoſ. medicam.* adpenſum eſt, 72 olei librae, 80 vini libras volumine aequant, dum alibi olei librae 9, vini libris 10 pares ſunt, id quod ubique eodem modo obſervatur. Olei apud nos pondus & vini invicem ſe habere ut 476:527 experientia nos docet, quae ratio cum hac 9:9,96 fere convenit. Differentiolae rationem ex aucto olei pondere reddere poſſumus, ut ſuperius monui, quod in calidis terris quam noſtris eſt levius, nam aëris calore fortius quam aqua dilatatur. Χοῦν proin *Drachmis* 720, *Drachmam* granis 70 *Troijenſibus* olei abſolvendo, ratio gravitatis ſpecificae olei & aquae, numeris 9:10 expreſſa, χοῦν *Congio Romano* multo majorem proderet, quod cognitis omnino refragatur. Si proin

χοῦν olei pondere definiverunt, *Drachmam* granorum 63 adhibuerint necesse est, quantam fere in exornandis Tabulis nos quoque adhibuimus.

Maximam *Graeci* liquorum mensuram μετρητὴν *Atticum*, masculini generis habuerunt: (licet *Cato* & *Columella Metretam* in feminino genere adhibeant,) de eo *Nicandri Interpres* μετρητὴς ἔχει ξέστας οβ', *Metretes* habet 72 ξέστας. *Dioscorides de vino vetrato* scribit, ἐστι δὲ ὁ μετρητὴς χοεῖς ί, h. e. continet *Metretes* 10 χοεῖς. Sunt quibus haec lectio placet. Sed *Alciatus* & *G. Agricola* pro χοεῖς ί, χοεῖς ιβ', legere malunt, ut ita χοεῖς 12 capiat, id quod porro *Epiphanius*, *Cleopatra*, & *Galenus* confirmant. *Metretes Rhemnio Fannio* $\frac{2}{3}$ *Amphorae* partes continet, uti liquet ex his versiculis.

Attica praeterea dicenda est Amphora nobis,
Seu Cadus; hunc facies, nostrae si addideris Urnam.

Haec vero sese recte habebunt tunc solum, si χοῦν & *Congium* ex asse exaequemus, nisi jam proxime aequales sint. *Polluci Metretes* ἀμφορεὺς audit, *Atticum* subintellige, quo ab hoc *Romanum* distinguas. *Romanam Amphoram Dioscorides lib.* 5 μετρητὴν ἰταλικὸν vocat.

κάδος, forsan a χαδεῖν, continere, vel ab Hebraico *Cad*, mensura, cujus sacrae paginae meminere, quam ὑδρίαν transtulerunt LXX interpretes. Fuit *Cadus Metreti* aequalis; *Plinius* enim *l.* 14. *c.* 15. *Cadum musti* interpretatur, quod *Dioscorides lib.* 5. μετρητὴν γλεύκους vocat. Scribitur subinde duplici δ, ut apud *Pollucem lib.* 9. ubi ait ἀμφορέα ab antiquis κάδδον dictum esse, quod alibi *Philochori* auctoritate confirmat, qui ἡμικάδδιον idem esse scripsit quod ἡμιαμφόριον. Ut a *Congio congialis*, ita a κάδος dixere κάδιχος & κάδδιχος.

Julium Caesarem refert *Plinius lib.* 14. *cap.* 15. triumphali coena 100 *Cados* vini *Chii* fudisse, facientes 4 Tun. 25$\frac{1}{2}$ Gallon.

Apud eundem legimus *lib.* 14. *cap.* 15. *Hortensium* heredi 10000 *Cados* vini reliquisse, seu 410 Tun. 28 Gallon.

L. Lucullus 100000 *Cados* Congiarium dedit: i. e. 4101 Tun. 44 Gall.

Cadum κεράμιον vocabant. κάδος ἐστὶ κεράμιον, ait *Hesychius*. Pro *Ceramium Ceraunium* libri nonnulli impressi male scriptum habent.

He-

Hesychius scripsit, κεράμιον τȣ̃ οἴνȣ ἢ ὕδατος ςαμνίον, unde adparet *Cadum* & *Stamnium* unum esse idemque.

χοῦς & χοεὺς *Suidae* differunt, quando ait χȣ̃ς δύο ξέςαι, χοεὺς δὲ ἕξ. Reliquis vero omnibus idem denotant. *Congio Romano* Medici *Graeci* χοῦν interdum substituunt, ab illo parum diversum.

Milonem Crotaniatam 3 vini *Choas* uno impetu hausisse, refert *Athaeneus* †, quod nobis efficit 2 Gallon. 5 Pint.

Idem de *Alexandro* refert, postquam poculum 2 *Choων* (14 Pint.) ebibisset, & ad repetendum haustum sese accinxisset, viribus defecisse, & exspirasse.

Festos quosdam dies *Athenienses Choes* nominasse, *Suidas* testis est, quia singulis convivis vini χȣ̃ν proponebant. *Athenaeus* habet, *Demophoontem Athenarum* Regem dulcem placentam, *Dionysium* Tyrannum auream ei coronam promisisse, qui festis illis diebus χοῦν (7 Pint.) primus ebibisset; barbari mores in urbanissima gente!

Χȣ̃ς 12 *Cotylis* constabat, teste *Cleopatra*, ὁ χȣ̃ς ἔχει μέτρῳ μὲν κοτύλας ἀττικὰς δώδεκα, id quod alii confirmant. *Athenaeus lib.* 11. mensurae λάγυνος dictae eundem *Cotylarum* numerum adscribit, quo pacto χοῒ aequalis fit. Dicitur quoque in neutro genere λάγυνον vel λάγηνον, quod *lagenam* nonnulli interpretantur.

Et quemadmodum *Congii* denominationem *Graecus* χȣ̃ς apud *Romanos* peperit, ita ξέςην recentiores *Graeci* de *Sextario Romano* formarunt, & χοέος sextantem esse jusserunt, teste *Galeno* & aliis.

Κοτύλη, a cavitate dicta est; scribit enim *Athenaeus lib.* 19. πᾶν τὸ κοῖλον κοτύλην ἐκάλȣν οἱ παλαιοὶ, i. e. omne cavum veteres κοτύλην dixere: idem ait, κοτύλη δὲ καλεῖται καὶ ἡ τȣ̃ ἰσχίȣ κοιλότης, i. e. & cavum *Coxendicis* vocatur *Cotyla*. Plures diversa magnitudine *Cotylas* *Galenus* enumerat, ut *Alexandrinam* & *Ephesiam*. *Cotyla* vero *Attica* ξέςȣ media pars fuit; *Interpres Aristoph.* in *Plutum* scribit, κοτύλη δέ ἐςιν εἶδος μέτρȣ, ὃ λέγομεν ἡμεῖς ἡμίξεςον, *Cotyla* est mensura, quam nos dimidium ξέςην dicimus. *Rhemnius Fannius* habet,

At Cotylas, quas, si placeat, dixisse licebit
Heminas: recipit geminas Sextarius unus.

Α κοτύλη

† Atheneaus l. 10.

L 2

A κοτύλη *Hesychio* τρικοτύλος οἶνος dicitur, i. e. tantum vini, quantum 3 κοτύλαι capiunt.

Τρυβλίον mensuram fuisse κοτύλη aequalem, probant *Cleopatra* & *Galenus*.

Ὀξύβαφον *Acetabulo Romano* respondebat. Quartam *Heminae* partem fuisse adfirmat *Plinius lib.* 15. *cap. ult.* Idem ἄλς, ἅλις, βάφιον & γάβενον dictum fuisse refert *Hesychius*.

Κύαθος, ξέςυ 12ma pars; & *Epiphanio* & aliis est hinc κυαθίζειν, *cyathissare*, *Plauto* in *Menaechme* usurpatum, quod significat vinum alicui infundere. *Cyathissare*, *Suetonius* quoque dixit.

Κόγχη, a *Concha* nomen accepit, fuitque duplex, minor haec, major altera, ut habet *Cato de re Rust. cap.* 13. adparet vero ex hisce *Plinii* verbis, quae leguntur *lib.* 12. *cap.* 25. *Alexandro M. res ibi gerente, toto die aestivo, unam concham impleri justum erat*, Concham certam fuisse mensuram. Majorem *Concham Cleopatra Oxybapho*, minorem dimidio *Cyatho* aequat.

Μύςρον, quod subinde Μύςλον, ita dicitur a μῦς, Mus. Murem marinum inter genera conchyliorum *Aristoteles* numerat, hincque nostram mensuram nomen traxisse probabile est. Eam duplicis generis fuisse *Cleopatra* refert, majorem *Cotylae* 16^{tam}, minorem *Cyathi* 4^{am} partem comprehendisse; ὁ κύαθος ἔχει μικρὰ μύςρα τέσσαρα. *Mystrum* majus *Georgicum* appellarunt, quoniam solum in re rustica mensura erat. *Mystrum Hesychius* βάρβον vocat.

Χήμη quoque a conchylio nomen traxit. *Cheme* major erat, sive *Georgica*, quae *Cotylae* 20^{am} partem comprehendebat, minor vero, qua Medici utebantur, *Cotylae* 30ma pars erat, ut videre est apud *Cleopatram*.

Κοχλιάριον, latine *Cochlear*, minima erat liquorum mensura, continens dimidiam *Chemen*. Apud *Fannium* est,

————— At tertia Mystri
Quam vocitant Chemen, capit haec cochlearia bina.

De

De GRAECORUM *Mensuris aridorum.*

Μέδιμνος vel μέδιμνον, vox *Graecis*, vulgo antepenacuta, *Atticis* (μεδίμνος) penacuta. Arida hac mensura mensurabant, ut triticum, hordeum, flores &c. continebatque 48 *Choenices*, teste *Polluce*, *Harpocratio*, *Galeno de mensuris*. Cum *Attico* vero *Medimno* nobis res est, erant enim praeter eum *Georgicus*, *Macedonicus*, *Siculus*, *Cyprius* &c.

Suidas proverbium memoriae mandavit, μεδίμνῳ ἀπομετρεῖ τὰ τοῦ πατρὸς ἀργύρια, idem est, ac si dicas magnarum fortunarum heres sum.

χοῖνιξ vel *Choenix* aridorum mensura, 3 *Cotylarum* capax secundum *Cleopatram*, adeoque ξέστου *sesquialtera* pars, quem 33,158 pollices cubicos comprehendere antea ostendimus; his per $\frac{3}{2}$ multiplicatis, prodeunt 49,737 pollices cubici *Choenicem* conficientes, quibus rursus 48ies sumtis, *Medimnum* 2387,376 pollicum cubicorum habebis, i. e. 4 Peckorum & 6 pintarum, redundantibus 3,501 pollicibus cubicis.

ξέστης, κοτύλη, ὀξύβαφον, κύαθος & κοχλιάριον aridorum quoque mensurae erant; hi singuli ad aridorum mensuram traducti magnitudinem commensusque eosdem servant, quos liquorum mensuris supra attribueramus.

De HEBRÆORUM *Mensuris cavis.*

In dimetiendis *Hebraeorum* mensuris cavis, editas olim a me Tabulas ad Dr. *Cumberlandi* mentem exornaveram. In iis constituendis longius a *Rabbinis Josephus* recedit, quam in nummaria re & zygostatica fecerat. Nos vero neutrius partis erimus tam studiosi, ut alterutrius rationes reticeamus aut objectiones. *Ephah* Dr. *Cumberlando* 6ta Cubiti *Ægyptii* sive *Hebraici* solidi pars est, quem *Ardub* nominant. Cubitum *Ægyptium* 21,888 pollicibus porrectis, adeoque cubum ejus 10486, 2 pollicibus cubicis componit, cujus 6ta pars, 1747, 7 pollices cubici, *Ephah* constituunt. Sexta cubiti *Ægyptii* solidi parte *Ephah* constitisse, Episcopus ex

 Mathe-

Mathematicorum Arabum ſcriptis demonſtrat, qui litteris quieſcentibus ſolito more permutatis, pro *Ephah*, *Oeba* vel *Waiba* ſcribunt, quo ultimo vocabulo ipſum *Ephah* verſio *Arabica* interpretata eſt.

Golius ſcriptum reliquit, *Ardub Ephis* ſenis *Babylonios* compoſuiſſe, eamque rationem populis orientalibus plerisque placuiſſe. Addit demonſtratis Epiſcopus, pollices cubicos 1747, 7 a cubo pedis *Anglici*, qui eſt 1728, parum differre. Unaque vel altera centeſima parte de cubi latere detracta, cubus cubiti *Hebraici* cubo noſtro pedali exaequaretur.

Ulterius *Ephah* pollicibus cubicis 1747, 7 a ſe conflatum, uncias aquae limpidae pluvialis 100 continere animadvertit; quae quidem ratio recte ſubducta nobis non videtur, ſi etiam concedamus, *Averdupois* libram ad *Troijenſem* eſſe in ratione arctiſſima 175 : 144, licet nobis in inſtruendis Tabulis brevior illa 17 : 14, omiſſis ultimis notis, prae caeteris placuerit. Hic computus rationem *Averdupois* unciae (quarum 16 Libram conſtituunt) ad *Troi* unciam numeris 175 : 192 abſolvet. 100 vero *Averdupois* unciae efficiunt 43750 *Troi* grana, quorum 760 in aquae pluvialis pollicem cubicum computatis, pollices cubici 1726,97 pro *Ephah* prodeunt, quae ſumma ab *Ephah* Epiſcopi pollicibus ſolidis 20,73, ſeu Pintae vini plus $\frac{4}{5}$ partibus deficit. *Ephah* hoc, ſive pollices cubici 1747,7, ut liquorum menſura, efficient 7 Gallon. 4 Pint. 15, 2 pollices cubicos; ut aridorum menſura, 3 Peck. 2 Pint. reſtantibus 32,075 pollicibus cubicis.

Ὁ κόρος δύναται μεδίμνους ἀττικοὺς δέκα, ſcribit *Joſeph. lib.* 15. *cap.* 11; hinc inferunt *Ephah*, *Cori* decimam partem, *Medimno* fuiſſe *Attico* aequalem, quem in Tabulis 2354,751 pollicum cubicorum ſupputavimus, adeoque majorem quam *Ephah* Epiſcopi, pollicibus cubicis 607,051, qui ipſius *Ephah* fere quadrantem abſolvunt, unde vix mihi perſuadere poſſum, tantam differentiam ex errore in menſurando eſſe exortam.

Rem *Epiſcopus* loco *Heſychii* a ſe emendato firmare conatur, tali, οἰφὶ μέτρον Αἰγύπτιον τεσσαραχοίνικον, i. e. *Ephah*, *Menſura Ægyptiaca*, 4 *continet Choenices*, id quod a vero longe abeſt. Pro τέσσαρα Epiſcopus ſcribit ΔΔΔΙΙΙΙ, quae notae faciunt 34, quo pacto *Ephah* 34 *Choenicibus* prodit, id quod cum ſuo computo ſatis convenit. Debile tamen hoc argumentum videtur.

Salma-

Salmasius in epistola sua ad *Walaeum*, *Latinum* quendam anonymum Scriptorem adducit dicentem, *duos Coros Culleum* reddere. Capiebat vero *Culleus* 20 *Amphoras*; *Corus* 10 *Ephah*. Hac ratione *Ephah Amphorae Romanae* aequale haberemus, cui Tabulae 7 Gall. 1 Pint. & 10,66 pollices cubicos, seu 1656,535 pollices cubicos attribuunt, quae capacitas ab illa Episcopi pollicibus cubicis 91,165, seu 3 Pintis vini recedit.

Adsertionem Episcopus ulterius exinde confirmat, quod „ *Suidas* σάτον (*Hebraeorum Seah*) *Modio Romano* aequat, aqua ita repleto, ut superfluat, sicque 15 *Sextarios* vel 25 libras continere „ adfirmat. Enimvero *Modium Romanum* pessime *Suidas* metitur, constabat enim *Sextariis* 16, sive libris 26, unciis 8. Subjungit Episcopus, „ *Sextarios Romanos* 15 esse *Congiis* 2½ aequales, conficientibus, si mensuram ope aquae expedias, pollices cubicos 517,66, „ qui pendunt 300 uncias, quae summa a nostri *Ephah* 3tia parte „ deficit, quippe quae unciis 582 constat, ut adeo plus quam „ quadrans nostrae vini mensurae deficiat. Involvunt etiam *Suidae* „ verba justo minoris mensurae tacitam confessionem, dum *Modium* ὑπερπεπληρωμένον fieri, seu ita repleri jubet ut redundet". Si vero 15 *Sextariis Modium* ut redundet repletum, seu 16 *Sextarios* substituamus, mensuram effingemus, quae τῷ Episcopi *Seah*, seu *Ephah* trienti, proxime aequalis erit.

Modium minorem quam *Seah* fuisse, ulterius ab Episcopo edocemur; Modio id cum 4ta parte, *Epiphanius* aequat, dum idem *Josephus l.* 9. *c.* 2. & *Hieronymus* in *Matth.* XIII. 33. *sesqui Modio Italico* exprimunt.

Expositis Dr. *Cumberlandi Peterborougensis* Episcopi mensuris & argumentis, alius quoque reverendi Abbatis, cujus praecipua prae illo hac in re videtur auctoritas, rationes non esse silentio praetereundas duxi. Tabulas ad utriusque mentem exornavi, ex quibus pro arbitrio seliges, quae potissimum placuerint.

De

De HEBRAEORUM *Mensuris Liquidorum.*

BATH, a cavitate ita nomenclatum, LXX scribunt *βαὶθ. καὶ ἄκοσι χιλιάδας βαὶθ ἐλαίε*, 1° *Reg. cap.* 5.

Josepho lib. 8. *cap.* 2. *Atticos Sextarios* 72 capit, quae summa cum *Cumberlandiana* in Tabulis male quadrat. LXX vocabulo subinde ipso, ut superius, subinde per *μετρητὴν*, ut *Chron.* 2. *cap.* 4. nonnunquam per *κεράμιον*, idem illud exprimunt, ut *Jesaiae cap.* 5. Vetus *Latina* versio *Lagenam* transtulit. In liquidis 10ma erat ipsius *Chomer* pars, quemadmodum *Ephah* in aridis. Sic enim *Ezechiel XLV.* 11. *Ephah & Batus aequalia*, & *unius mensurae erunt: ut capiat decimam partem Cori Batus, & decimam partem Cori Ephah.*

Mensura *Hin* dicta itidem utebantur ad mensurandos liquores, oleum v. g. cujus exempla prostant. *Exod.* 30. *Ezech. XLV.* 46, vel vinum ut *Exodi* 29. & *Levit.* 23. Capiebat *Congios Atticos* 2, secundum *Josephum* lib. 3. cap. 9 & 10. Erat adeo *Ephae* 6ta pars. Apud eundem est *lib.* 3. *ἀρχαιολ.* cum bove eos dimidium *Hin* olei obtulisse, seu nostrae mensurae secundum *Josephum*, 6 Pintas, 25,698 pollices cubicos, sed secundum Tabulas 4,267 pollice cubico. Cum ariete *Hinni* trientem, seu Pintas 13,10,469 pollices cubicos offerebant, quartam partem cum agno, seu Pintas 2,15,071 pollices cubicos. Propheta *Ezekiel* jussus est bibere aquam ad *Hinni* sextantem, i. e. Pintam 1, 19,672 cubicos pollices.

Male LXX Interpretes *Levit* 19. *Hin* per *χοῦν* vel *Congium* unum reddunt; pejus *Latinus* interpres *Sextario* exprimit. Duplex *Epiphanio Hinus* est, majorem 18, minorem 9 *Sextariis* componit.

Log, liquidorum mensuram fuisse adparet ex *Levit.* 14. Quod *Bathi* fuerit seu *Ephi* 72da pars, *Hini* 12ma, uno ore, quotquot sunt *Hebraicarum* rerum Scriptores, fatentur. *Lagenam* a *Log* deducit *Benedictus Arias* in *Ezekielem*. Id *Sextarium* interpretata est vetus *Latina* versio. *Graeca* eidem *Cotylam* male substituit, *Levit* 14.

Corus, sive *Chomer*, *Graeca* terminatione *Coros* dictus, rerum aridarum plerumque mensura fuit, eaque maxima, qua *Hebraei* usi sint, hordei *Levit.* 27. tritici 1 *Reg.* III. 2., 2 *Chron.* II. 2.

Coro

Coro Rabbini 10 *Ephah*, & 30 *Sata* attribuunt. *Coro* plurimum historici, *Chomer* Prophetae utuntur.

Corum Josephus lib. 15. *cap.* 11. ἀρχαιολ: *Medimnis Atticis* 10 exaequat, *Ephah* enim *Medimno* absolverat. De *Coro* frumenti *Judaeus* quivis 6am *Ephah* partem dare jussus erat, i. e. de 60 partibus unam, uti patet ex *Ezech.* XLV. c. 13.

Corum Epiphanius 30 modiis *Romanis* finit, consentiente vetere *Latino* interprete, *Jesaiae* 5. & *Levit.* 27. *Satum* hic computus *modio*, huncque illi exaequat. *Benedictus Arias* in *Sata* inquit, agrum *Choro* tritici serendum non minorem esse oportere, quam cubitorum quadratorum 730,000, i. e. agrum mensura tritici, nobis *Quarter* dicta, serendum, non minorem 55½ Acris esse posse, quod verum esse nequit.

Comer continet duas *Lethecas*, *Hoseae* 3. De 100 *Coris* hordei est apud *Esdram lib.* 1. *cap.* 7: 3. *Comer* vero media pars erat *Lethecae*, consentiente veteri versione. *Ambrosio Epist. lib.* 9. *Semigomer* audit.

Ephah arida mensurabant, ut hordeum *Ruth.* 2, farinam *Judicum* 6. *Numerorum* 5. eratque *Bato*, quo liquores metiri solebant, capacitate aequale. Constabat 3 *Satis*. Paraphrasis *Chaldaea Ephah* 3 *Satis*, vetus vero interpres, *Ruth.* 2. tribus *modiis* exprimit. *Satum Josephus lib.* 9. *cap.* 2. sesqui modio *Italico* exaequat, qui cum *Sextarios* 24 contineat, *Ephah*, triplicato *Modio*, 72 *Sextariis* fiet. Varie LXX *Ephah* interpretantur, retento subinde vocabulo ipso, dicunt οἰφὶ vel οἰφὶ ut *Levit.* 5. *Numer.* 15 & 18. *Judic.* 6. *Ruth.* 2. 1. *Sam.* 1 & 25. Subinde *Ephah* πέμμα vocant, ut *Ezech*: 45. Illorum exemplo *Latinus* quoque interpres varias mensurae denominationes adplicuit. Primo depravata voce pro *Ephah* posuit *Ephi*, dein eam *modio* expressit, ut *Levit*. 19. Subinde *modios* ternos substituit, *Iesaiae* 5. *Ruth.* 2. nonnunquam cum *Sato* confudit; vetus id interpres *Zach.* 5. *Amphoram* interpretatus est.

Satum, mensurarum pro aridis erat antiquissima, ut pro farina *Gen.* 18. 1 *Reg.* 18. 2 *Reg.* 7. *Ephi* erat tertia pars.

Varie hoc *Satum* LXX interpretantur; subinde per μέτρον nimis vage efferunt *Gen.* 18. Subinde nimis improprie μετρητὴς transfertur, quae est liquorum mensura, & *Sato* longe capacior. Subinde οἰφὶ dicitur 1 *Sam.* 25. quod capit 3 *Sata*, tandemque σάτα scrip-

fere

ſere LXX interpretes. *Hagg.* 2. quum tamen in *Hebraico* textu nullius certae menſurae mentio fieret.

Vetus quoque *Latinus* interpres *Satum* varie reddidit. *Satum* ſcripſit 1 *Sam.* 25. *modium Ruth.* 3. duabus vero *Aratiunculis* id expreſſit 1 *Reg.* 18.

Omer ſive *Gomor* erat aridorum menſura, vid. *Exod.* 16. *Levit.* 5. & 6. *Ephi* fuit 10ma pars.

Confundunt hanc menſuram & LXX interpretes & *Epiphanius*, cum altera multo capaciore, *Chomer* vel *Coron* dicta, & utramque per γόμος exprimunt.

Aſſaron & τὸ δέκατον, idem prorſus ſunt quod *Gomor*. Id *Joſephus lib.* 8. ἰσσάρων nominat. In textu *Hebraico* voci *Gomor* ſaepius *Aſſarith* ſubſtituitur, quod decimam partem, *Ephi* ſcilicet, ſignificat. *Claudii* temporibus farinae *Aſſaron*, ſive *Omer*, 4 *Drachmis* veniiſſe, auctor eſt *Joſephus lib.* 3. quo calculo farinae menſura, quam *Peck* nuncupamus, 8 emeretur *Schellingis*: erat vero tunc temporis annonae caritas.

Sati 6am partem *Cab* vel *Kab* vocarunt, quod *Epiphanius* κάβος, *Latinus Cabus* dixit. Tritici *Cabus* feritur in arvi cubitis quadratis 10½, ait *Benedictus Arias*, quod facit in Acrum *Anglicum* 6 Quarter. 7 Bushel. 1 Peck.

Occurrunt etiam in ſacris paginis *Nebel*, *Aſiſa*, *Nod*, *Cad*, *Aboth*, *Purah Bacbuc*, quod determinatae quibusdam magnitudinis menſuras denotat. Potius vero vagae incertaeque capacitatis vaſa denotaſſe videntur.

Deſcriptio Vaſorum HEBRAICORUM *ad mentem* JOSEPHI, *ab Epiſcopo* HOOPERO *deſumta.*

„ Capacitates menſurarum cavarum *Hebraicarum* incertae ſunt, „ ut eas *Rabbini* tradiderunt. Clariora de eis, & apprime „ convenientia iis, quae de *Hebraeorum* ponderibus dixit, ejus „ gentis hiſtoriographus, *Joſephus*, tradit, dum eas menſuris „ cavis *Atticis* exaequat. *Log* aperte *Xeſtae Attico* aequat, dum

2. *Reg.*

„ 2. *Reg.* 6: 25. *Cabi* quadrantem, per ipsum hoc *Log* transfert, iidemque dum mensuram *Hin*, 12 *Logos* capientem, duplici *Choo Attico*, *Xestis* 12, exprimit. Idem ulterius declarat, dum *Bathum*, capacitatis ejusdem mensuram pro liquidis, cujus *Ephah* est pro aridis, 72 sc. *Logorum*, totidem *Xestis* metitur, ut sileam, quod *Corum* 10 *Epharum*, 10 *Medimnis* aequaverit. Ex his testimoniis abunde patet, quod *Hebraeorum* vasa determinati *Logorum* numeri, *Atticis* totidem *Xestarum* fuerint aequalia; & quod si unius aut alterius earum mensurarum talis prostat expressio, quae differentiam in aestimatione inducere videtur, eam vel male legi, vel prave intelligi.

„ *Omer* v. g. vel *Gomer*, quod libro *Exodi* 10ma *Ephae* pars dicitur, *Numerorum* vero per *Assaron* transfertur, (quod 10^{am} partem significat) hoc *Omer*, inquam, quod nihil aliud denotare potest nisi 72 *Xestarum* decimam partem, seu 7,2 *Xestas*, *Josephus*, qualis hodie prostat, sub ipso *Numerorum* nomine, 7 *Cotylis*, non 7 *Xestis*, absolvit, cui discrepantiae describentium error procul dubio locum dedit. Huic *Assaro*, describens id *Epiphanius* 7½ *Xestas* tribuit, quantas praecise capit; sicque suspicioni locus relinquitur, *Cotylae Xestam* apud *Josephum*, uti verosimile, debere substitui; & fractionem vel addi vel negligi, prout Auctor videbitur, vel summam diligentiam eo loco intendisse, vel ut vulgo solet, numero adproximante contentus fuisse. *Ut vulgo solet*, inquam, licet enim *Xestae* 5ta pars simplex fractio sit & arithmetice regularis, illius tamen mensurae propria pars non est, neque inferioribus mensuris rotunde explicabilis. Contra *Cotylas* nobiscum *Theodoretus* in suo Exemplari legisse videtur, quas si servare velimus, ipsique *Omer* τρεῖς ἥμισυ κοτύλας ἀττικὰς, ad *Theodoreti* mentem, qui haec verba ut ex *Josepho* adducit, attribuamus, conjicere licebit, illud τρεῖς, quod hodie *Theodoretus* habet, olim in integriore Exemplari τέσσαρας contracte scriptum denotasse, praemisso aliquando δέκα, ut *Cotylas* sic 14½, vel 14,5, singulis *Omer* attribuamus, quae veram capacitatem *Xestarum* 7,2, vel *Cotylarum* 14,5, non nisi *Cotylae* decima parte superant.

„ Adeo varie de *Josephi Assaro* conjici posse videtur, quem tamen ubique idem, scilicet *Logos* 7,2 ea voce voluisse denotare indubium est".

De Menſuris cavis praecipuarum Orientis gentium.

Praeter *Romanos*, *Graecos* atque *Hebraeos*, ſuae & *Perſis*, & *Syris*, & *Ægyptiis*, & *Arabibus*, menſurae conſtitere, de quibus quaedam quoque tadituri ſumus, quoniam crebra eorum apud ſacros aeque ac profanos Scriptores mentio fit.

De Menſuris Perſarum.

[a] Αχάνη, menſura erat apud *Perſas* aridorum, continens 45 *Medimnos Atticos*.

[b] Αρτάβη *Medimnum Atticum* capiebat & 3 *Choenices*.

[c] Καπίθη, *Choenices Atticos* 2 aequabat.

De Menſuris Aegyptiorum.

[d] Αρτάβη apud *Ægyptios* continuit *Modios* 3½.

[e] Ἀπόῤῥυμα, menſura *Thebis* ſolum in *Ægypto* uſitata, ξέστων fuit 11.

[f] Σαίτης fuit ξέστων 22.

[g] οἴφιν, 4 *Choenicum*.

[h] Ἴνιον, menſura *Alexandriae* uſurpata, libras cepit olei 2.

[i] τρυβλίον erat *Cotylae* aequale.

[k] *Modius Ægyptius* capiebat 8 *Choenices*.

De Menſuris Syriorum.

[l] Μετρητὸς, 120 *Sextarios* continuit.

[m] Κόλλαθον, 25 *Xeſtas*.

[n] Σάβιθα, 22 *Xeſtas*.

χοῖνιξ, *Syriorum* menſura, cujus *Palladius*, non expreſſa capacitate, meminit.

De

a Interpres Ariſtoph. in Acharnenſibus. b Herodotus. Suidas. c Xenophon l. 1 Anab. Cyri. d Rhemnius Fannius. e Epiphanius. f Idem. g Heſychius. h Epiphanius. i Cleopatra. k Galenus ſeu Graecus ignotus. l Cleopatra. m Epiphanius. n Idem.

De Mensuris Arabum.

Mensurarum *Arabibus* usitatarum cognitio *Medicos Arabes* legentibus praecipue necessaria est, quales sunt *Avicenna*, *Razes*, *Serapis*, *Mesue*, *Halyabbas* &c.

[o] *Dorach* aequabat	*Amphoram Romanam.*
[p] *Aldorach* - - - -	duos *Xestas.*
[q] *Johem* - - - - -	*Congium Romanum.*
[r] *Kist* - - - - - -	*Sextarium Romanum.*
[s] *Korboni* - - - - -	*Heminam.*
[t] *Kiliathi* - - - - -	dimidiam *Cotylam.*
[u] *Kestuf* - - - - - -	*Acetabulum.*
[x] *Cuathum* - - - - -	*Cyathum.*
[y] *Falgerin* - - - - -	*Cochleare parvum.*

Briala, incertae capacitatis mensura, apud *Avicennam* occurrit.
Mustarum majus, *Heminae* triente absolvebatur.
Minus, dimidio *Cyatho*. Corrupte a *Graecorum* Μύστρων descendit.
Sequuntur rarius quaedam apud unum alterumve Scriptorem occurrentes mensurae.

Ἄδδιξ & Ἄδδιξις, 4 *Choenicibus* aequalis. Apud *Aristophanem*.& *interpr*. *Homeri*.

Ἄιξ, idem quod *Oxybaphum*. *Hesychius*.

Αλάβαστρον, dimidium *Xesten* aequabat. *Epiphanius*.

Ἄιλις, idem quod *Oxybaphum*. *Hesychius*.

Ἀρυστὴς, *Cotylae* aequalis. *Hesychius*.

Ἀρυτὴρ, priori aequalis creditur. *Dioscorides*.

Ἀρύστιχος, *Cotylam* exaequabat. *Eustathius*.

Ἀρύταινα, vas aeneum pro continendo oleo. *Interpres Aristophanis.*

Βαίων, mensura *Alexandrina*. *Hesychius*.

Βακάων, apud eundem.

Βάφιον, *Tarentinorum* mensura, ibidem.

Βάρβος, idem quod *Mystrum*, apud *Hesychium*.

Βίκος,

o Serapio l. 7. compendii. p Idem. q Avicenna in breviario vigilis. r Serapio. ſ Avicenna. t Idem. u Georg. Agricola ex Dioscoride & Serapione. x Galenus l. 8. de compos. medic. & Serapio l. 5. y Georg. Agricola ex Dioscoride & Serapione.

Βίκ©, vini mensura, idem quod κάδιος. *Hesychius. Athenaeus.*
Γάβενον aequabat *Tryblion. Hesychius.*
Γάβαθον, idem quod γάβενον. Ibidem.
Γάμβρελον, idem rursus quod τρυβλίον. *Hesychius.*
Γνώμων, *Artabae* 10ma pars. *Epiphanius.*
Δάδιξ, 6 *Choenicibus* constabat. *Pollux. lib.* 4.
Δεῖνος, *Metretem* efficiebat. *Athenaeus lib.* 11.
Διητία, dimidius *Medimnus. Hesychius.*
Δίπτυον, incertae capacitatis, apud *Hesychium.*
Δεῦξαι, *Xestae* quadrans. *Hesychius.*
Ἐλίνιος, priori aequalis. *Hesychius.*
Ἔλεφας, trium *Choum. Hesychius. Athenaeus.*
Ἑκταῖον, 10 *Cotylarum. Hesychius.*
Ἑκταῖοι, *Hesychius.*
Ἐμβάφιον, *Oxybapho* aequale. *Hesychius.*
Ἐπαμέτρειον, mensura *Cnidia. Hesychius.*
Ἡμίεκτον, 4 *Choenicibus* aequalis. *Hesychius.*
Ἡμιέγδεον, 2 *Choes* faciebat. *Hesychius.*
Ἡμιδωδέκατον, dimidius *Chous. Hesychius.*
Ἡμικόλλιον, mensura vini. *Hesychius.*
Ἡμικύπρειοι, dimidii *Medimnium. Hesychius. Epiphanius.*
Ἡμίτιον, 4 *Choum. Hesychius.*
Ἰνίον, mensura *Ægyptia*, 2 *Cotylis* aequalis. *Cleopatra.*
Κάμαρψις, aridorum mensura, dimidii *Medimni. Hesychius.*
Καμάστης, incertae magnitudinis. *Hesychius.*
Κάναστρον, habetur apud *Hesychium.*
Καπίτις χοῖνιξ, apud eundem.
Καμψάκης, mensura aut potius vas incertae capacitatis. *Epiphanius.*
Κέφινος, mensura liquorum aeque ac aridorum. *Pollux. Hesychius.*
Κίκρος, de eo *Hesychius.*
Κύπρος, aridorum mensura, dimidio *Medimno* aequalis. *Hesychius.*
Κύπριος μόδιος, 22 *Sextariorum* secundum *Epiphanium.*
Κολία, *Choenicem* aequasse creditur. *Hesychius.*
Κοτύλη, *Ephesiorum* mensura incerta. *Galenus.*
Κόνδυ, mensura *Asiatica*, 10 *Cotylarum. Athenaeus. Hesychius.*
Κυαθὶς, vas *Cotylae* capax. *Athenaeus.*
Λάγυνος, habebat 12 *Cotylas. Athenaeus.*

Λακὸς,

Λακίς, *Tryblio* aequalis erat. *Hesychius.*
Λύτριον, mensura farinae. *Hesychius.*
Λεύγη, mensura lactis. *Hesychius.*
Μαθαλίδες, poculi species, *Cyatho* aequalis credita. *Hesychius.*
Μάνη, vas fictile, capiens 5 *Cotylas.* *Athenaeus.*
Μαρὶς, vini mensura. *Aristoteles.* *Pollux.*
Μαριστὸν, sex *Cotylarum.* *Hesychius.*
Μνασίον, 2 *Medimnorum.*
Μνάσις, mensura aridorum apud *Cyprios*, capiens 10 *Modios.* *Epiphanius.*
Ξέστης, *Alexandrinus*, duas habuit olei libras. *Epiphanius.*
Ο'γδόα, *Semichoenici* aequalis. *Hesychius.*
Οἰνήρυσις, vini vasculum. *Hesychius.*
Oluatium, mensura *Festo Pompejo* memorata.
Orca, vas amplum ad continendum mustum. *M. Varro. lib. 3. cap. 13.*
'Ουδρεία, dimidius *Metretes.* *Hesychius.*
Παττάνα, idem quod *Trybliun.* *Hesychius.*
Πελάχνη, idem. *Hesychius.*
Πήρα, mensura aridorum. *Hesychius.*
Ποτὴρ, mensura quaedam. *Hesychius.*
Πρόχοος, *Xesti* aequalis. *Hesychius.*
'Ρυτὸν, trium *Xoum.* *Athenaeus.*
Σμιρεὺς, vini mensura, apud *Lybios.* *Hesychius.*
Τρυβλίον, variae capacitatis. *Hesychius.* *Cleopatra.* *Athenaeus.*
Τύπτιν, 10 *Choenicum.* *Hesychius.*
Τρίουγδον, *Tarentinorum* mensura. *Hesychius.*
Χυτρίδιον, mensura *Hesychio* memorata.

Tabulis antea jam in lucem editis, expeditioris rationis gratia, novas addidi, quae mensuras porrectas & cavas decimalibus exprimunt. *Hebraeorum* vero mensuras porrectas, derelicto *Cumberlando*, ad cubitum potius Pyramidis exornare, & in cavis *Josephum* prae *Rabbinis* sequi visum est, cujus descriptionem illorum descriptioni praefero.

Adjunxi *Medicorum Arabum* pondera complectentem tabulam, iis necessariam, qui illorum scripta curate perlegere in animo habent; eam fundamentis ex ipsis eorum scriptis petitis inaedificavi.

Accedunt duae tabulae, pondera & *Gallica* exhibentes & *Coloniensia*,

niensia, quae postrema in ponderando auro & argento per totam obtinent *Germaniam*.

Tabulis, brevibus equidem, notissimarum quoque urbium regionumque *Europae* pondera exsecutus sum; aliis, earundem mensuras porrectas ab integerrimis desumtas auctoribus explicui. Quarundam urbium omittere potius duxi, quam tales exhibere, quarum certitudinem lectori non possem praestare. Ulteriori explanatione non indigent, ipsae inscriptiones quid sibi velint, patefaciunt.

Tabulam hodiernorum Nummorum communicavit mecum *Isaacus Neutonus*, boni publici aeque studiosus, ac in referandis naturae intimis penetralibus felix. Rationes diligentissimus vir, institutis re ipsa experimentis in officina *Monetaria Regia*, hujus seculi circiter initio, subduxit, quum *Guineae* 21 s. 6 d. valerent. Qua ratione hodiernorum aureorum valor 43ma circiter sui parte diminuendus venit. Quo vero rectius Tabulae intelligantur, sciendum est, † Libram unam ponderalem *monetae sterlingicae* continere argenti puri uncias 11 & 2 * Penniweight, *Ligaturae* Penniweight 18, aureumque *Anglicum* 12^{am} sui ponderis partem alieni metalli admixtam habere.

Tabulae prima columna nummi explorati puritatem indicat, littera M denotante, *melius*, littera P *pejus*, quam Lex monetaria *Anglica* postulat. Columna altera Nummi pondus absolutum, tertia pondus metalli puri, in nummo contenti, designat. Quarta tandem ejusdem in moneta *Anglica* valorem exprimit. Articulo ex. gr. de nummis argenteis secundo, nummus *Sevilianus*, quem vocant *of Acht*, *Piece de huit*, $1\frac{1}{2}$ Penniweight argenti puri in libra minus continet, quam nostra Lex postulat, pendit 14 Pennyweight, continetque argenti § *Sterlingici*, Pennyweight 13, grana 21 & Mitas 15, (quarum 20 granum conficiunt): valetque 43 Penningos *Anglicos*, & $\frac{81}{188}$ Penningi partes.

† i. e. Libra argenti zygostatica una puritatis ejus, quain nummi Anglici vulgo currentes habent.

* Haec pondera explicat Tab. 7. area 16.

§ Id est, argenti ejus puritatis, quam habet argentum illud, ex quo nummi Anglici cuduntur.

DIS-

DISSERTATIO

De ROMANORUM *Re Nummaria.*

Licet exempla, quibus Tabulas adplices, omnes antiqui ſcriptores confertim offerant, ne tamen ab eorum conſuetudine, qui Tabulas in publicum emittunt, temere recederem, earumque uſum eos quoque edocerem, qui veterum ſcripta rarius pertractant, conquiſita passim exempla ſubjungenda eſſe putavi, quo nummariis rationibus legentes aſſuefierent. Cogitabam ſimul, diſpoſitis ordine & per claſſes exemplis, lectorem & re ipſa & calculi uſu eruditum iri. Haec animum moverunt, ut ſequentem Diſſertationem conſcriberem, ſi, quae praeſtiti, hoc nomen merentur.

Ipſas *Romanorum* minutias litterati noſtri homines dignas cenſuerunt, quas curate rimarentur; & profecto conſideratio opum & expenſarum iſtius populi eſt aeque magni monenti, ac *Grammaticorum* critici labores, aut eorum, qui de *Ritibus*, *Cerimoniis*, *inſtrumentis*, *variis Vaſorum Veſtiumque figuris* &c. ſcripſere; quibus in rebus eruditi nimis fortaſſe deſudaſſe videntur, tantos labores utilius collocaturi in maſculam magis disquiſitionem de negotiis, de artibus, opificiis, Re oeconomica & politica.

Sequens modus res romanas conſiderandi, quantum quidem ſcio, novus dici poſſet. Namque illi, qui de eorum luxuria ſcripſerunt, divitias *Romanorum*, ſumtus & mercium pretia non niſi data occaſione contemplati ſunt.

Candide & ſine ulla adfectatione agnoſco virium mearum tenuitatem ad proferendum perfectum quid in materia propoſita. Hoc tantum eruditos illos viros, qui forte & ab otio, & a multa rerum notitia ad talia petractanda me magis parati ſunt, rogatos velim, ne aegre ferant, novum argumentum me attigiſſe, in quo ipſi nominis famam ſibi acquirere poterunt.

Sequens diſſertatio exemplorum nonnullorum collectionem exhi-

bet, quorum ope de publicis Romanorum & privatis divitiis, respectu quantitatis pecuniae *usualis seu currentis* ex auro argentove signatae, judicium ferre poterimus. In qua contemplatione sequentia naturaliter occurrent.

Primo, quam exigua fuerit numinatio urbis Romae in prima ejus infantia.

Secundo, quantam divitiarum proportionem urbs Roma, in fastigio, habuerit, si cum ditissimis Europae emporiis conferantur, quas *absolutas* Romae divitias vocare licet.

Tertio, quam proportionem pecunia in commercio circulans, ad mercium pretia aut incolarum numerum obtinuerit, id quod *Romae* divitias *relativas* haud inepte dixeris. Quo sensu dubitatum est, utrum *Roma* proprie ditior dici possit, quam quodcumque emporium hodiernum Europae? Credo tamen *Romam* utroque sensu palmam ablaturam.

Quarto, aliud adhuc considerandum restat: viz. Quanquam, ut puto, tempore summi splendoris imperii *Romani*, minor quantitas usualis seu currentis pecuniae in Europa fuit quam nunc est, post patefactam *Americam*; attamen urbs *Roma*, pro rata, majorem partem pecuniae circulantis, sui aevi possidebat, quam ulla urbs Europaea unquam. Adeoque & hoc tertio sensu *Roma* ditior dici poterit.

Divitias *Romae* variis aetatibus varias fuisse, ex sequentibus exemplis Lectores intelligent, quod ut manifestum fieret, nonnullis in locis chronologiam in margine adscripsi. Notabunt similiter easdem exacte summas in diversis articulis, ex. gr. nonnullorum civium magnas fortunas ad quadrantem seu *denarium* usque aequales exhiberi, cujus rei duplex causa est: altera, quod *Romani*, quemadmodum nos solemus, per numeros rotundos computaverint, veluti aliquis possidet centies, aut ducenties mille libras; altera, quod mei officii fuit exacte has summas secundum Tabulas computare. Spero Lectorem facile existimaturum, meum non esse, ut omnium *Factorum* veritatem praestem. Adfero ea, prout in auctoribus exstant, & quanta possum fide summas computo. Calculus optima methodus est, probabilitatem fulciendi, aut mendacium detegendi.

Neque tamen omnis adhibita a me diligentia obstat, quo minus in tanta locorum multitudine aliqua aut perverse allegata, aut non

rite

rite explicata, aut calculi nonnulla peccata reperias; pauca etiam ab aliis ejusdem argumenti Scriptoribus desumta eorum fide adscripsi. Hoc unum dicendum habeo, sibimet ipsis egregie consulturos Lectores, neque me ulla ratione offensuros, si detecta peccata emendent.

De *Romanorum* moribus, antiquitatibus, vestimentis &c. nonnulla quoque data occasione interspersi. Neque tamen de iis cum Eruditis contendam, sed omnia potius eorum castigationibus lubentissime submitto.

Res *Facti* inprimis constiturus, a comparationibus & universalibus conclusionibus fere abstinui, quod ipsum praeterea pudoris esse judicabam, ut non occupato judicio meditationi Lectoris aliquid relinquerem. Estque profecto locus, de quo agitur, ita comparatus, ut, constitutis rebus facti, quilibet in negotiis atque calculis exercitatus, homo aptior harum rerum judex sit, quam doctissimus Grammaticus, nummarias rationes minus edoctus. Sed vereor, ne, dum prolixitatem fugio, contrarium vitium incurrerim. Omnia certe brevissime expedivi, ad speciem articulorum in computo, quos singulos fusius pertractatos vix dimidiis paginis contineres. Verum omissis circumstantiis nonnisi nummarias summas exponere ad propositum sufficiebat.

Quae congessi, & quae non attigi, exempla, quorum certe non dicam spicilegium, verum ingentem post me messem reliqui, spero fore, ut materiem aliquando aptiori scriptori praebeant, hanc rem diligentius & prolixius excutiendi. Ego tantum praestiti, quantum per praescriptos operi limites, valetudinem & caetera mea negotia licuit.

Adeo res *Romanae* pervestigantem defatigarunt, ut *Graecorum* nummariam rem pari cura prosequi nequierim: dubito praeterea, an tam bona materiae seges prostet. In eo itaque constiti, ut nonnulla hinc inde sparsa conquirerem exempla, quibus Tabularum usum declararem.

Addidi etiam ex sacris paginis nonnulla exempla, quorum numerum, qui hac opera delectantur, facile augebunt. Neque tamen auctoritati textus sacri aliquid detractum velim, quod errores numericos in eum irrepsisse puto.



CAPUT I.

De ROMANORUM *Opibus.*

Quanta fuerit differentia inter fortunas civium *Romanorum*, quas initio Urbis, & quas splendente Imperio possederunt, ex comparatione primi *Census*, quem Rex *Servius Tullius* instituit, cum immensis sequentis aevi fortunis, planum fiet.

Initio Urbis *Romae*, bina *jugera*, ut ait *Plinius* [a], Populo *romano* satis erant, seu 1¼ Acra *Anglica*. *Quinctum Cincinnatum* Dictatorem (A. V. 292.) 4 *Jugera*, 2½ Acra, *Attilium Regulum* (A. U. 498) 7 *jugera*, 4⅜ Acra, possedisse, *Valerius Maximus* memoriae prodidit.

Civem, 7 *jugerum* possessione non contentum, perniciosum civem *Manio Curio* audivisse, (A. U. 464) testatur *Plinius libro* 18. *cap:* 3, quae erat portio plebejis post expulsos Reges attributa.

Longo abhinc temporis intervallo, *M. Scauro* primo Senatori, 6 tantum erant servitia, totumque ejus patrimonium 35 *Millibus Nummûm*, sive 282 l. 11 s. 0½ d. aestimabatur.

Primo Censu *Romae* habito, talis erat classium divisio [b].

Quintae seu infimae classi tribuerant *Æris Millia XI*, 35 l. 10 s. 5 d.

Quartae-----------	XXV *Millia*, 80 l. 14 s. 7 d.
Tertiae-----------	L *Millia*, 161 l. 9 s. 2 d.
Secundae -----------	LXXV *Millia*, 242 l. 3 s. 9 d.
Primae-----------	C *Millia*, 322 l. 18 s. 4 d.

[c] Nullum numerum ultra centum millia antiqui *Romani* habuerunt. Adspiciamus ictu oculi altera ex parte quorundam civium *Romanorum* sequentibus temporibus expositas opes immensas.

[d] Habe-

a Plinius libro 18. cap: 2. Bina tunc jugera populo Romano satis erant, nullique majorem modum attribuit.

c Plinius l. 33. c. 10.

b Livius Libro 1.

[d] Habebat *Apicius millies Sestertiûm*, 807291 l. 13. s. 4 d.

[e] *Crispus*, Civis *Vercellensis*, *bis millies*, 1.614583 l. 6 s. 8 d.

[f] *Crassus* totidem, 1.614583 l. 6 s. 8 d.

[g] *Demetrius*, *Pompeji* libertus; 4000 talenta, 775000 l.

[h] *Pallas*, *Claudii* libertus, *ter millies* - 2.421875 l.

[i] *Seneca* intra quadriennium paravit *ter millies*, 2.421875 l.

[k] *Lentulus Augur* habebat *quater* millies, 3.229166 l. 13 s. 4 d.

[l] *Cajus Caecilius Isidorus*, quamvis multa civili bello perdidisset, reliquit (referente *Plinio*) servorum 4116, juga boum 3600, reliqui pecoris capita 257000, in numerato HS. $\overline{DC}$, seu *sexcenties sestertiûm*, 484375 l.

[m] Et exulum divitiae in tantum excreverant, ut lege caverit *Augustus*, ne exul ultra 20 vel servos, vel libertos, neque in numerato ultra 12½ *Myriades drachmarum* haberet, seu nostrae monetae, 4036 l. 9 s. 2 d.

[n] *C. Licinio* consule, A. U. 376, summus census nondum 500 *jugera*, seu 330 *Acra Anglica* excedebat.

[o] Veterem legem, qua civis ultra 60 *Sestertia*, seu 484 l. 7 s. 6 d. in numerato habere vetabatur, ad 51 *Myriades drachmarum* extendit *Julius Caesar*, seu 16468 l. 15 s.

Idem divitiarum per gradus incrementum feminarum quarumdam possessiones & dotes, a variis scriptoribus memoratae, demonstrant.

[p] *Tacita* dotem, inter maximas habitam, ad virum attulit X *Millia Æris*; 32 l. 5 s. 10 d.

Filiarum *Scipionis* dotes, ipso tempore secundi belli Punici, ex aerario totae praestitae, faciebant XI *Millia Æris*, 35 l. 10 s. 5 d.

Mecum

d Seneca Consolat: ad Helviam. e Vetus interpres Juvenalis. f Plin. lib. 33. c. 10. g Plutarch. in Pompejo. h Tacit. libr. 12. i Tacitus lib. 12. Qua sapientia, quibus Philosophorum praeceptis intra quadriennium regiae amicitiae ter millies sestertium paravisset. k Seneca lib. 2. de Beneficiis. l Plinius lib. 33. c. 10, C. Caecilius Isidorus testamento suo edixit, quamvis multa civili bello perdidisset, tamen relinquere servorum quatuor millia centum sedecim; juga boum 3600, reliqui pecoris 257000. In numerato HS. $\overline{DC}$. m Dion. l. 56. μήτε δούλοις ἢ καὶ ἀπελευθέροις ὑπὲρ εἴκοσι χρῆσθαι, μήτ' οὐσίαν ὑπὲρ δώδεκα καὶ ἡμίσειαν μυριάδας ἔχειν. n Plutarch. in Camillo. o Dion. lib. 41. ἀπηγόρευσε μηδένα πλεῖον πεντακισχιλίων, καὶ μυρίων δραχμῶν ἐν ἀργυρίῳ, ἢ καὶ χρυσίῳ κεκτῆσθαι. p Val. Max. Tacita Caesonis filia maximam dotem ad virum decem millia aeris attulisse visa est.

Megulliam cognominabant *Fortunam*, quoniam C *Millia Æris* habebat, seu 322 l. 18 s. 4 d.

[q] Sequenti tempore feminae vulgaris dos, erat *decies sestertiûm*, 8072 l. 18 s. 4 d.

[r] *Terentia Ciceronis* uxor ad virum attulit, 12 *Myriades drachmarum* 3875 l.

[s] *Cicero* ipse habebat 9 *Myriades drachmarum*, seu 2906 l. 5 s.

Pomponius Atticus a patre accepit *vicies sestertiûm* 16145 l. 16 s. 8 d.

[t] *Cato Minor* habebat 100 *talenta*, seu 19375 l.

Servius in vita *Virgilii* ei tribuit *centies* HS. 80729 l. 3 s. 4 d.

Plus quam modicas divitias *Ciceronem* possedisse, probabunt in sequentibus dicenda; ipse [u] fatetur se in *Asia bis & vicies* habere, seu 177762 l. 9 s. 4 d.

Grande aes alienum, magnae fidei argumentum, & divitias probat, cujus exempla adponere non taedebit.

[x] *Curionem* accepimus conflasse aeris alieni *sexcenties sestertiûm*, seu 484375 l.

[y] *Apicius* cum *sestertiûm millies*, 807291 l. 13. s. in culinam congessisset, summasque praeterea immensas dilapidasset, aere alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit, superfuturum sibi *sestertiûm centies* computavit, & veluti in ultima fame victurus, si in *Sestertio centies*, seu 80729 l. 3 s. 4 d. vixisset, veneno vitam finivit.

[z] *Tigellius* cantor quinque dierum spatio *decies* H. S. dilapidabat, seu 8072 l. 18 s. 4 d.

[a] *Munnam* quendam *Martialis* increpat, quod citius quam annuo spatio *bis decies* consumeret; 16145 l. 16 s. 8. d.

[b] *Macrobius* de Equite Romano verba faciens, ait ad summam *bis*

q Juven. Satyr. 10. Mart. lib. 2. Epigr. 65. Tacit. Anal. 2. r Plutarch. in Cicerone. s Cornelius Nepos. t Plutarch. in Catone. u Ad H. S. bis & vicies ego in Cystophoro in Asia habeo. Epist: ad Atticum Libro 11. x Val. Max. lib. 9. y Idem. z —— decies centena dedisses,
Huic parco paucis contento, quinque diebus
Nil erat in loculis. *Horat.*

a Bisque tuum decies non toto tabuit anno
Dic mihi, non est hoc Munna perire cito.

b Macr. lib. 2 Saturn. c *διςχιλίων καὶ πεντακοσίων μυριάδων*, subintelligitur *δραχμῶν*.

bis decies, seu 16145 l. 16 s. 8 d. se ipsum obaerare potuisse.

Si *Appiani* interpreti Latino fides habenda, *Caesar* privatus, necdum publico munere ullo in provinciis ornatus, debebat. 2.018229 l. 3 s. 4 d.

[c] Sed secundum *Graeci* Manuscripti variantem lectionem tantum 2500 Myriades, seu 807291 l. 13 s. 4 d.

Ipse *Caesar* fatetur se tanta summa indiguisse ut nihil haberet, tantumque aeris alieni se conflasse, antequam ullum publicum munus foris adeptus esset.

Plutarchus ait, priusquam ullum magistratum domi gereret, eum debuisse 1300 *talenta*; 251875. l.

[d] *Crassus* pro eo 830 *talenta* spoponderat, seu - 160812 l. 10 s.

[e] *Milo* aere alieno se ipsum obruit, ad *septingenties* H. S. seu 565104 l. 3 s. 4 d.

[f] *Quadringenties* H. S. seu 322916 l. 13 s. 4 d. quod Idibus *Martiis Antonius* debebat, ante Calendas *Apriles* debere desiit.

Ottonem antequam rerum potiretur, 5000 *Myriades*, vel 1. 602083 l. 6 s. 8 d. aeris alieni conflasse, tradit *Plutarchus*.

Verum liceat eam rem de celebratissimis quorundam civium fortunis, qualis est, breviter considerare.

Quamvis de *Crassi* divitiis magna per hominum ora fama volitarit, eas tamen *Pallantis*, *Claudii* liberti opes superavere. [g] Trecenta talenta, seu 58125 l. a patre accepta, ad 7100 summam adauxisse eum antequam cum exercitu *Parthos* adiret, refert *Plutarchus* [h], quae nostrae monetae aequant 1.375625 l. Cupidissimum eum fuisse relictum est, quoniam mirus artifex bellum omnesque publicas calamitates quaestui habebat. Verumtamen *Annonariam trium mensium tesseram* Populo aliquando largitus est.

Decorum in sacris diligentissime tuebatur. Omnium suarum possessionum decimas *Herculi* consecravit, procul dubio eodem consilio quo *Mariae* Virgini *Ludovicus* XI. *Bononienses* (in Gallia) fundos sacros fecit, quo eos religio dolo a malo tueretur. Fuit etiam mercaturae & artificiorum studiosissimus patronus, quippe omnis generis artifices

d Plutarch. in Caesare e Milonem Sestertium septingenties aeris alieni debuisse, inter prodigia animi humani duco. Plin. l. 36. cap. 15. f Cicero Philipp: 2da. g Plutarch. in Crasso.

tifices ex ejus familia prodierunt, quos aluerat & ſuſtentaverat. Neque etiam in ſolo foenore, ſed & in agris magnam divitiarum partem collocaverat, teſte Plinio, *In agris bis mille poſſedit, Quiritum poſt Sullam ditiſſimus*, quae fundorum aeſtimatio facit 1.614583 l. 6 ſ. 8 d.

Eum, ut vulgo ſunt, virum frugi fuiſſe putaverim.

Verum redeamus unde diſceſſimus, & propoſitam divitiarum *Craſſi* & *Pallantis* comparationem exſequamur. Sciendum eſt [h], *Claudium* duos habuiſſe libertos, *Pallantem* & *Narciſſum*, quorum ei prior a rationibus, alter ab epiſtolis erat. Eorum divitiae in proverbii conſuetudinem abierunt.

——— Ego poſſideo plus
Pallante & Licinis ———

Juven.

Nec Croeſi Fortuna unquam, nec Perſica regna,
Sufficient animo, nec divitiae Narciſſi,
Indulſit Caeſar cui Claudius omnia.

Idem.

Antea vidimus *Pallantem* poſſediſſe 2.421875 l. quibus adhuc addenda *centies quinquagies Seſtertiûm*, ſeu 121093 l. 15 ſ. quae [i] in remunerationem antiquae parſimoniae Patrum decreto ei donata ſunt, teſte *Plinio Oratore* & *Tacito*; hoc decretum ex actis publicis poſtea eraſit *Juſtinianus*, titulo *de Senatus Conſulto Claudiano.* Verum tantae liberalitatis alia ratio fuit; ſervorum quippe cum P. C. uxoribus & pellicibus clandeſtinos concubitus Senatui patefecerat. Fit ibidem tertii liberti, *Caliſti*, mentio, quem circiter millena millia poſſediſſe computo.

Ex dictis quivis facile obſervavit, *Romanorum* privatas opes cum publicis creviſſe. Magni totius partes magnae ſunt, ſplendenteque Imperio & privatorum fortunae amplificantur.

Quoſdam etiam de plebe homines, cerdones & fullones, immenſas ſibi opes paraviſſe accepimus; de iis ita *Mart: Libr.* 3. *Epigr.* 59.

Su-

h Suetonius in Claudio.

i Tacit. libro 12. Fixum eſt aere publico Senatus conſultum, quo Libertinus H. S. ter millies poſſeſſor, antiquae parſimoniae laudibus cumularetur.

Sutor cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus
Fullo dedit Mutinae: nunc tibi caupo dabit.

Insigne munus gladiatorium, quendam *Vatinium*, sutrinae tabernae alumnum *Neroni* edidisse, legimus apud *Tacitum* hisce verbis: *Inter foedissima aulae ejus ostenta fuit sutrinae tabernae alumnus, corpore detorto, facetiis scurrilibus, primo in contumelias assumptus, deinde optimi cujusque criminatione eousque valuit, ut gratia, pecunia, nocendi etiam malis praeemineret.*

Crispinus, a *Domitiano* educatus, servus *Ægyptius* fuit, de quo ita *Juvenalis Satyr.* I.

Cum pars Niliacae plebis, cum verna canopi,
Crispinus, Tyrias humero revocante lacernas
Ventilet, aestivum digitis sudantibus aurum.

Omnium vero *Romanorum* divitias, *Cynami* tonsoris opes superaverunt; quo tamen non obstante in equestrem censum detrusus & in *Siciliam* relegatus est. De eo *Martialis*,

Qui tonsor fueras tota notissimus urbe,
Et posthac dominae munere factus eques &c:
Non Rhetor, non Grammaticus, Ludive magister,
Nec Cynicus, non tu Stoicus esse potes:
Vendere nec vocem Siculis, plausumque theatris,
Quod superest iterum Cyname tonsor eris.

Fit in ejusdem Satyris *Licinii* servuli mentio, quem vetus Scholiastes adeo deparcum fuisse reliquit, ut sua alimenta in foenore collocaverit, eaque nomina summa cura pugillaribus intulerit. Quaestor posthac in *Gallia* factus, *sibi agros paravit, quantum Milvi volant*, ut ait *Persius*, *agros* enim pro *nummos* ibi legere oportet.

Caesarum divitias & sumtus profusos hac Dissertatione complecti nimis prolixum foret. *Eusebius* in chronico refert, *Claudium* triginta hominum millia, per II annos, ad emittendum *Fucinum* lacum adhibuisse. Verum de Caesarum profusionibus plura in sequen-

quentibus. Tantae libidines incontinentiam necessario secum duxerunt, quibus artibus nemo unquam *Caligulae* antecelluit; quandoque enim *nudus pedibus spatiatis super nummorum acervos volutabatur*, ut ait *Suetonius*. *Nero* brevi dicto, vectigalium coactores officii admonebat, *Scis quid mihi opus est, hoc agamus ne quis quidquam habeat*. Variis vocibus, iisque acribus, *Romani*, provinciarum rapinas designabant, *exsugere*, *corradere*, *deglubere*, quae vernacula lingua vix aeque commode reddere possumus. Inter alios haud infacetus ille *Varronis* verborum lusus, qui supellectilis cupiditates arguens, *ita*, ait, *cum sociis bellum geris*, *ut bella omnia domum auferas*.

Sic in tanto imperio corruptio servitutem induxit, hac factum ut imperii summa ad impotentes ministros & cupidissimos rediret, ii omnium fortunas evertendo & omnes opprimendo, imperium subditis paulatim nudaverunt, neque amoris patriae apud reliquos vestigium ullum reliquum fecerunt, a quibus rebus conjunctis tam splendidum imperium pessum tandem datum est. Corruptio ejusmodi in corpore politico morbus est, quem facilius ferro reseces, quam medicina ulla lenias.



CAPUT II.

De Pretio Tritici.

Omnis generis divitiis, & opulentis civibus *Romam*, dum splenderet, prae omnibus quae umquam fuerunt, *Europae* urbibus, claruisse, facile forsan quivis largietur. Has *absolutas Romae* divitias [a] nobis appellari antea diximus.

Si vero ejus divitias *relativas* spectemus, i. e. rationem numerati ad incolarum aut mercium numerum, dubitasse haud paucos video, an opes hodiernorum quorumdam *Europae* emporiorum opes *Romanae* eo sensu adaequaverint?

Numerati hujus urbis aut aetatis cujusvis quantitatem, ad earum rerum media aut vulgaria pretia, tanquam ad certam mensuram revocare

nos

nos tuto poſſe videmur, quibus omnis aetas ex aequo indiguit, inter quas res nulla ad propoſitum aptior frumento. Frumenti igitur varia *Romae* pretia variis temporibus legentium oculis brevibus ſubjiciam.

Tanta cura ſenatus *Romanus* rei frumentariae quovis tempore proſpexit, ut vili plerumque, gratis haud raro, populo *Romano* diſtribueretur. *Minutius Augurinus* [a], farris pretium in tribus Nundinis ad aſſem in ſingulos *modios* redegit, undecimus plebei tribunus, i. e. od. $3\frac{1}{10}$ q *.

Ad quem computum, ſi noſtri Pecki modiique *Romani* debitam rationem habeamus, menſura † *Quarter* nobis dicta venibit 2 ſ. od. $1\frac{4}{7}$ q.

Eodem pretio frumentum populo donavit *Manius Marcius* [b], ſc. 2 ſ. od. $1\frac{3}{7}$ q. in *Quartarios*.

Sed, ut jam monui, exiſtimare non debemus, frumentum tam vili vulgo veniiſſe; aliquatenus enim muneri datum, ut ipſa allata teſtimonia demonſtrant. Adde quod primis illis temporibus modica fuerit res nummaria.

[c] *Clodius* in *tribunatu* lege ſanxit, ut frumentum populo *gratis* daretur, quod *Senis* antea *aeris ac trientibus* in *modios* emebant, i. e. 16 ſ. 3 d. 2 q. in Quartarios.

Verrem Cicero [d] jactantem inducit, quod *modius* binis *Seſtertiis* emeretur, adeoque quartarius 10 ſ. 2 d. $1\frac{1}{10}$ q.

[e] Duplex frumenti *Sicilienſis* pretium ſubjungit. *Decumani* in *Modios* ſingulos HS. III, adeoque in quartarios 15 ſ. 3 d. $1\frac{3}{7}$ q.

Frumenti autem *imperati* in *modios* ſingulos HS. IV, adeoque in quartarios 1 l. 0 ſ. 4 d. $2\frac{1}{7}$ q.

Decumani conſtans pretium fuiſſe crediderim, *imperatum* municipiis pro re nata aequabili diſtributione imperatum.

[f] Quod

a Plin. l. 18. c. 3. Minutius Augurinus, qui Sp. Melium coarguerat, farris pretium in tribus nundinis ad aſſem redegit undecimus plebei tribunus.

* q Significat *Quart*, ſeu quadrantes: qui nummulus denarii Anglici, *Denier* eis dicti, quarta pars eſt. † Vide de his menſuris Tab. 3. area 8.

b Plin. ibid. Manius Marcius Ædilis plebis primum frumentum populo in modios aſſibus donavit. c Dio l. 38. & Plutarchus in Epit. 60. d Cicero in Verrina frumentaria. e Cicero ibid. Ex Senatus conſulto & ex lege Terentia & Caſſia frumentum emundi duo genera fuerunt, unum certarum decumarum, alterum quod praeterea civitatibus aequaliter eſſet diſtributum. Hujus decumani tantum quantum ex primis decumis fuiſſet, hujus imperati tritici modii DCCC millia. Pretium autem conſtitutum decumano in modios ſingulos H. S. III, imperato H. S. IIII.

[f] Quod *duodenos Seſtertios* in ſingulos *modios* exegiſſet, *Verri* objectum eſt; qua ratione Peckus 1 ſ. 10 d. 3 $\frac{7}{10}$ q. Quartarius 3 l. 1 ſ. 1 d. 2$\frac{2}{7}$ q veniret.

Mox *Decumani* [g] pretium adhibito *medimno georgico* idem *Cicero* taxavit, qui *modios romanos* ſenos capiebat; Peckum 5 d. 2$\frac{12}{13}$ q; Quartarium 15 ſ. 3 d. 1$\frac{3}{7}$ q. ut antea aeſtimando.

[h] Tanto ſtudio materiae inhaeſit, ut ipſam pecuniam *Verri* in *frumentum imperatum* decretam adſcripſerit, HS. II & *tricies*, ſeu 25833 l. 6 ſ. 8 d.

Creſcente poſtea re nummaria, ſub *Auguſto* praeſertim, in immenſum frumentum, ut cetera omnia, carius veniit.

[i] *Tacitus* ſcribit, cremata *Roma* a *Nerone* populum minuto ad ternos *nummos* frumenti pretio in *modios*, vehementer eſſe recreatum, i. e. ad 5 d. 2$\frac{12}{13}$ q. in Peckum *Anglicum*. Quod vulgare olim pretium fuerat, tum temporis vero vile habebatur; longe pluris enim farina & panis *Plinii* tempore conſtabant. [k] Pretium enim panum ex farinae *modio*, XL *aſſes*, ſimilaginis caſtratae 48 *aſſes*, ſiliginis caſtratae, farinae omnium puriſſimae, duplum primi fuiſſe reliquit. Hac aeſtimatione ad vernaculam revocata, Peckus farinae, ex qua panis vulgaris coquitur, emetur 2 ſ. 6 d. 2$\frac{3}{4}$ q.

Similaginis 3 ſ. od. 2$\frac{3}{4}$ q.

Puriſſimae, 5 ſ. 1 d. o$\frac{1}{10}$ q.

Plinii verba eodem capite legenda, *Panis vero e modio ſimilaginis CXXII. e floris modio CXVII. Harduinus* de totidem panis libris interpretatur. Sed vel numeri corrupti, vel ſententiae alia mens eſt; ita enim *Plinius* praecedente articulo ſcripſerat; *Siligineae farinae Gallicae modius XII. libras panis reddit, Italicae duabus tribuſve amplius in artopticio pane. Modius* vero ſimilaginis CXXII panis libras reddere nequit, igitur aut, omiſſo C, XXII ſervabimus, aut aliam menſuram quam *modium* ſubintelligemus.

Panis libras 18 noſtri piſtores e Pecko floris ad ſummum coquunt. Lege civili 17*lb.* 6*uc.* 1*dr.* *Averdupois* domino reddere tenen-

f Cicero in Verrina frumentaria. g Cicero ibidem. H. S. XVIII. frumentum Siculienſe ex lege aeſtimatum eſt. h Cicero ibid. HS. II & tricies Verri decretum in frumentum imperatum in annos ſingulos. i Tacitus Annal. 15. Pretiumque frumenti minutum uſque ad ternos nummos. k Plinius l. 18. c. 10. Pretium huic annona media in modios farinae XL aſſes, ſimilagini caſtratae octonis aſſibus amplius, ſiligini caſtratae duplum.

tenentur. Sed ponamus ex Pecko coqui 18 libras *Averdupois*; secundum pondus & mensuras *Romanas*, modius *Romanus* libras *Romanas* circiter 24 reddet, quae ratio cum illa *Plinii* convenit.

Pretium pani similagineo *Londini* constitutum, respectu pretii tritici, ratione 3 : 5 continetur, ita ut ex Pecko tritici panis nummis 25 veneat, si Peckus tritici 15 veniit. Panem in similaginis castratae modium, quae mediae bonitatis panem praebet, *Plinius* 3 s. od. 2¼ q. aestimat: hinc ope demonstratae proportionis similaginis castratae quartarium 3 l. 3 s. 6 d. media annona valere reperiemus.

Insignis differentia inter panum varia pretia, a qua nostrorum temporum variae aestimationes longe absunt, nimis docto palato, forsan etiam coquendi rationi, attribuenda videtur. Panum quatuor genera *Plinius* numerat, *Ostrearium*, ab ostreis, *Artolaganum* a deliciis, *Speusticum* a σπεύδω, festino, & *Artopticium*, a clibanis, in quibus coquebatur, ita dictum. Quae de pane ex *Plinio* novissime adduxi, de hoc *Artopticio* dicta putato.

Ex descriptis panum ultimis pretiis, annonam multo cariorem *Romae* fuisse colligimus tempore, quo *Plinius* scribebat, quam *Londini* est. Apparet quoque, quod mercium pretia vilia primis temporibus fuerint, auctaque re nummaria pari passu creverint, quemadmodum in *Anglia*, *Gallia* & alibi in *Europa* idem contigit.





CAPUT III.

De Pretio Vini.

Vile *Romae* omni tempore vinum fuisse videtur. Locus est ea de re memorabilis apud *Plinium* [a]. *Opimio* ait, consule, natali Urbis 633, coeli ea temperie fulgente, quam *cocturam* vocant, in singulas *amphoras* 100 *nummos*, seu 16 f. 1¼ d, statutos esse: quae quum 7 Gall. 1 Pint. seu 10,66 pollices cubicos singulae comprehendant, nostrum *Hoghshead* * 7 l. 1 f. 10d. aestimandum veniet, carius quam ab aliis taxatur: quod vinum, quum effluxis demum 160 annis bibissent, usura multiplicata semissibus, (6 *per Cent.*) binis *cyathum* nummis, seu 3 d. 3½ q. constitisse, idem inferius computavit.

Hic locus non ideo solum illustris est, quod vini pretium docet, sed & usurarum ratiocinia illius temporis declarat, inter usurae simplicis & compositae ratiocinia quae singulis pensitationibus ducebatur, medium quoddam genus. Praeterfluxis enim 101 mensibus, praeter usuras sortis, sortem ipsam semissibus, seu in ratione fenorum de centenis, augebant, id quod *Anatocysmum* cum aliis *Cicero* nominavit. Experiamur num *Plinius* calculum rite subduxerit. Anni 160 faciunt 1920 menses, adeoque 19 *Anatocismos*, dividendo mensium numerum per 101. Debentur proinde ex *Anatocismis* nummi 114. Sed 100 *nummi* semiunciario foenore, spatio 160 annorum conficiunt 1060; quibus 114 illis additis, 1174 *nummos* habebit. Enim vero *amphoram* componunt 576 *cyathi*;

a Opimio Consule cum C. Grachus Tribunus plebem seditionibus agitans interemptus, ea caeli temperies fulsit, quam cocturam vocant, solis opere, natali Urbis 633. Durantque adhuc vina ducentis fere annis, jam in speciem redacta mellis asperi. Etenim haec natura vinis in vetustate est; nec potari per se queunt, si non pervincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita. Sed ceteris vinis commendandis minima aliqua mixtura medicamenta sunt: quod, ut ejus tempore aestimatione in singulas amphoras centeni nummi statuantur, ex his tamen, usura multiplicata semissibus, quae civilis ac modica est, in Caji Caesaris Germanici filii principatu, anno 160. Singulas uncias binis (ita Budaeus legit) constitisse, nobili exemplo docuimus.

* Vide de his Mensuris Tab. 3. Area 7.

cyathi; computati 1 itaque 2 *nummis* in ſingulos *cyathos*, *nummos* 1152 reperies, ſummam nonniſi 22 *nummis* a *Pliniana* deficientem, quam 17 adhuc augebis, ſi uſuras ſemiunciarias 18 computes, quo caſu vix 5 *nummis* a *Plinii* computo recedes.

Quartarium hoc modo *Anglicum* vini *Opimiani* 13 ſ. emeremus. Verum tantum pretium caſu obtinuit, quippe ſortis arbitrariis uſuris in tantum auctum.

Opimiano multo vilius erat vinum in vite pendens. Singulos enim *culeos* vini deterrimi generis vineas jugeratim peraequare, adfirmat *Columella* [b], id eſt Acri *Anglici* binos circiter *trientes* fundere 143 Gall. & 3 Pint. quae 300 *nummis* venibant, 2 l. 8 ſ. 5¼ d. qua ratione noſtrum Hogshead 1 l. 0 ſ. 11 d. conſtabit.

De vino autem pendente, deterrimo, deque peſſime generis vineis nos loqui probe animadvertendum eſt. Vinum itaque mediocre duplo abſque errore taxabimus, i. e. l. 8. in ſingula dolia.

[c] Quaternos *denarios* in ſingulas *amphoras* portorii nomine exactos *Toloſſae*, ſcribit *Cicero*, i. e. in Hogshead l 1. ſ 2. d 8¾.

Viliſſima quaedam vini pretia memoriae mandata ſunt, ut apud *Martialem* [d], qui Gallonem d 2, Peckumque frumenti d 3½. aeſtimat.

Hanc vero & ſummam vilitatem, & poetarum more in majus vero elatam putato.

Legimus etiam de ſumma annonae vilitate, quae tamen pro nor- A. U.
ma eſſe nequit, ut quum 12 olei libras *aſſe* veniiſſe [e] *Plinius* re- 600.
fert, quum *Metelli* triumpho vini circiter *Gallonus*, ficus ſiccatae librae 30, olei librae 10, carnis 12 & farinae Peckus, *aſſe* ſingula emta legimus, i. e. $3\frac{1}{10}$ q.

[e] Anno Urbis 675 edictum eſt, ne quis vinum *Graecum* aut *Aminium*, octonis aeris in ſingula *quadrantalia*, ſive *amphoras*, venderet, quod paulo minus penningo in ſingulos *Gallones* facit: hujus tamen edicti ſingularis ratio fuit.

CA-

b Columella l. 3. c. 3. Quippe ut deterrimi generis ſunt vineae, tamen ſi cultae ſint, ſingulos utique culeos vini ſingula eorum jugera peraequabant: utque trecentis nummis quadragenae urnae veneunt, (quod minimum pretium eſt annonae) conſument tamen ſeptem culei ſeſtertium duo millia & centum nummos. c Cicero pro M. Fonteio. Quaterni denarii in ſingulas amphoras portorii nomine exactae Toloſſae. d Amphora vigeſſis modius datur aere quaterno. ——— e Plinius, l. 18. c. 3. f Plinius l. 14. c. 14. P. Licinius Craſſus & Julius Caeſar cenſores A. U. DCLXXV edixerunt ne quis vinum Graecum Aminiumque octonis aeris ſingula quadrantalia venderet.



CAPUT. IV.

De Pretio Pecudum.

De pecudum pretio apud antiquos *Romanos* quae differam vix reperio. Vitulum antiquitus 25 assibus emebant, seu 1 s. $7\frac{3}{8}$ d.

[a] Ovem, denario *, $7\frac{3}{4}$ d.

[a] Bovem, decuplo, seu 6 s. $5\frac{1}{2}$ d.

Quod pretium immaniter postea crevisse oportet. Scripsit enim de pavonibus *Varro* [b], eos ove carius veniisse, quod saltem argumento est, ovem a pavonis pretio non longe recessisse, quod ***denariorum*** 50 fuit, seu 1 l. 12 s. $3\frac{1}{2}$ d.

Ad hanc pecudum primam aestimationem mulctae legibus ***Romanis*** constitutae, initio tenuissimae, semper respexerunt, neque per Reipublicae compagem iis aliquid aut addere aut detrahere licuit. Divitiae tum temporis in armentis positae erant, unde quod Reipublicae ablatum erat, *peculatus* nomen retinuit.

Ovis minima poena erat, seu $7\frac{3}{4}$ d.

[c] Si quis alteri injuriam fecerat, vitulus poenae erat, seu 1 s. $7\frac{3}{8}$ d.

[d] Nulla mulctatio major quam boum 30 & ovium 2, seu 3020 ***assium*** dicebatur, ex quo *Gellius* jam intulit, eos boum majorem numerum quam ovium aluisse, quod ad hunc diem in *Italia* obtinere audio.

Ad

a Epicharmus apud Pollucem, Festus Pompejus.

* Cur *denarium* 10 *assibus* confecerint Romani, ingeniose nuper explicuit ***Wachterus***, in sua *Archaeologia Nummaria*, Lipsiae 1746. Rei quippe Romanae initio bos 10 ovibus aestimatus fuerat, quo duplici pecudis genere omnia tum temporis mercimonia peragebant. Postea nummorum usum edocti, ovem 10 assibus taxarunt, bovem decuplo: Hinc factum est, ut, tot assibus nimii ponderis unicum argenteum nummum substituri, ***denarium***, ovis pretium, 10 assibus composuerint. Quo ipso illud ***Varronis*** illustratur, OMNIS PECUNIÆ PECUS FUNDAMENTUM EST.

b Varro de re rustica l. 3. c. 6. **Eousque cum creverunt (pullos nempe pavonum) quinquagenis denariis vendit, ita ut nulla ovis hunc assequatur fructum.** c Gellius l. 26. c. 1. **asses viginti quinque poenae sunt, si quis alteri injuriam facit.** d Gellius l. 11. **Noctium Attic.**

Ad hanc in mulctando rationem ipso adhuc *Justiniani* tempore [e] respexerunt. Ille enim provinciae consularis judices ultra quadrantem auri librae mulctas irrogare vetuit, valentes illo tempore 9 l. 15 s. 0½ d.

Proconsularem potestatem prioris summae duplum, *auri semissis* coercebat. *Praefectos Praetorii* ad 50 libras auri pervenire sinebat, in ea re non tam dignitatis viri, quam quidem atrocitatis criminis ratione habita.

A solito mulctarum civili modo in causa mulieris recessum esse, a *Gellio* [f] edocemur, cui ob improba & incivilia verba, mulctam dixerunt *aeris gravis XXV. millia*, seu 80 l. 14 s. 7 d.

[g] *Sestertiorum* quoque *dena millia* mulcta erat, si quis aquam aquaeductus dolo malo oletasset, quae faciunt 80 l. 14. s. 7 d.

Civitates immaniter mulctabant. [h] *Rhodiis Brutus* 500 *talenta* in mulctam indixit, quae faciunt 96875 l.

Haec ut de mulctis interfererem, adfinitate, quae ipsis cum pecudum pretio qualiscumque intercedit, inductus sum.

Redeo ad pecudum pretia: 10000 *asses* ad equos emendos ex publico *Equitibus* datos, & quibus equos alerent, viduas attributas, quae 2000 *asses* in annos singulos penderent, legimus apud *Livium* [i].

Si, ut vulgo creditur, Equiti binos equos attribuamus, utrumque 32 l. 5 s. 10 d, unum 16 l. 2 s. 11 d. aestimabimus.

Consumserunt bini in annum 6 l. 9 s. 2 d, proinde singuli 3 l. 4 s. 7 d.

Haec pretia sat magna pro eo tempore fuisse videntur, licet multum a sequentis aevi pretiis defecerint. Equi 100 *sestertiis* emti meminit *Gellius* [k], facientibus 807 l. 5 s. 10 d.

[l] *Bucephalus* 13 *talentis* emtus est, 2518 l. 15 s.

[m] Asinum admissarium 3229 l. 3 s. 4 d. emptum ex M. *Varrone* refert

e Lege ultima de modo mulctarum in Cod. Justin. f Gellius l. 9. de Appii Caeci filia. Ob haec mulieris verba tam improba ac tam incivilia, Ædiles Plebei mulctam dixerunt ei aeris gravis XXV millia. Id factum bello Punico primo. g Frontinus de Aquae duct. l. 2. Sestertiorum dena millia mulcta esto, si quis aquam aquaeductus dolo malo oletaret, ubi publice salit. h Plutarchus in Bruto. i Livius l. 1. Ad equos emendos dena millia aeris e publico data; & quibus equos alerent, viduae attributae, quae bina millia aeris in annos singulos penderent. k Gellius. l. 3. c. 9. l Gellius l. 5. c. 2. m Plinius l. 8. c. 43. Asinum CCCC.M nummûm emptum, Quinto Actio senatori, auctor est M. Varro, haud scio an omnium pretio animalium victo.

refert *Plinius*. Asinas idem singulas in [n] *Celtiberia*, Hispaniae provincia, quadragenis millibus nummorum, seu 3229 l. 3 s. 4 d. enixas esse refert.

[o] Longe sane a *Plinii* summa illa *Varronis* abest, qui asinum 60000 H. S. sua memoria *Romae* veniisse reliquit, seu 484 l. 7 s. 6 d.

Ex loco *Varronis* quem supra adduximus adparet, ovis minus aliquantum pretium fuisse quam pavonis, venditi 1 l. 12 s. 3½ d. Liceat singulas 25 schellingis aestimare, seu oves 20 lib. 25: igitur, quum oves decem bovem valuisse viderimus, bovem 12 l. 10 s. vitulum 3 l. 2 s. 6 d. emtum esse reperiemus: hic enim pro 1 s. 7¼ d. emebatur, quando ovis 7¼ d. venibat, i. e. erant in ratione 5 : 2. Hinc annonam macelli *Varronis* tempore, eandem fere fuisse, quae *Londini* nunc est, perspicue colligimus.



CAPUT V.

De Sumtibus Conviviorum apud ROMANOS.

De annona vulgari macelli praecedenti capite quaedam, per consequentias saltem, constituere licuit: de piscium vero & avium vulgari pretio silent plerique Scriptores, nec nisi summas ob enormitatem insignes commemorant.

AVES. [a] *Turdos*, aves saginatas, (quorum plura genera) *denariis* ternis, 1 s. 11¼ d. veniisse reperio. Magna eis gratia fuit, in epulis solennioribus adhibitos legimus.

[b] Pavones magno aere parabantur, singuli 50 *denariis*, 1 l. 12 s. 3¼ d.

b Carius

n Plinius ibidem. o Varro l. 2. c. 1. Tertia pars est quo sint seminio quaerendi. Hoc nomine enim asini Arcadici in Graecia nobilitati, in Italia Reatini, usque eo, ut mea memoria asinus venierit. Sestertiis millibus LX.

a Varro l. 3. c. 2. Atque in hac villa qui est Ornithon, ex eo uno scio quinque millia venisse Turdorum denariis ternis, ut sexaginta millia ea pars reddiderit eo anno villae.
b Idem. l. 3. c. 6.

[b] Carius quam haec ratio poſtulat, centenarius grex emebatur, H. S. XLM. id eſt, 322 l. 18 f. 4 d.

[b] Singula eorum ova aeſtimabantur *denariis* 5, ſeu 3 f. 2$\frac{3}{4}$ d.

M. Aufidio Lurconi ex pavonibus H. S. 60000 in annum redibant, 484 l. 7 f. 6 d.

[a] *Varro* ait, ex villa una ſe ſcire *Turdorum* veniſſe 5000 uno anno; hi dicta ratione aeſtimati, conficient 484 l. 7 f. 6 d.

[c] Columbarum formoſiorum paria ſingula eodem pretio, quo pavones, venibant, 200 ſc. nummis, ſeu 1 l. 12 f. 3$\frac{1}{2}$ d.

[c] Quibus vero forma venuſtior, multo majore conſtabant. *Axium* minoris quadringentis *denariis* unum par ſe daturum negaſſe, ſcribit *Varro*, i. e. 12 l. 18 f. 4 d. quod ſingulis millibus *Nummûm* mercator emere volebat, ſeu l 8. f 1. d 5$\frac{1}{2}$. Sed tanti ob libidinem potius quam delicatum ſaporem aeſtimatae ſunt.

[d] *Caeſar Auguſtus* ab *Actio* rediens, a vili cornice ſalutatus, 20000 nummis eam comparavit, hoc eſt 161 l. 9 f. 8 d.

[e] Luſcinia alba, quae *Agrippinae*, *Claudii* conjugi, dono daretur, *Seſtertiis* 6 veniit, 48 l. 8 f. 9 d.

[f] Pretium plumae anſerinae in libras erant *denarii* 5, ſeu 3 f. 6$\frac{1}{2}$ d.

Magis adhuc in dignandis piſcibus quam avibus, *Romani* inſaniebant. *Mullum* [g], ejusdem generis piſcem, ut opinantur, quem *Sermoullet* & *Galli* & nos *Angli* dicimus, 6000 *Nummûm* emptum commemorat *Juvenalis*, facientibus 48 l. 8 f. 9 d. PISCES.

[h] Pro alio 7000 *Nummos* ſolutos eſſe, ſcribit *Macrobius*, ſeu 56 l. 10 f. 1$\frac{1}{2}$ d.

[i] Tertium 8000 *Nummis*, 64 l. 11 f. 8 d, comparatum eſſe, *Plinius* ſcriptum reliquit; quod eo magis miratur, quod rariſſime binas libras ponderis piſcis ille exſuperat. Haec equidem vulgaria pretia ne credas. Quemadmodum vero libidinem ſummam luxuriamve ſequun-

c Varro l. 3. c. 7. Paria ſingula vulgo veneunt ducenis nummis, nec non eximia ſingulis millibus nummûm, quas nuper cum mercator emere vellet a L. Accio Equite Romano, minoris quadringentis denariis daturum negavit. d Suetonius in Auguſto & Macrobius l. 2. Saturn. c. 4. e Scio Seſtertiis ſex, candidam (luſciniam) alioquin, quod eſt prope inuſitatum, veniiſſe, quae Agrippinae Claudii Principis conjugi dono daretur. Plinius l. 10. c. 29. f Plinius l. 10. c. 22 g..... Mullum ſex millibus emptum. Juven. Sat. 4. h Macrobius l. 3. c. 16. Septem millibus. i Plinius l. 9. c. 17. Octo millibus nummûm Aſinius Celer hoc (Mullo) piſce prodigus, Cajo principe unum mercatus eſt. Eodem capite, binasque libras ponderis raro exſuperant.

quuntur, ita magnarum fortunarum, inter nobiliores ſaltem, indicia ſunt.

Quod eximiae formae feminis, id *Romae* piſcibus accidebat; mox hi principatum obtinebant; mox temporis tractu antiquatis iis alii ſuccedebant. Ita *acipenſerem* [k] de ſolio dejecit *ſcarus*, *aſellumque muraena*. *Acipenſeri* ſuus quidem honos manſit, eum enim coronatum cum cantu tibiae in convivium inferebant. Neque *mullum ſcari* amor inter nobiles omnino obliteravit. Celerius [l], inquit *Varro*, voluntate *Hortenſii* ex equili eduxiſſes rhedarias ut tibi haberes *mulas*, quam e piſcinis barbatum *mullum*.

[m] *Tripatanum*, ſecundum *Feneſtellam*, adpellabatur ſumma coenarum lautitia, una erat *muraenarum*, altera *luporum marinorum*, tertia *myxonis* piſcis. In patina inferebatur tribus ponticulis diſtincta. Superant vero haec, quae de *muraenis* dicenda reſtant.

[n] *Cajo Hirrio*, qui vivaria inter *Romanos* clariſſima habuit, *muraenam* nullo aere rependiſſes. Coenis triumphalibus *Caeſaris* Dictatoris, ſex millia numero muraenarum mutuo appendit, pretio permutare noluit.

[o] *Muraenam Lucius Craſſus*, vir Cenſorius, in piſcina domus ſuae mortuam atratus luxit. [p] *Vedius Pollio*, eques *Romanus*, ex amicis *D. Auguſti*, vivariis damnata mancipia immergebat, quem tamen manſuetum virum praedicabant.

[q] Veterum illam elegantiam, piſces inter convivium ponderandi, morientesve ſpectandi, noſtra tempora ignorant. [r] *Mullum* verſicolori & numeroſa quadam colorum varietate exſpirantem contemplari, gratiſſimum habebant ſpectaculum.

Quod

k Plin. l. 9. c. 17. Apud antiquos piſcium nobiliſſimus habitus Acipenſer..... Poſtea praecipuam auctoritatem fuiſſe lupo & Aſello...... Nunc ſcaro datur principatus, qui ſolus Piſcium dicitur ruminare; proxima eſt his menſa generis muſtelarum ex reliqua nobilitate & gratia, maxima eſt & copia mullis ſicut magnitudo modica. l Varro l. 3. c. 17. m Plinius l. 35. c. 12. Tripatanum inquit Feneſtella, appellabatur ſumma coenarum lautitia, una erat muraenarum, altera luporum, tertia myxonis piſcis. n Plinius l. 9. c. 55. C. Hirrius ante alios, qui coenis triumphalibus Caeſaris Dictatoris, ſex millia numero muraenarum mutuo appendit. Nam permutare quidem pretio noluit. o Plinius Quod Lucius Craſſus vir Cenſorius muraenam in piſcina domus ſuae mortuam atratus luxerit. p Plinius l. 9. c. 23. Vedius Pollio Eques Romanus ex amicis D. Auguſti, vivariis earum (muraenarum) immergens damnata mancipia, non tanquam ad hoc feris terrarum non ſufficientibus, ſed quia in alio genere totum pariter hominem diſtrahi, ſpectari non poterat. q Ammianus l. 28. r Plinius l. 9. c. 17. Mullum exſpirantem verſicolori & numeroſa quadam varietate ſpectari, proceres gulae narrant, rubentium ſquamarum multiplici mutatione palleſcentem utique, ſi vitro ſpectetur incluſus.

Quod [f] *Rutupino de fundo* oſtreae aliqua fuerint exiſtimatione, noſtrae genti honorificum eſt, licet quanti dolium venierit, detegere nequeam.

[t] Haud minore piſcium amore *Romani*, quam illi horum capiebantur. Surdos eos profecto nemo dixiſſet, vocati enim praeſto erant.

[u] *Muraenae* quam diligebat, Femina inaures addidit.

Poſt ea, quae de immanibus piſcium pretiis dixi, quibus a *Romanis* habiti ſunt, *C. Hirrii* piſcinas [x] *quadragies* veniiſſe, ſeu 32291 l. 13 ſ. 4 d. non incredibile videbitur.

Neque, quod eadem ſumma [y] *Luculli* defuncti piſcinae venditae fuerint, nempe 32291 l. 13 ſ. 4 d.

[a] De *Fulvio Hirpino* honorifice quaedam hoc loco dicere a propoſito alienum non videtur. Ille cochlearum primus vivaria inſtituit, easque *ſapa & farre* ſaginatas ad eam magnitudinem perduxit, ut 80 *quadrantes* ſeu 20 *ſextarios* caperent ſingularum calices, qui 10 nobis conſtituunt *quartarios*.

[b] Quod Fructuum horraeorum pretia attinet, inter ea *Perſica* mala *denariis* ſingula $7\frac{1}{2}$ d, initio venundata ſunt, poſtea pretium triceni nummi ſingulis fuerunt, ſeu 4 ſ. 10 d.

[c] Ceraſa Urbis anno 680 *L. Lucullus* primus advexit e *Ponto*, annisque 120 trans oceanum in *Britanniam* uſque pervenere; id quod incidit in *annum Domini 55*. Quanti vero centena venierint non reperio.

[d] *Aſparagos latos* 6 d. ſubinde ſingulos emerunt, adeoque centenos 2 l. 10 ſ.

d *Ra-*

f Plinius l. 32. c. 6. Item Juvenalis.
——— Circaeis nata forent an
Lucrinum ad ſaxum Rutupinoque edita fundo
Oſtrea ———

t Plinius l. 10. c. 70 .... Et in piſcinis Caeſaris genera piſcium ad nomen venire, quosdam ſingulos. & Mart. l. 6. Epigr. 30. u Plinius l. 9. c. 55. Antonia Druſi muraenae, quam diligebat, inaures addidit. x Plinius l. 9. c. 55. Hujus villam intra quam modicum quadragies piſcinae venierunt. y Plin. l. 9. c. 54. Quadragies HS. a defuncto illo veniere piſces. a Plinius l. 9. c. 56. Cochlearum vivaria inſtituit F. Hirpinus..... quin & ſaginam earum commentus eſt, ſapa & farre, aliis generibus, ut cochleae quoque altiles ganeam implerent, cujus artis gloria in eam magnitudinem perducta ſit, ut octoginta quadrantes caperent ſingularum calices. b Primo denariis ſingula venundata, pretiumque jam ſingulis triceni nummi fuere. Plin. l. 15. c. 12. c Plinius l. 15. c. 25. Ceraſi ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuere in Italia. Ad Urbis annum DCLXXX is primum vexit e Ponto, annisque CXX trans oceanum in Britanniam uſque pervenere. d Plinius l. 19. c. 8.

[d] *Ravennenses* vero, ad pondus nostrorum *Battersea* Asparagorum accedebant, *Unciarum* 4 in singulos.

Romanos sub finem *Reipublicae* tam luxuriose convivatos, ac parce initio vixerant, post ea quae diximus, quivis facile in animum inducet. [e] *Asses* initio nonnisi 30, festis diebus, edundi causa cuique sumere licebat, facientes 1 s. 11$\frac{1}{4}$ d. Neque carius cuiquam 100 *assibus*, 6 s. 5$\frac{1}{4}$ d, coenare licebat, (exceptis tamen fructibus terrae, pane, vino, rapis atque oleribus), unde *Centenariae coenae* dictae sunt. Et poetam *Lucilium* a luxurioso victu *Centussim* nominarunt. [f] *Cato Major* nunquam carius *assibus* 30 comedit, temporis autem tractu luxuria in immensum crevit. [g] *Heliogabalus tricies* H. S. coenavit, seu 24218 l. 15 s.

[h] *Caligulae* coena *centies* H.S. stetit, 80729 l. 3 s. 4 d.

[i] *Vitellius* edendo & bibendo 22500 *Myriades drachmarum* in annum comsumsit, seu 7.265625 l.

[k] Eandem pecuniae vim paucis eum mensibus intervertisse, testatur *Tacitus*.

[l] *Lucullus* ad *Apollinis* †, constanter 50000 *drachmis* coenitabat, quae faciunt 1614 l. 11 s. 8 d.

[m] *Clodii Æsopi*, tragici histrionis patina, 600 *sestertiis* taxata est, i. e. 4843 l. 10 s. quam ut eo eveheret, aves nonnisi cantu aliquo vocales proposuit.

[n] Filius ejus singulis convivis singulas margaritas, in suavem teporem resolutas, absorbendas dabat.

Fercula descriptis coenis, *Vitellii* inprimis, apposita, indice complecti, propriisve titulis inscribere, arduum quidem foret. Nullus tamen dubito, quin ab artis suae gnaro culinae praefecto praestari posset, modo rationes secundum haec nostra consilia iniret.

[o] Qua-

e Macrobius l. 3. c. 17. Asses 30 duntaxat edundi causa cuique sumere licebat, ex lege Licinia. f Plutarchus in Catone majore. g Lampridius corrupte tribus millibus HS. pro tricies HS. h Seneca de consolatione. i Dio l. 17. k Tacitus in Vitellio Novies millies HS. Vitellius Caesar paucis mensibus intervertisse creditur. l Plutarchus in Lucullo. † Id est in coenaculo, quod *Apollinis* audiebat, reliquis enim coenaculis, aliis nominibus nomenclatis, minoris, neque tamen eodem pretio in singulis, coenabat. m Plinius l. 10. c. 51. Maxime tamen insignis est in hac memoria Clodii Æsopi histrionis patina sexcentis sestertiis taxata. n Plinius l. 9. c. 35. Sed ut (Clodius Æsopi filius) experiretur in gloria palati, quid saperent margaritae: atque ut mire placuere, ne solus hoc sciret, singulos uniones convivis absorbendos dedit.

o Quadrifariam ſtatim, in jentacula, prandia, coenas &c, diem diſpertiebat tantus vir, neque minus unquam ſinguli apparatus, quam 400000 *Nummûm* conſtiterunt, ſeu 3229 l. 3 ſ. 4 d. & quo proximis epulis locum pararet, poſt ſingula convivia levi emetico ſtomachum levabat.

p Satis ſplendida aliquando coena a fratre ei data eſt, in qua duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem avium appoſita ſunt. Patinarum unam ob immenſam magnitudinem, *clypeum Minervae* dixit, in hanc *ſcarorum* praecipue jecinora, *phaſianorum* & *pavonum* cerebella, linquas *phoenicopterum*, *muraenarum* lactes, a remotiſſimis regionibus per triremes petitarum commiſcuit. Adtendat lector, quod principatum inter piſces tenuerit *ſcarus*, caritatis tantae, ut tetrarchiam eo pretio comparaſſes. Ab hoc ſecunda erat *muſtella*, quam demum *mullus* ſequebatur, huncque 64 l. nonnunquam vendiderunt.

Romani finito primo bello *Punico* cubantes coenare coeperunt, procul dubio quoniam lavati ſtatim accumbebant. Nobilitas habebat menſas humiles, citreas plerumque, aut ex alia arbore pretioſa fabricatas, tribusque eburneis pedibus, leonis aut leopardi ungulam referentibus, fultas. Lecti circum menſam diſpoſiti erant plerumque tres, ſubinde nonniſi duo, id quod poſt *Veſpaſianum* inprimis obtinuit, unde *Biclinia* dicta ſunt; menſam in ſemicirculi formam exciſam, *Sigma* vocabant; reſiduum ſpatium pro miniſtrantibus patebat. Lectos circum utramque menſam magnificis inſternebant toralibus elegantiores. E balneo egreſſi *veſtem* induebant *coenatoriam*. Convivas complures eidem menſae plane non, aut ſaltem vix, circumponi potuiſſe deſcripta accumbendi ratio oſtendit. Duodenorum tamen inclytam coenam exhibuiſſe *Auguſtum*, teſtis eſt *Suetonius*, δωδεκάθεον exinde dictam, id quod vulgarem de *L. Vera*

o. Suetonius in Vitellio c. 13. Trifariam ſemper, interdum quadrifariam diſpertiebat in jentacula, prandia & coenas commeſſationesque: facile omnibus ſufficiens, vomitandi conſuetudine. Indicebat autem alii aliud eadem die: nec cuiquam minus ſinguli apparatus quadragenis millibus nummûm conſtiterunt.

p Suetonius in Vitellio c. 13. Famoſiſſima ſuper caeteras fuit coena ei data adventicia a fratre: in quo duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem avium appoſita traduntur. Hanc quoque exſuperavit ipſe, dedicatione patinae, quam ob immenſam magnitudinem Clypeum Minervae αἰγίδα πολιούχου dictitabat. In hac ſcarorum jecinora, phaſianorum & pavonum cerebella, linguas phoenicopterum, muraenarum lactes a Carpathio uſque fretoque Hiſpaniae per navarchos ac triremes petitarum commiſcuit.

L. Vero opinionem evertit, quem parem numero coenam primum instruxisse opinantur. Coena *pontificia* quam *Macrobius* descripsit, mensis duabus convivae decem latere sinistro discumbunt, cubito innixi, caputque pulvinari suffulti. Si plures eodem lecto utebantur, non uti nos, sed ita dispositi jacebant, ut ad dorsum secundi, pedes primi pertingerent, & ita de reliquis.

Honorificentissimus locus in summo erat; in medio quando tres eidem lecto insidebant; hoc habitu cum viris feminas discumbere, initio parum verecundum videbatur, verum temporis processu aut discumbendi morem mutatum, aut virgineum istum pudorem mansuefactum iri, facile quivis praedixisset. Nuptiis aliisque festis diebus, pro convivarum numero, plura uno coenaculo *Triclinia* insternebantur, neque tamen cum amicis confabulari poterant, quot eorum in spatiosis nostris coenaculis saepius una accumbunt. Convivia igitur *Romanorum* minus numerosa plerumque, & minoris proin sumtus fuerunt, quam nostra convivia. Dictumque *Varronis* apud *A. Gellium*, quod convivae non pauciores Gratiarum ternario numero, neque plures Musarum novenario numero esse debeant, non verum solum est, sed & gentis illius moribus ingenioque adposite dictum est. Mantilia quod attinet, ea *Heliogabalus* aurea habuit, ut & *Galienus*, referente *Trebellio*; linea tamen plerumque habuerunt, aut ex molli lana facta, ut *Trimalcio*, *qui non linteis tergebatur, sed palliis ex molli lana factis*; propria interdum lintea convivae adferebant.

Splendidum & sumtuosum conviviorum apparatum apud *Graecos*, *Romanos*, gentesque barbaras, *Philo Judaeus de vita contemplativa* descripsit, qua in re nimis multus est, quam ut huc transferri possit ejus oratio. Inter alia narrantur ab eo lecti eburnei, testidudinei, margaritae, gemmae, lectuli purpurei auro intexti, foliis & floribus variegati; praeterea poculis & omnis generis vasis splendentes abaci, ministrantibus formosissimis pueris, pictura & cultu delicatiori amabilibus; sequuntur fercula septem, subinde plura, omnis generis deliciis referta, quas aer, mare aut terra fundit. Notandum cum ferculis & mensas mutari solitas.

Carnibus piscibusque iisdem fere, quibus nos, vescebantur, si solas excipias *Meleagrides*. Piscium, quos plurimum expetebant, aliquos recensui, ut *Scarum* & *Lupum marinum* &c. πλωτοὺς ait *Athenaeus*

henaeus lib. 1. *cap.* 4. *thymnis* apud *Pachynum* captis, *gruibus e Melo*, *mullis Symeto* advectis, *asellis e Peloro*, *halecibus Liparensibus*, *raphanis Mantineensibus*, *rapulis* quas *Thebae*, *betae* quam *Ascra* fundunt, maximam fuisse gratiam. Placentarum plura genera habuerunt, *placentam*, *laganum*, *libum*, *scriblitam*, *sphaeritam*, *crastianum*, *sirutum*, *crustulum*; quorum quodvis conscribendae dissertationis egregium *Antiquario* argumentum erit, aeque ac inclyta illa quaestio, num *artocreata* habuerint? Coquorum peritiam exinde colligere licet, quod aves & pisces tanta arte imitabantur, ut naturalibus delicato sapore praeirent. *Bithyniae* regi *Nicomedi*, halecum desiderio languenti, recentes coquus attulit, licet magno a mari intervallo. Ex carne aprugna *Trimalchionis* coquus omnis generis & pisces & aves faciebat. Assatis & lixatis, infarctis pasta aliqua, quam pudding *Angli* vocant, maximopere delectabantur. *Athenaeus* coqui meminit, qui integrum aprum dicto modo instruere noverat; de eorum vero jusculis caeterisque ferculis videantur qui in hanc materiam ex professo scripserunt. Palato certe gratissima embammata ex animalium intestinis, quae in convivium inferebantur, excoquebant.

Ferculorum deliciis magis quam multitudini studuisse videntur. Indicem, convivarumque nomina ex pugillaribus *Metelli*, summi pontificis, descripta, reliquit *Macrobius lib* 2. *cap.* 9. Fuit ea, quam memorat, *Lentuli* inauguralis coena, quo die *Flamen Martialis* renuntiatus est. Convivio nonnisi religione sanctae personae, Flamines, virginesque Vestales, interfuerunt. Duobus *tricliniis* decem accumbebant, ipse *Lentulus*, *Q. Catulus*, *M. Æmilius Lepidus*, *D. Silanus*, *C. Caesar rex sacrorum*, *P. Scaevola Sextus*, *Q. Cornelius*, *P. Volumnius*, *P. Albinovanus*, & *L. Julius Caesar Augur*. In tertio *triclinio* coenabant *Popilia*, *Perpennia*, *Licinia*, & *Aruntia* vestales, cum *Publicia Flaminica Lentuli* uxore, ejusque socru *Sempronia*.

Ecce illius *Lentuli inauguralis* coenae indicem.

Ante Coenam.

Echini,
Ostreae crudae, *quantum velint*,

 Pelo-

Peloridae,
Spondyli,
Turdi,
Asparagi,
Subtus gallinam altilem.
Patina Ostrearum,
Pelorides,
Balani nigri, }
Balani albi, }
Iterum spondyli,
Glycomaridae,
Utricae Ficedulae,
Lumbi capragines, aprugni,
Altilia ex farina involuta,
Ficedulae,
Murices, & }
Purpurae }

In Coena.

Sumina,
Sinciput aprugnum,
Patina piscium,
Patina suminis,
Anates,
Querquedulae elixae,
Lepores,
Altilia assa,
Amylum,
Panes Picentes.

Ut quibusdam respondeam, qui dubii haeserunt, an *Vitellius* ci-
bo

bo & potu 7.265625 in annum consumere ulla ratione potuerit, culinarios sumtus sic dispensabo.

In singula convivia numerentur 3229 l. 3 s. 4 d; haec quater in diem repetita, dabunt in annum------	4.714583 l.	6 s.	8 d.
In clypeos *Palladis* ponatur comsumsisse---	765625 l.	0 s.	0 d.
In reliqua triclinia, coenasque adventitias	1.785416 l.	13 s.	4 d.
Habebimus summam	7.265625 l.	0 s.	0 d.

Quae summa integre administrata pro anno sufficiet, distracta autem negligenter, mirum non est, quod multo citius interversa fuerit.

Rem ut virum bonum decet expediturus, Lectores in tam gravi materia de patina *Aesopi* neque deceptos, neque tamen ipse eruditis displicere vellem, qui editis in hanc materiam scriptis, tam proterve se mutuo exagitarunt, ut sola materiae dignitate excusari posse videantur. *Plinium* hoc capite *Gronovius* ter, *Tertullianum* semel ingeniose emendavit. Contra *Budaeum* scripsit *Hotomannus*, utrumque refutavit *Gronovius*; & libri contra libros in aciem processerunt. Ad me quod attinet, omnium Criticorum auxilium supplex imploro, antequam in re tam gravi judicium depromam. Loca autem, quibus celebris haec patina describitur, ut vulgo leguntur, sunt primo, apud *Plinium lib.* 10. *cap.* 51. *Maxime tamen insignis est in hac memoria Claudii Aesopi patina sexcentis sestertiis taxata, in qua posuit aves cantu aliquo aut humano sermone vocales, nummis sex singulas coemptas. Lib.* 35. *cap.* 12. *Nam nos cum unam Aesopi tragoediarum histrionis, in natura avium diceremus, sestertiis C. stetisse, non dubito indignatos legentes. At Hercules, Vitellius in principatu suo C C. sestertiis condidit patinam, cui faciendae fornix in campis exaedificata erat, quoniam eo pervenit luxuria, ut etiam fictilia pluris constent quam murrhina. Tertull. de pallio cap.* 5. sic scribit, *gulam qua Asinius Celer unius mulli obsonium sex sestertiis detulit, qua Aesopus histrio ex avibus ejusdem pretiositatis ut canoris & loquacibus, quibusque centum millium patinam confiscavit.* Quo rem intricatissimam, quae tantas in orbe critico turbas dedit, debite extricemus, eruditos de his pauculis sententias suas rogatos velim.

Quid ipsis de *Budaei* lectione videatur, qui pro *nummis sex* legit *millibus sex singulas?* quot proinde avium patinam fuisse putent, an *centenariam?* sin minus, quaeso avium numerum cuivis maxime placentem, mecum communicent.

Num ipsa *patina* eo loco aestimetur, pro qua sententia calide eruditus *Hotomannus* depugnavit?

Vel num avium & *patinae* pretia conjuncta sint?

Et quid tandem de *Salmasio* ipsis videatur, cui, in *Budaeum* invecto, sententia talis placet.

Tria eo loco *Plinium* asserere; quod *Aesopi patina* fictilis, quod 200 *sestertiis* aestimata, quodque tanti non ex avibus, sed ex praeclaro opere taxata sit, illis singulis forsan vix *schellingum* valentibus? Tam praecipiti judicio calculum non adjicio, quod ex sola comparatione patinarum *Aesopi* & *Vitellii* depromtum est, licet hanc ob praeclarum opus tanti aestimatam esse certo sciamus.

Contra *Tertullianum* omnia summo gradu commiscuisse ne dubitemus. Vel enim ad praecedens exemplum *Asinii Celeris*, vel ad aves, respiciunt verba illa, *ejusdem pretiositatis*, quasi diceret, aves eum habuisse aeque pretiosas ac cantu vocales. Alia mox quaestio suboritur, an vulgares codices male *ex* pro *sex* legant. Quibus omnibus gravibus argumentis pensitatis, animam *Gronovius* spopondit, non plures quam senas vocales aves in patina fuisse, singulis *centum millia* valentibus, adeoque integram patinam oportet valuisse *sexies centum millia*, seu 4843 l. 15 s.

Verum fateor, adeo mihi haec materies impedita videtur, ut cogar eruditos suas de ea re sententias rogare.

CA-



CAPUT. VI.

De Pretio Vestimentorum.

Magni pretii vestimenta ditiores habuisse demonstrant sequentia.

[a] Lanae albae circumpadanae libra *Romana* 100 *nummis* veniit, 16 s, $1\frac{3}{4}$ d. id est libra *Troyensis anglica* s 17. d $8\frac{3}{4}$. Verum hoc summum, nec nisi optimae lanae pretium est, quam laudem circumpadana ad hunc diem obtinet.

[b] Lacernas 10000 emtas, *Basso Martialis* objecit, facientibus 80 l. 14 s. 7 d. quum contra carius nunquam 100 *drachmis* [c] *Cato major* vestiretur.

Carissima fuit purpura. Fundebant eam [d] piscium duo genera, *pelagii*, in maris fundo capti, & *buccini*. *Pelagii* libras quinquagenis nummis parasses, 8 s. $10\frac{3}{7}$ d.

Buccini duplo, id est 17 s. $8\frac{3}{7}$ d. pro libris singulis centenas eo loco legit *Harduinus*.

Sed quivis de piscibus statuat pro lubitu; purpuram magno pretio stetisse inconcussum manebit. Purpura [e] violacea tincta veniit in libras l 3. s 10. d 11.

[e] *Dibapha Tyria*, *denariis* 1000 in libras emi non poterat, 35 l. 9 s. $1\frac{4}{7}$ d.

[f] Summam medicaminum in libras 50 vellerum tingendorum, *buccini* 200, *pelagii* 110 libras esse, scribit *Plinius*. Pro hac ratione & pro pretiis supra dictis, librae vellerum *anglicae* infectus constabit l 4. s 10. d 5.

g Pur-

a Plinius l. 9. c. 47. Centenos nummos libra lanae albae circumpadanae ad hoc aevi non excessit. b Martialis l. 8. Epig. 10. c Plutarchus in Catone majore. d Plinius l. 9. c. 40. Non tamen usque pelagii libras quinquagenos nummos excedere, & buccini centenos, sciant qui ista mercantur immenso. e Plinius l. 9. c. 39. Nepos Cornelius, qui principatu D. Augusti obiit, me inquit juvene, violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat; nec multo post rubra Tarentina. Huic successit dibapha Tyria, quae in libras denariis mille emi non poterat. f Plinius l. 9 c. 38.

[g] Purpurae *Indicae* pretium in libras, 7 s. $1\frac{1}{4}$ d. fuisse, ex *Plinio* adparet, qui alias vilioris quoque infectus purpuras enumerat.

[h] Insaniae idem insigne exemplum adscripsit, ovium viventium vellera variis coloribus infecta fuisse tradens.

Feminas jam olim desipuisse, † *Catonis* illa lex demonstrat, qua 30 schellingos tributi in libras Sterlingi centenas constituit, de ornamentis & veste muliebri & vehiculis, quae pluris quam 121 l. 1 s. $10\frac{1}{4}$ d. essent. Si haec lex ad *Lolliae* [i] tempora perdurasset, pro gemmis, quas gestabat, solvisset 4843 l. 15 s. apparata enim *quadringenties* H. S. fulgebat, 322916 l. 13 s. 4 d.

Lampridius refert, *Heliogabalum* primum fuisse qui holosericum gestaverit. Feminas [k] serica gestasse, est apud *Senecam*, qui de nimia earum pelluciditate eodem loco queritur. Serico viros vestiri vetuit *Tiberius* [l], purpuraeque usum *Julius Caesar* [m] non nisi certis personis, dignitatibus, atque certis diebus concessit.

[n] *Triclinariorum* rabiem eos invasisse dixisses. *Metellus Scipio* triclinaria *Babylonica* 6458 l. 6 s. 8 d. emta, in *Capitonis* criminibus posuit. Sed quantula haec, si cum *Neronis* summa conferantur, qui eadem 32291 l. 13 s. 4 d. postea emit. Feminae lintea saepius 8072 l. 18 s. 4 d. emerunt.

Luxuriam in vestibus id demonstrat, quod eas inter convivium & post balneum mutabant.

Luxuriam *Romanorum* in vestimentis cum nostris sumtibus comparaturi, quo appareat utra pars propensior sit? singula speciatim contemplari debemus. Lintei usum inter *Romanos*, viri saltem, ad tempora usque *Alexandri Severi*, penitus ignoraverunt, quem primum linteam vestem gestasse adnotavit, qui ejus vitam descripsit, *Lampridius*. Tum primum *subuculam* & *indusium* dici coeptum, cum duas tunicas *Romani* gestare coepissent, est apud *Varronem lib.* 1. Laneo indusio *Augustum* vestitum fuisse, omnibus notum est. Sic enim *Suetonius in Aug. cap.* 82. *Hieme quaternis cum pingui toga, tunicis & subuculae thorace laneo & feminalibus & tibiali-*

g Plinius l. 35. c. 6. h Plinius l. 8. c. 48. vidimus jam & viventium vellera purpura, cocco, conchylio, sesquipedalibus libris infecta. † Livius l. 9. Decad. 4. i Plinius l. 9. c. 35. k Seneca de beneficiis l. 7. c. 9. l Dio l. 57. m Suetonius in Caesare c. 43. n Plinius l. 8. c. 48.

tibialibus muniebatur. Feminas in *Serranorum* familia, inaudita luxuria, linteo usas, ex *Varrone Plinius* attulit *lib.* 19. *cap.* 1. In his nostra aetas luxuria vincit. *Tunicas Romani* habuerunt simplices, nullo ornatu variegatas, manicis brevissimis. Qui ad mensam ministrabant, profundius eam plicatam & fibula constrictam gestabant. Tunicae insidebat *paludamentum* sive *chlamys*, vestis brevis, ope fibulae de dextro humero defluens; hac elegantiores & Imperatores insignes erant. *Pallium* ad illius similitudinem proxime accedit, quod apud Romano-Catholocos Ecclesiastici gestant, licet aliquantum brevius.

Plura ejus genera fuerunt. *Palliolum* nostris lacernis conferas, & tunicae & togae usum praebens. A chlamyde *penula* sive *phelonc* parum diversa erat, si materiem excipias. Toga, vulgo denegata, solae Nobilitatis ornamentum erat; ejus usum a *Pelasgis* ad *Lydios*, & ab his ad *Romanos* migrasse, refert *Tertullianus* de *pallio*. In hac consuenda miseri sartores, Antiquarii, mirabiliter oberraverunt: totam litem quemvis vestiarium quam illorum doctissimus, melius expediturum fuisse, mihi persuasum habeo. Has vestes eo dixi, quo planum fieret, nostras vestes & quoad materiam, & quoad manupretium, majoris sumtus esse, quam illae *Romanae* fuerunt, quae nullo artificio consutae, ornamentis, nodis, lemniscis, aureis argenteisque fimbriis, nostris longe concedunt, cui accedit, quod fluxae vestis diuturnior quoque usus sit; vestis summam lautitiam *latum clavum* habebant, quem aureum gestare, inaudita luxuria erat. In *Aureliani* enim epistolis, apud *Vopiscum* in *Bonaso* recensitis, inter dona *Bonaso* a Principe data, numeratur & *tunica auro clavata subserica*. Et apud *Horatium* est de *Art. poet.*

Purpureus late qui splendeat unus & alter
Adsuitur pannus,

Ab his *trabea*, seu *vestis trabeata*, & specie & materia diversa fuisse videtur: si ex nomine augurari licet, non nisi vestis striata fuit. *Lacerna* e castris in urbem transiit, & quotidianae vestis loco, rure praesertim, fuit. Pileum, quo instructa erat, pro occasione vel adnectebant, vel detrahebant. Is vulgo fuscus, purpureus Nobilitati erat. Flammei coloris *lacernam*, *birrhum* dixerunt,

runt, quasi πύῤῥον. *Gausapa* ab una parte pilosa & aspera, *amphimalla* villosa ab utraque fuit. Ornamentorum simplicitatem vel ex nobilium juvenum vestimentis colligas. *Praetexta* enim, quam decimo sexto anno sumebant, non nisi purpuream fimbriam adsutam habebat. *Lacinia* in muccinii locum usi videntur, sic enim *Plautus*,

At tu aedepol, sume laciniam & absterge
Sudorem tibi.

Omnia haec vestimenta lanea initio fuerunt. Serica nisi sub imperii finem importata sunt, & saepius viris legibus interdicta. Principem *Aurelianum* conjugi sericam vestem denegasse, & rem a se insanam peti credidisse, refert *Vopiscus*. Ne vero *sericas* vestes, de quibus hactenus diximus, ejusdem materiae fuisse opineris, unde nostras conficimus. *Bombycinam* quippe Critici a *serica* distinguunt, *Ulpianum* sequuti, cujus haec verba *lib.* 23. *ff. de auro arg. leg. Vestis an vestimenta legentur nihil refert, vestimentorum sunt omnia linea, laneaque, vel serica vel bombycina. Bombycina bombyx* suppeditabat, *serica* ex *gossypii* genere texta videntur. Apud *Appianum Marcellinum lib.* 23. *cap.* 11. haec leguntur. *Coeli apud Seres jucunda temperies salubrisque, aëris facies munda, leniumque ventorum commodissimus flatus, & abunde silvae sublucidae, a quibus arborum foetus, aquarum asperginibus crebris, velut quaedam vellera mollientes, ex lanugine & liquore mixtam subtilitatem tenerrimam pectunt. Virgilius scribit Georg. lib.* 1.

Vellera quae foliis depectunt tenuia Seres.

Plurimaque ejusdem argumenti loca reperiuntur.

Multo impensius capita ornamus, quam a *Romanis* factitatum est, qui nudo plerumque capite incedebant, nec nisi per calorem, frigus, aut humidam tempestatem coacti, *pallio* tegebantur. Rure *pileo* subinde usi sunt, cucullo simili & libertatis symbolo, unde servis manumissis datus est. *Nerone* mortuo universum populum pileatum processisse, legimus apud *Suetonium*. Aliis quoque integumentis, ut *tutulo*, *apice* & *galero*, caput operiebant, quem ultimum ex pecudum

dum immolatarum pellibus factum fuisse constat. Verum totus hic cultus multo minus nostris fimbriatis pileis capillitiisque consumebat. *Petaso* in itinere utebantur, pilei speciem referente, quem ab utroque latere alatum fuisse *Mercurii* statuae ostendunt. Tali *Alexandrum* magnum usum, *Athenaeus* memoriae prodidit.

Muliebrem cultum quod attinet, comparationem cultus feminae *Romanae* & *Anglicae* hunc in modum institui posse crediderim. Vestiarii muliebris apparatum in *Epidic. Act.* 2. *Plautus* facete excussit, qui tamen locus alia lingua transferri nequit; verum feminae *Gallicae* aut *Anglicae* impedimenta longe plura sunt. *Romanae* mulieres, aeque ac *Graecae*, *toga* initio, dein *tunica* usae sunt, quas laneas vulgo, & adeo tenues aestate habuerunt, ut corpora pelluxisse *Lucianus* scripserit. Eo opere ad eam gloriam *Tarentum* pervenit, quam his temporibus simili fere artificio nostra *Norwicensis* civitas nacta est. Extrinsecus *palla* tegebantur sive *amiculo*, seu si mavis *peplo* (haec enim inter se conveniunt) eoque velut velo caput subinde obnubebant. *Crocata* forsan & ipsa exterior vestis, a croceo colore nomen sortita est. *Penulae* antea descriptae usus viris & feminis promiscue patuit, eam his *Alexander Severus*, nonnisi rure, ademit, forsan quoniam clandestinis amoribus nimium favebat. In omnibus dictis articulis, si vestium multitudinem, materiae pretiositatem & ornamenta spectemus, nostrae mulieres *Romanas* luxuria vincunt. An nostras capitis splendido ornatu *Romanae* mulieres assequantur, dubito, quamvis ejus genera infinita veteres statuae & Hermae ostendant. *Faustinam* triplici aut quadruplici capitis ornatu expressam in nummis videmus, eum enim aeque leviter mutabant ac nos. Capillis quoque adscititiis usae sunt, quale illud *Horatii caliendrum*.

Fibulas, quarum genera fere innumera restant, ex aliquo metallo, auro v. g. cusas, (quales militibus *Aurelianum* concessisse *Vopiscus* testis est) utpote longissimi usus, minus consumsisse necesse est, quam nodulos nostros atque lemniscos, singulis vestibus variatos.

Haec de cultu vulgari, vestiumque materia communi dicere constitueram. Quod ad *Byssinam Vestem* attinet, qua nonnullae matronae indutae fuisse perhibentur, tam portentoso pretio stetisse oportet, ut, cum illa nostrae pretiosissimae stragulae nulla ratione compa-

 rari

rari queant. *Byssini* scrupulum 4 *Denariis*, 2 s. 7 d. emtum fuisse, adnotavit *Plinius lib.* 19. *cap.* 1, qua ratione *Averdupois* libram 49 l. 12 s. comparasses, adeoque vestis 20 librarum materiem, 992 l., cui summae manupretium superaccederet.

Armillae, inaures, & monilia, auro & gemmis splendentia, viris cum feminis communis luxus fuit. Electrinae vitreaeque hodiedum reperiuntur. Hac in re in luxuriam ingentem proruperant, unde *Habinnus* in *Trimalchionis* convivio dixit, si filiam haberet se ei aures abscissurum. *Plinius* de unionibus atque smaragdis verba faciens, ad hoc, ait, *excogitata sunt aurium vulnera. Seneca de vita beata, cap.* 17. *Ut mulier locupletis domus censum auribus gereret. Idem de beneficiis* scribit. *Non satis est mulieribus insania, nisi bina ac terna patrimonia auribus pependissent.* Hinc jam olim mulieres, quemadmodum hodie, magnos census auribus gestasse colligimus. *Torquibus* vel aureis vel argenteis, iisque gemmatis, uterque sexus fulgebat. Majores antiqui sumtus in calceis & feminalibus posuisse videntur, quam nos ponimus. Calceorum vel duodecim genera habuisse videntur, id est obstragulorum pro pedibus vel talis tegendis. Horum diuturnum usum quod attinet, utrumque extremum *Pythagorae* discipuli & *Empedocles* tenuerunt, quorum illos corticeos calceos habuisse, *Philostratus in vita Apollonii* tradit, hunc aeterni usus aereos gestasse, *Strabo libro* 6. auctor est. *Philetum Coum* tanta gracilitate fuisse accepimus, ut corpus plumbeis calceis contra venti flatus firmaret. Verum acute *Varro:* qui fabulam ex *Æliano* narrat, quo pacto fieri potuerit, ut tantulus homo tantos calceos gestaret? Calceorum apud veteres omnino duo genera fuerunt, quorum alterum integrum pedem tegebat, ut *mulleus*, *pero* & *phaecasium*, alterum nisi ad summam oram usque pertinebat lorisque firmabatur, quo *caligam*, *soleam*, *crepidam*, *braxeam* & *sandalium* refero. *Mulleis* (unde forsan *Gallicum Mule*) soli initio *Ædiles*, nec ii nisi festis diebus, induebantur. Horum materiem *Allo*, infecto croceo colore, fuisse perhibent. Quando primum *Romani* Senatores calceati incedere coeperint, parum quidem certo constat. De *C. Marii* tamen temporibus & *J. Caesaris*, res est in confesso, quandoquidem huic calceatum objectum esse apud *Dionem* legimus, quo altiore utebatur & flavo, quasi ab *Albanis* regibus prosapiam duceret, quod

tamen

tamen ipſum *Suetonius* nonniſi augendae ſtaturae gratia factum eſſe aſſeverat. Calceamenti poſtea *Romanos* quaſi quaedam rabies invaſit, quo factum eſt, ut ſolita colorum varietate viros *Aurelianus Caeſar* interdixerit, ejus uſu ſolis feminis relicto. Praecipuum vero luxum in Gemmis & Margaritis ponebant, utpote quibus calceos variegatos legimus, verum eum ipſum ornatum, niſi certis Ordinibus, *Heliogabalus* ademit. Vulgus *perone* induebatur, ex corio crudo conſuto. *Phaecaſio* ſacerdotes inter ſacrificandum utebantur, teſte *Appiano Alexandrino*. *Caliga*, militis calceamentum, craſſiſſima ſolea, coriaceis ligamentis ſupra aperturam firmabatur. Imperatorum caſtrenſes calceos & tribunorum, *campagos* nominarunt. Feminarum *ſoleae* ſeu *crepidae*, vix imam pedis partem tegebant. Locus eſt apud *Ciceronem de Inventione*, ex quo reis ligneos calceos, ne clam carcere effugerent, datos eſſe conjicimus. *Soccum* quod attinet, quo comoedi incedebant, inter calceum & tibiale medium locum tenuiſſe videntur. *Cothurnus* tragoedis in uſu fuit, quippe qui altius ſoleati herois ſtaturam augebat. *Bullae*, aliud ornamenti genus, nobilem juventutem ornabant, eaeque vel rotundae, vel in cordis ſpeciem tornatae, cervici, crucis adamantinae inſtar, circumpendebantur. Caeſarum poſtea & Paparum diplomatibus appenſae, eodem nomine decreta ipſa donaverunt.

Reipublicae *Romanae* ſequioribus temporibus picturae & ſuffimentis uterque ſexus ſtudebat, & circa capillitii cultum moroſior evaſit; quos effeminatos mores ejus aetatis Philoſophi, Hiſtorici, & Satyrici quavis linea vehementer increpant.

Ex quibuſdam veterum locis (*Ammiano Marcellino lib.* 28. *Seneca de tranquillitate c.* 1.) adparet, detractas veſtes prelo ſemper ſuppoſitas jacuiſſe, quo fulgorem acciperent.

Sic tua ſuppoſitis perlucent prela lacernis.

Martialis.

Veſtimentorum infinitum numerum habuerunt. De *Lucullo* ita *Plutarchus* refert, *Praetori* cuidam choragia pro ludo poſcenti, quem exhibiturus erat, *Lucullum* reſpondiſſe, inſpecturum ſe an talia domi haberet. Obvium poſtero die *Praetorem*, quot eorum

vellet rogatum, neque ultra centena desiderantem, ducenta accipere jussisse. Adde quae in idem argumentum *Horatius* * scripsit.



CAPUT VII.

De Annua Habitatione.

De annua habitatione quae dicerem pauca reperi. [a] Medium pretium *Julii Caesaris* tempore, *Romae* 2000 *nummûm*, 16 l. 2 s. 11 d. in *Italia* 500 seu 4 l. 0 s. 8¼ d. fuisse, ex *Suetonio* mihi colligere posse videor.

Postremam summam nonnisi trium mensium mercedem fuisse, *Gronovius* † ex *Dione* ostendit.

[b] *Syllae* contubernalis objecit, tam arctam ei aliquando supellectilem fuisse, ut 750 *drachmis*, seu 24 l. 4 s. 4½ d. annuis domum habitaret, cujus ipse summam partem 250 *drachmis*, 8 l. 1 s. 5½ d. conduxerat. *Romana* Nobilitas splendide habitavit: annuam tamen 30000 *nummûm*, seu 242 l. 3 s. 9 d. mercedem, caram reputatam, [c] *Cicero* in oratione pro *M. Coelio* ostendit.

[d] Aedium *Ciceronis* superficies *vicies H. S.* aestimata est, seu 16145 l. 16 s. 8 d. Ejusdem [e] *Tusculanum* 725 *sestertiis* emtum, 5852 l. 17 s. 3¾ d. pretio utrumque nimis vili.

[f] *Domitius* domus magnificentiam *Crasso* objiciens, pro qua *sexagies*

* ——— Chlamides Lucullus (ut ajunt)
Si posset centum scenae praebere rogatus,
Qui possunt tot? ait: tamen & quaeram & quot habebo
Mittam, post paulo scribit, sibi millia quinque
Esse domi chlamydum ——— Horat. Ep. 6. l. 1.

a Suetonius in Caesare. Annuam etiam habitationem Romae usque ad bina millia nummûm; in Italia non ultra quingenos sestertios remisit. † Vide Gronov. de Pec. Vet. p. 57. sq. b Plutarchus in Sylla. c Cicero in orat. pro M. Caelio. Sumptus unius generis objectus est, habitationis, XXX millibus dixistis eum habitare. d Cicero Epist. ad Atticum l. 4. Epist. 2. e Cicero Ep. ad Atticum l. 1. Ep. 14. f Plinius l. 17. c. 1. Valerius Maximus l. 9 c. 1. Cn. Domitius L. Crasso collegae suo, altercatione orta, objecit quod columnas Hymettias in porticu domus haberet: quem cum continuo Crassus quanti domum suam aestimaret? interrogaret, atque ut respondit sexagies sestertio; Quo ergo, inquit, minoris fore aestimas, si decem arbusculas inde succidero? ipse tricies sestertio, inquit Domitius. Tunc ait Crassus,

agies sestertiûm offerebat, seu 48437 l. 10 s. interrogatus est a *Crasso*, quantum pro ea daturus esset, si decem inde arbusculas succidisset. Cum dimidiam se summam detracturum respondisset *Domitius*, uter ergo, inquit *Crassus*, luxuriosior est, tu qui decem arbuscularum umbram *tricies sestertiûm* summa compensas, seu 24218 l. 15 s. an ego, qui domum a majoribus traditam dupli pretii habito? Mendum hic in *Plinii* numeris *Valerius Maximus* sustulit.

Est apud *Plutarchum* in vita *Marii* locus, unde domuum pretia mirabiliter brevi tempore *Romae* crevisse adparet. [g] Domum enim *Marii*, *Corneliae* $7\frac{1}{2}$ myriadibus *drachmarum* venditam, 2421 l. 17 s. 6 d. brevi post *Lucullus* [h] 50 *myriadibus* & 200 *drachmis* emit, seu 16152 l. 5 s. 10 d.

Hanc domuum magnificentiam, pretiique brevi tempore mirabiles accessiones, [i] *Plinius* quoque arguere videtur, dicens, *Lepido* consule pulchriorem domum *Romae* non fuisse, quam ipsius *Lepidi*, eam vero intra annos 35 vix centesimum locum obtinuisse. *Hirrii* villa (quae modica) ob piscinas 32291 l. 13 s. 4 d. emta est.

[k] *Clodius centies & quadragies octies* domo emta, habitavit, i. e. 119479 l. 3 s. 4 d.

Domuum magnificentiae rationem iniens, & materiem & operas viles fuisse mihi fere persuadeo. [l] *M. Lepidus* primus omnium limina ex marmore in domo posuit. Postmodum inaurata[m], vel potius aureis laminis constrata habuerunt. [n] Totius deinde domus parietes crusta marmoris operti, qua in re *Mamurram*, praefectum fabrum *C. Caesaris* in *Gallia*, caeteris praeiisse putaverim: postea ipsos [o] parietes inauraverunt. Domus [p] *Tyriis* intus aulaeis splendebant, columnisque [q] marmoreis inauratis capitibus. [r] *Gordiana* villa perystilon 200 columnarum habuit. Fontes in cu-

Crassus, uter igitur luxuriosior est? egone qui decem columnas centum millibus nummûm emi, an tu qui decem arbuscularum umbram tricies sestertiûm summa compensas. g & h Plutarchus in Mario. i Plinius l. 36. c. 15. k Plinius l. 36. c. 15. l Plinius l. 36. c. 6. m Hieronymus in epist. ad Marcellam. n Plinius l. 36. c. 6. Fabianus Papirius apud Senecam Rhetorem. Primum Romae parietes crusta marmoris operuisse totius domus suae in Caelio monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram Formiis natum, Equitem Romanum, praefectum fabrum C. Caesaris in Gallia. o Plinius l. 33. c. 3. Hieronymus in epist. ad Gaudent. Petronius, aedificant auro. p Tertullianus de habitu mulierum. Parietes Tyriis & Hiacynthinis & illis regiis velis, quae vos operose resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur. q Hieronymus ad Gaudent. r Capitolinus in Gordiano.

in cubiculis [f] vario marmore incrustati saliebant. [t] Domus eis tantum patebant, quantum majoribus rura per leges patuerant, in *Jugera* nempe quaterna, seu 2½ acra *Anglica*. Privata [u] aedificia urbes laxitate aequaverunt. Pomaria [x] & sylvae in aedium cacumine nutabant; domibus in immensam altitudinem erectis, *Augustus* [y] 70 pedes, [z] *Trajanus* 60 modum statuit.

Quae de icone urbis *Romae*, tempore *Septimii Severi* delineatae, supersunt fragmenta, plurimas easque spatiosas ostendunt insulas, quibus non modo singula palatia inaedificata, sed plurimae praeterea artificum domus adstructae conspiciuntur. *Romanae* magnificentiae *Augusti* temporibus plurimum accessit, quippe qui urbem *luteam invenisse*, *marmoream reliquisse*, vulgo perhibetur. Palatiorum & internam & externam speciem parum cognitam habemus: plurimarum partium nomina accepimus, ut *Vestibulum*, *Atrium*, *Triclinia*, *Coenationes*, *Coenacula*, quarum splendidum apparatum plurimorum Auctorum testimonia, qualia sunt quae jam attulimus, manifestum faciunt. *Vestibuli* nomine, non aedium aliqua pars, sed domum inter & plataeam posita aula veniebat, a *Gallo* apud *Aulum Gellium* L.XVI.5. his verbis descripta, *vestibulum esse dicit uon in ipsis aedibus*, *neque partem aedium*, *sed locum ante januam domus vacuum*, *per quem a via aditus accessusque ad aedes est. Cum dextra sinistraque inter januam tectaque, quæ sunt viae juncta, spatium relinquitur*; *atque ipsa janua procul a via est*, *area vacanti intersita. Vestibulum fuit*, ait *Sueotnius*, *in quo Colossus* 120 *pedum staret*, *Neronis effigie*; *laxitas tanta*, *ut porticus triplices milliares haberet*. Aulis itaque hisce ternis *vestibulum* constitisse videtur. *Atrium* aedium pars, aliquantum remota a *vestibulo* fuit.

Crateres magnos statuunt & vina coronant:
Fit strepitus lectis, vocemque per ampla volutant
Atria.

Virg: Æneid. I.

His

f Statius in Tiburtino.

An picturata lucentia marmora vena
Mirer & emissa per cuncta cubilia lympha.

t Valerius l. 4. c. 4. Ei quatuor jugera aranti non solum dignitas patris familias constitit, sed etiam Dictatura delata est. ——— Anguste se nunc habitare putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt. u Salvianus in Eccles. Cath. x Seneca Epist. 122. Non vivunt contra naturam, qui pomaria in summis turribus ferunt, quorum silvae in tectis domorum ac fastigiis nutant. y Strabo l. 5. z Aurelius Victor in Epitome.

His verbis *Virgilium* ad veterem *Romanorum* consuetudinem alludisse, a *Servio* docemur, quippe qui antiquitus, referente *Catone*, *in atriis duobus ferculis epulabantur*.

Locum quo coenabant, *Coenationes*, *Coenacula*, *Triclinia* dixerunt. *Plinii* suburbanum duabus *diaetis* describitur, seu parvis coenaculis, a *coenatione* distinctis, quod illis spatiosius erat. *Coenaculum* in summitate aedium scriptores locant, eo enim nomine coenatorium locum plebs designabat. *Triclinium* a forma & lectis, quibus convivae strati jacebant, nomen sortitum esse, vulgo notum est. Frequens ejus vocabuli usus est pro designandis lectis & mensa, subinde ipsam *coenationem* denotat. Camerae, in quibus cubabant, *cubiculorum* nomine veniebant. Caminos habuisse non videntur, verum carbonibus in testis frigus depulisse. Gravis haec inter antiquarios quaestio fuit, num caminos veteres habuerint? Contra adfirmantes facere videtur, quod de eorum structura *Vitruvius* silet. Egenos homines fumum fenestra emisisse, res est certissima. Lignum *amurca*, olei quadam spuma, inunctum, fumum nullum emittere, scripsit *Cato*, quod quidem fieri haudquaquam posse nobis videtur. Quod ligno ignem accenderint, extra dubium est.

Dissolve frigus, ligna super foco
Large reponens ——————

ait *Horatius Carm. l.* 1. *Od.* 9.

Hinc exitum fumo aperuisse probabile fit. Fumum domuum *Ithacae* *Vlysses* in antro *Calypsonis* videre avebat. *Suetonius* scribit, die quo *Vitellius* inauguratus est, *cum ignis statim caminum incendisset*, *Triclinium deinde absumpsisse*. Caminum hodiernae gentes eodem vocabulo varie inflexo nuncupant. Rariorem *Romae* caminorum usum propria ipsis calefaciendi ratio fecit, a *Seneca Ep.* 90. ita descripta, *Per impressos parietibus tubos per quos circumfunderetur calor, qui ima simul & summa feriret aequaliter*.

De veterum fenestris similiter in utramque partem disputatur; iis usos veteres certissimum est. Lucem lapis pellucidus immittebat, *speculum* dictus, cujus inventionem *Seneca* suis temporibus vindicare videtur: eodem *Plinius* junior in suburbano usus. Eum in

in *Segobriga*, *Hispaniae* provincia effossum, auctor est *Plinius* l. 22. c. 33. Idem genus postmodum *Cyprus*, *Cappadocia*, *Africa* & *Sicilia* suppeditaverunt. Ex eo lapide *Nero* Templum in aurea domo posuit, sine fenestris luminosum satis interdiu: *Alabastritis* speciem fuisse verosimile est, nostra pellucidiorem, quae lumen nonnisi tenuissime secta transmittit. Fenestrae munere tenue velum ut plurimum fungebatur. *Florentinum* quendam senatorem, *Bonarotam*, mox edendo libro vitreas fenestras antiquis adserturum fore, monuit de *Montfaucon*. Opus nunquam vidi, neque igitur allata ab eo argumenta dijudicabo. Non displicet tamen illud *Perraulti*, dicentis, urbanissimum *Augustum* nec lineum indusium in corpore, nec vitreas fenestras in domo habuisse.

Pretiosa supellectile domos splenduisse oportet. *Quinti* supellectilem angustam, plus 8072 l. constitisse, retulit *Martialis Epigr. in Quintum*.

Constat decies tibi non spatiosa supellex.

Sedilium inprimis & lampadum summus & delectus & luxus fuit. *Cubiculares* lectos, contra distincte a *tricliniaribus* ita dictos, postremis temporibus pretiosissimos comparaverunt, eburneis, argenteis, aureis, imo gemmatis pedibus variegatos. Tori, plumarum, stramenti, aliarumque herbarum congerie turgebant, imo eos ipsis ferarum pellibus, quas *Gallia* suppeditabat, refertos habuerunt. Lectos tam alte evectos refert *Plinius* lib. 20. ut gradibus adscendendum esset. Vela circumpensa nullibi leguntur.

Publicorum aedificiorum sumptus hoc loco excutere, a proposito aliquo modo alienum est. *Plinianam* tamen *M. Scauri* [a] Theatri descriptionem infra adposui. Verum Architectonicae haud satis peritus,

a Plinius l. 36. c. 15. Scena ei triplex in altitudinem 360 columnarum, in ea civitate quae sex hymettias non tulerat sine probro civis amplissimi. Ima pars scenae e marmore fuit: media e vitro, inaudito etiam postea genere luxuriae: summa e tabulis inauratis. Columnae, ut diximus, duodequadragenum pedum. Signa aerea inter columnas, ut indicavimus, fuerunt tria millia numero. Cavea ipsa cepit hominum LXXX millia: cum Pompejani Theatri toties multiplicata urbe tantoque majore populo, sufficiat large quadraginta millibus. Sed & reliquus apparatus tantus, Attalica veste, Tabulis pictis, caeteroque choragio fuit, ut in Tusculanam villam reportatis quae superfluebant quotidiani usus deliciis, incensa villa ab iratis servis, concremaretur ad HS. millies.

peritus, aequam operis notionem legentibus exhibere nullo modo possum. Ex descriptione haec fere conjicimus. Scenam fuisse triplicem, clivo crescentem, 360 columnarum, imam e marmore, mediam e vitro, (inaudito genere luxuriae) summam e tabulis inauratis, quibus quid intelligi debeat vix scio, differt enim hic a reliquis *Harduini* exemplum. Infimi ordinis columnae 42 pedes altae erant: signa aerea inter columnas 3000 numero fuerunt. Cavea cepit hominum 80000. Idem *M. Scaurus*, incensa ab iratis servis *Tusculana* villa, in quam, quae superfluebant quotidiani usus deliciis reportaverat, H. S. *millies* perdidit, seu 807291 l. 13 s. 4 d.

Hoc theatrum aureae *Neronis* domui *Plinius* anteponit, quam tamen ingenti constitisse oportet, siquidem *Otho* [b] ad peragendam ejus partem, *quingenties* erogavit, i. e. 403645 l. 16 s. 8 d.

Romanos nostram inaurandi artem jam tum tenuisse, communis sententia est. Verum quaedam inaurationis genera, ipsis usitata, multo plus consumsisse, quam nostri artifices consumunt, exinde manifestum fit, quod *Capitolium* [c] talentis 12000 inauratum est, seu 2.325000 l.



CAPUT VIII.

De Pretio Soli.

Soli pretio ejusque annuo reditui, collatis invicem scriptoribus, aliquam lucem adfundere conatus sum. Praedia pro natura soli & situ varie aestimata esse haud equidem dubito: supersunt tamen medii pretii vestigia, quorum ope *Romani* soli rationem cum latifundiis nostris (*Anglicis*) conferre licet.

[a] Vinitorem, ait *Columella*, cuius operae 7 jugera committi possent,

b Suetonius in Othone. Nec quicquam prius pro potestate subscripsit, quam quingenties Sestertiûm ad peragendam auream domum.

c Plutarchus in Publicola.

a Columella l. 4.

ſent, 8000 H. S. vulgo emi, ſeu 64 l. 11 ſ. 8 d. cum ipſum ſolum ſeptem jugerum, mediae bonitatis, totidem millibus nummorum pariatur: abſumunt itaque ſingula jugera, 9 l. 4 ſ. $6\frac{1}{4}$ d.

Jugeri Romani ratio ad *Acrum Anglicum* numeris 10: 16 fere continetur; acrum itaque *Anglicum* 14 l. 15 ſ. 3 d. aeſtimabimus.

[b] *Plinius* refert, vineam in agro *Nomentano* vili pretio 60000 H. S. venditam, i. e. 4843 l. 15 ſ.

Ejus modum † *Budaeus Centuriam* intelligit. *Centuria* [c] initio jugera centena habuit, poſtmodum impropria oratione, retento vocabulo, 200 jugerum modus ei attributus eſt, licet in vineae centuriis antiquum ſemper, teſte *Catone*, obtinuerit. In quo *Budaei* ſi conſiſtamus, illius vineae *Centuria* 48 l. 8 ſ. 9 d. *Acrum Anglicum* 77 l. 10 ſ. valebit.

[d] Alius eſt apud *Columellam* locus, qui prati, paſcui aut ſilvae, annuum vulgarem in *Italia* reditum 16 ſ. $1\frac{1}{4}$ d. in ſingula jugera facit. Inſtituto ratiocinio, *Acrum* 1 l. 5 ſ. 10 d. in annum reddet.

[e] Soli reditus vulgo ad rationem uſurae *Trientis* (4 de 100) numerabantur; hunc enim agris publicis vectigalis modum conſtitutum legimus.

[f] Ager 500000 nummûm partus, annuos 20000 penſitabat, quo computo ſupra dicti reditus ager, 32 l. 5 ſ. 10 d. in ſingula acra valuiſſet.

[g] Rem ulterius *Varro* alicubi declarat. Is *Merulam* inducit dicentem, ſe ex villae ſaginatis avibus annua 60000 nummûm confeciſſe, 484 l. 7 ſ. 6 d. cui addit *id quod bis tantum*, *quam tuus fundus* 200 *jugerum Reate reddit*: *Axius* itaque, (id enim homini nomen) ex 200 jugeribus dimidiam ſummam percepit, facientem 242 l. 3 ſ. 9 d.

Rediit igitur ex ſingulis jugeribus, 1 l. 4 ſ. $2\frac{1}{5}$ d. in annos.

Quo ratiocinio ex acro *Anglico* 1 l. 18 ſ. 8 d. in annum conficeretur,

b Vide Plinium l. 14. c. 4. † Budaeus l. 5. c Columella l. 5. c. 1. Centuriam nunc dicimus, (ut Varro ait) ducentorum jugerum; olim autem ab centum jugeribus vocabatur centuria, ſed mox duplicata nomen retinuit. d Columella l. 3. c. 3.— prata, paſcua & ſylvae, ſi centenos Seſtertios ſingula jugera efficiant, optime domino conſulere videntur. e Hyginus de limitibus. Vectigal ad rationem uſurae trientis. f Plinius l. 7. Epiſt. g Varro l. 3. c. 2. atque ex ea villa quae eſt Ornithon, ex eo uno quinque millia ſcio veniſſe turdorum denariis ternis, ut ſexaginta millia ea pars reddiderit eo anno villae, bis tantum quam tuus fundus ducentum jugerum Reate reddit.

tur; valet itaque *Acrum* ad rationem usurae *Trientis* 47 l. 1. s. 4 d.

In *Tullii* epistolis ad *Atticum* vilis emtionis insigne exemplum, indicio pravitatis temporum, profertur, quo *Acrum* 1 l. 9 s. 8 d. veniit.

[h] Ingenti gaza *Romam* ab *Augusto* illata, plurimum agrorum pretio accessit.

Quod solum in ipsa urbe attinet, memorabilis est eam in rem Suetonii[i] locus; ubi dicit, aream, cui *Caesar Forum* inaedificavit, H. S. *millies* constitisse, 807291 l. 13 s. 4 d.

Hujus quidem fori mensuras proponere nequeo, minus tamen *Caesaris Circo*, quem *Plinius* [k] emensus est, patuisse videtur: porrigitur hic in longitudinem stadiorum 3, in latitudinem, cui subjungit *Circum* cum aedificiis, jugera nonnisi *quaterna* occupasse, quod male ita legatur oportet, idque ab eruditis nondum animadversum esse magnopere miror; non enim *Jugera quaterna*, sed *quadragena* reponi debent. Est enim *stadium* pedum *Romanorum* 625, qui numerus triplicatus, & in se ipsum ductus, parallelogrammum 1171875 quadratorum pedum *Romanorum* efficit, quo per numerum 28800 diviso, 40 & plura *Romana* jugera prodeunt. *Circum* quidem ipsum, sive parallelogrammo inscriptam ellipsin vix 32 jugera superasse, non quidem nego: enimvero quum *Plinius* ambientia aedificia, quae spatium omnimode explesse videntur, cum *Circo* uno numero complectatur, 40 jugera a vero parum aberrant. Si *Circo* multo minus *Forum* adaequemus, eique jugera *Romana* 40 subjiciamus, seu *Acra Anglica* 25, singula *Acra* 32291 l. constabant, quae ad rationem usurae trientis annuas 1292 l. reddent. Verum 1292 pedibus *porrectis*, *profundis* autem $33\frac{5}{7}$ *Acrum* † absolvitur. Fori itaque singula acra 20 schellingos in singulos pedes reddebant. Mul-

h Suetonius in Augusto. Invecta urbi Alexandrino triumpho regia gaza tantam copiam rei nummariae effecit, ut foenore diminuto, plurimum agrorum pretio accesserit. i Suetonius in Caesare. Forum de manubiis inchoavit, cujus area super HS. millies constitit. k Plinius l. 36. c. 15. Nam ut Circum maximum a Caesare Dictatore exstructum, longitudine stadiorum trium, latitudine unius, sed cum aedificiis jugerum quaternum (*Quadraginta*) ad sedem CCLX millia hominum inter magna opera dicamus.

† Ne Acrum hoc, quod areis urbanis adplicatur, cum agresti illo, de quo in praecedentibus, confundas. Agreste, mera superficies, pedes regios anglicos 720 in longitudine, & 72 in latitudine continet. Urbanum, Parallelepipedum est, pedum 1292 in longitudinem & latitudinem, altitudine $33\frac{5}{7}$.

S 2

Multum autem ab ea laxitate abfuit *Forum*, pluribus enim Antiquarii rationibus inducti, magnitudine huic quodvis aliud anteponunt; neque fi verum fateamur, 2 acra amplitudine excedere potuit, fi cum fchemate fori *Nervae* conferatur. Sed demus ei 5. Parallelepipedum igitur, quod pedem in longitudine, in profunditate pedes $33\frac{5}{7}$ habet, annuum fructum 5 l. reddet.



CAPUT IX.

De Aromatum communi pretio, quo libra ROMANA PLINII *tempore* ROMÆ *veniit, quae* 3 *quartis partibus noftrae* AVERDUPOIS *librae aequalis eft.*

[a] S*andarachae* pretium in libras 5 *affes*, $3\frac{7}{8}$ d.

[b] *Sinopis*, *Rubricae* genus, 8 *affes*, $6\frac{1}{2}$ d.

Optimae 30 *affes*, 1 f. $11\frac{3}{4}$ d.

[c] Purpurae *Armeniae* 30 H. S. 4 f. $10\frac{7}{8}$ d.

[d] *Indicae* pretium, a *denario* uno ad 30, feu a $7\frac{3}{4}$ d. ad 19 f. $4\frac{1}{2}$ d.

[e] *Pelagio*, fucco e pifce ad tingendam purpuram expreffo, pretium erat 50 H. S. 8 f. $0\frac{7}{8}$ q.

[f] *Buccino*, fucco quem pifcium aliud genus fundebat, itidem purpurae expetito, in libras HS. 100. 16 f. $1\frac{3}{4}$ d.

Pro libra una *Harduinus* centenas libras legit. *Plinii* enim eo loco mens haec eft, purpurae caritatem mirabilem videri, quum mercimoniorum quibus inficitur tam vile pretium fit.

† In libras vellerum, ait *Plinius*, requiruntur *Buccini* 200, *Pelagii*

a Plinius l. 35. c. 6. Affes quini in libras. b Ibidem. Affes octoni in libras. c Ibid. Nummi triginta in libras. d Plin. l. 35. c. 5. A fingulis denariis ad triginta. e Plin. l. 9. c. 40. Quinquaginta nummi. f Ibidem. Centeni nummi. † Plin. l. 9. c. 38.

lagii 110, quae ad eximium colorem optima mixtura: ſecundum primam lectionem de ſingulis libris, librae infectus 4 l. 2 ſ. $4\frac{1}{4}$ d. conſtabit, quam ſummam capite de veſtimentis in libram *Anglicam* computaveramus. Verum hic *Plinii* locus aliquo peccato deformatus videtur, numeroque L. quem temere *Harduinus* inſeruit, centenarium ſubſtituere, ſeu C. convenientius videtur, quo librae dimidium pretium detractum iri manifeſto adparet; purpuram [g] enim violaceam *Plinius* 3 l. 4 ſ. 7 d. in libras aeſtimavit, quibus libras infecti velleris intelligi debere crediderim.

[h] *Cinnabari* pretium 50 HS. 8 ſ. $0\frac{7}{8}$ d.

Purpurae Tarentinae rubrae pretium adſcriptum non eſt.

[i] *Dibaphae Tyriae*, 1000 *denarii*, 32 l. 5 ſ. 10 d.

[k] *Melinum*, color e *Melo* inſula advectus, *nummo* veniit, $1\frac{15}{16}$ d.

[l] *Paretonium*, color fulgoris conſtantis, quem *Aegyptus* fundebat, *denariis* 6, 3 ſ. $10\frac{1}{2}$ d.

[m] *Ladanum*, gummi ſpecies, 40 *aſſibus*, 2 ſ. 7 d.

[n] *Opoponacis* pretium in libras 2 *denarii*, 1 ſ. $3\frac{1}{2}$ d.

[o] *Gummi Ammoniaci*, *aſſes* 40, 2 ſ. 7 d.

[p] *Galbani*, *denarii* 5, 3 ſ. $2\frac{3}{4}$ d.

[q] *Bdellii* ſinceri, 3 *denarii*, 1 ſ. $11\frac{1}{4}$ d.

[r] *Myrrhae ſativae*, *denarii* 10, 6 ſ. $5\frac{1}{2}$, ad ſummum 11, ſeu 8 ſ. $1\frac{1}{4}$ d.

[ſ] *Myrrhae Erythraeae* ab 11 *denariis*, 8 ſ. $1\frac{1}{4}$ d, ad 16, 10 ſ. 4 d.

[t] ------*Troglodyticae* nucleo, (i. e. granulatae) *denarii* 16, 10 ſ. 4 d.

[u] ------ *Odorariae*, 14 *denarii*, 9 ſ. $0\frac{1}{2}$ d.

[x] *Thuris* viliſſimi, *denarii* 3, 1 ſ. $11\frac{1}{4}$ d.

[x] Medii, *denarii* 5, 3 ſ. $2\frac{3}{4}$ d.

[x] Optimi, *denarii* 6, 3 ſ. $10\frac{1}{2}$ d.

[y] *Styracis*, *denarii* 19, 12 ſ. $3\frac{1}{4}$ d.

[z] *Chiae*;

g Idem. l. 9. c. 39. Libra denariis centum. h Plin. l. 3. c. 7. Quinquaginta nummi cinnabari pretium. i Ibidem. Mille denariis in libras. k Plinius l. 35. c. 6. Seſtertiis ſingulis in libras. l Ibid. Paretonii optimi libra VI. denariis. m Plinius l. 12. c. 17. XL. aſſes pretium in libras. n Ibid. c. 26. X bini. o Ibid. c. 23. XL. Aſſes. p Ibidem c. 26. X; V. permutatur in libras. q Ibid. c. 9. Bdellii ſinceri libra III. denariis. r Ibidem c. 16. X. XI. ſ Ibid. c. 16. XI. ad XVI. t Ibid. Troglodytici nucleo XVI. u Ibid. odorarii XIV. x Ibid. c. 14. X. III. V. VI. y Ibid. c. 25. X. XIX.

[z] *Chiae*, maſtigis albae, *denarii* 20, 12 ſ. 11 d.
[a] *Piperis nigri*, 4 *denarii*, 2 ſ. 7 d.
[a] *Albi*, 7 *denarii*, 4 ſ. 6⅓ d.
[a] *Longi*, 15 *denarii*, 9 ſ. 8¼ d.
[b] *Cardamomi*, 12 *denarii*, 7 ſ. 9 d.
[c] *Amomi* non friati, *denarii* 60, 1 l. 18 ſ. 9 d. friati, 58 *denarii* 1 l. ſ 17. d 5⅓.
[d] *Myrobalani*, 2 *denarii*, 1 ſ. 3⅓ d.
[e] *Zyngiberis*, *denarii* 6, 3 ſ. 10, d.
[f] *Junci odorati*, *denarii* 11, 7 ſ. 1¼ d.
Optimi *denarii* 15, 9 ſ. 8⅓ d.
[g] *Coſti*, *denarii* 16, 10 ſ. 4 d.
[h] Nardi ſpicae, *Microſphaerae* folia in libras 75 *denarii*, 2 l. 8 ſ. 5¼ d.
[h] ---------- *Meſoſphaerae*, *denarii* 60, 1 l. 18 ſ. 9 d.
[h] ---------- *Hadroſphaerae*, *denarii* 50, 1 l. 12 ſ. 3⅓ d.
[h] ---------- *Spicae* in libras *denarii* 90, 2 l. 18 ſ. 1⅓ d.
[i] *Nardi Gallici*, in libras *denarii* 3, 1 ſ. 11⅓ d.
[k] *Xylocinnamomi*, *denarii* 20, 12 ſ. 11 d.
[l] *Succus Cinnamomi*, ſive oleum quod inde exprimitur, emtus eſt ſubinde 1000 *denariis*, 32 l. 5 ſ. 10 d.
[m] *Iſocinnami*, *Casſiae* generis, quod *Cinnamo* aequale aeſtimatur, *denarii* 300, 8 l 13 ſ. 9 d.
[n] *Malobathri* pretium a ſingulis *denariis* pervenit ad 300, qui faciunt 8 l. 13 ſ. 9 d.
Oleum inde expreſſum veniit *denariis* 60, 1 l. 18 ſ. 9 d.
Cinnamomi Camaci, ſucci e nuce expreſſi, pretioſis unguentis miſceri ſoliti, pretium in libras *aſſes* 40, 2 ſ. 7 d. Differt ſuccus hic a ſucco quem *Cinnamomi* [o] *Plinius* vocavit.

p *Seri-*

z Ibid. c. 17. XX. denariis. a Ibid. 7. IV denarii. VII denarii. XV denarii. b Ibid. c. 13. XII denarii. c Ibid. c. 13. d Ibid. c. 21. II denarii. e Ibid. c. 7. VI denarii. f Ibid. c. 22. XI ad XV. g Ibid. c. 12. XVI denarii. h Ibid. c. 12. ſpicae folium Microſphaerae LXXV denarii. Meſoſphaerae in libras LX. Hadroſphaerae L. ſpicae in libras XC denarii. i Ibid. Nardi Gallici libra III denariis. k Ibid. c. 19. Xylacinnamomi pretium in libras denarii XX. l Ibid. c. 19. Succus cynnamomi libra quondam M denariis. m Ibid. c. 20. CCC denarii. n Ibid. c. 26. Malobathri pretium prodigio ſimile, a ſingulis denariis ad CCC pervenire libras. Oleum autem ipſum in libras X. LX. o Plin. l. 12. c. 28. Aſſes XL.

[p] *Sericati*, alius olei unguentis adfusi, *denarii* 6, 3 ſ. $10\frac{1}{2}$ d.

[q] *Olei Cyprii*, quod arbor in *Aegypto* fundit, *denarii* 5, 3 ſ. $2\frac{3}{4}$ d.

[r] *Aſpalathi*, radicis unguentis expetitae, *denarii* 5, 3 ſ. $2\frac{3}{4}$ d.

[ſ] *Opabalſami*, *denarii* 300 in *ſextarios*, in *Anglicas* pintas 8 l. 2 ſ. $1\frac{3}{4}$ d. vendente Fiſco. Adulteratum [t] vero 27 l. o ſ. $4\frac{1}{2}$ d. in pintas vendebant.

[u] *Xylobalſamum*, oleum ex ejus arboris ſarmentis excoctum, venibat *denariis* 6, 3 ſ. $10\frac{1}{2}$ d.

[x] Oleum *Seſami*, nuclei *Indici*, juſculis gratiſſimi, in pintas 5 ſ. 6 d.

[y] *Garum*, jusculum e piſce excoctum *Romanis* uſitatiſſimum, in pintas 11 ſ. $5\frac{1}{7}$ d.

p Ibid. c. 25. VI denarii. q Ibid. c. 24. V Denarii. r Ibid. V denarii. ſ Plin. l. 12. c. 25. t Ibid. u Ibid. VI denarii. x Quintus Curtius l. 5. CCXL denarii, Amphora. y Plin l. 31. c. 8. Singulis millibus nummum permutantibus congios fere binos.



CA-



CAPUT X.

De Pretio Servorum.

R*omanorum* divitias alia via emetiemur, si manupretia & quorumdam artificum opera aestimaverimus. Id ut assequamur, a pretiis servorum incipiendum videtur.

[a] *Catonis majoris* tempore, servum *drachmis* vulgo 375 emisses 48 l. 8 s. 9 d.

Ille in suis praeceptis posuerat, ne quis delicatum servum aleret sed viribus valentem operisque rusticis obeundis parem.

[b] Vinitorem 8000 *sestertiis* emebant, 64 l. 11 s. 8 d. Hactenus nisi vulgaria pretia enumeravimus; servi autem qui liberaliores artes edocti animi causa & propter luxuriam comparabantur, multo majore venibant.

Magno *Anagnostae* constabant. [c] *Calvisius Labinus*, qui docti hominis famam docta familia aucupabatur, singulos servos *Anagnostas* 100000 *nummis* sibi constare gloriatus est, 807 l. 5 s. 10 d.

[d] *Julius Caesar* amoeniores literas absque affectatione revera edoctus, plurima eo pretio servitia emerat.

[e] Pretium hominis in servitio geniti maximum, grammaticae artis *Daphnidis* fuisse scribit *Plinius*. Varii locum hunc varie legunt, *Harduinus sestertiis septingentis* interpretatur, qui faciunt 5651 l. 0 s. 10 d. Huic majus subjungit, quo *Tiridatis* dispensatorem [f] *Nero* manumisit. Legit ibi *Harduinus*, *centies tricies H. S.* 104947 l. 18 s. 4 d.

Hoc tamen in bello capti hominis pretium fuisse, non civis, ibidem a *Plinio* admonemur.

Inter

a Plutarchus in Catone majore. b Columella l. 3. c. 3. c Seneca l. 4. Epist. ad Lucilium. Ut Grammaticos haberet Analectos, cum dixisset Sabinus, centenis millibus sibi constare singulos servos. d Suetonius in Caesare. e Plinius l. 7. c. 39. Pretium hominis in servitio geniti maximum ad hanc diem (quod equidem compererim,) fuit grammaticae artis Daphnis, Gnatio Pisaurense vendente, & M. Scauro principe civitatis III. DCC. licente. f Plinius. ibid. III. CXXX. manumisit.

Inter politiora servitia cariſſimi fuere hiſtriones, quod [g] *Plinius* non miratur, cum dominis tantum meritaverint. *Roſcium* inprimis 500 *ſeſtertia* meritaſſe produnt, 4036 l. 9 ſ. 2 d. [h] Et quoties in ſcena luderet, 4000 *nummos*, 32 l. 5 ſ. 10 d. in diem.

Numeri in *Ciceronis* oratione pro *Roſcio* depravati ſunt.

[i] *Calliodorus* ſervum apud *Martialem* vili addixit, ut ſemel bene coenaret, nempe 10 l. 10 ſ. $8\frac{3}{4}$ d.

[k] *Morio* emtus eſt 161 l. 9 ſ. 2 d.

[l] *Juſtinianus* haec pretia inſigniter poſtea minuit. Minima non infra 20 *ſolidos*, maxima non ſupra 80, ſtare juſſit. Solidi *aurei* eorum temporum fuerunt, quorum 100 conficiebant 10 *ſeſtertia*, i. e. 80 l. 14 ſ. 7 d.

Iſtorum vero pondere & auri hodierno valore ſpectato, aequivalebunt 87 l. 8 ſ. $6\frac{5}{7}$ d.

Servemus veterem rationem: viliſſimum itaque ſervitium, ſecundum *Juſtinianum*, 10 *ſolidis* conſtitit, ſeu 8 l. 1 ſ. $5\frac{1}{2}$ d. cariſſimum 80, vel 64 l. 11 ſ. 8 d. emtum eſt.

Pretia intermedia ſic ordinavit. [m] Servum aut ancillam minorem natu 10 annis, aeſtimavit 8 l. 1 ſ. $5\frac{1}{2}$ d.

[n] Aetate provectiorem, duplo, ſive 16 l. 2 ſ. 11 d.

[o] Servis & ancillis artificibus modum ſtatuit 30 *ſolidos*, 24 l. 4 ſ. $4\frac{1}{2}$ d.

[p] *Eunuchos* minores 10 annis 30 itidem *ſolidos* valere juſſit, i. e. 24 l. 4 ſ. $4\frac{1}{2}$ d.

[q] Servo vero *Notario*, & *eunucho*, qui decimum annum ſuperaviſſet, pretium 50 *ſolidos* conſtituit, 40 l. 7 ſ. $3\frac{1}{2}$ d.

[r] *Eunuchum* tandem artificem pluris quam 70 *ſolidis*, 56 l. 10 ſ. $2\frac{1}{2}$ d. emi vetuit.

Neceſſe eſt *Romanos* ſumtus in Familiis ingentes poſuiſſe. Totos enim [s] exercitus ad hominum 10 aut 20 millia [t] in comitatu ha-

g Plinius ibid. Quippe cum jam apud majores Roſcius Hiſtrio III. D. annua meritaſſe prodatur. h Macrobius l. 13. Saturn. c. 14.

i Addixti ſervum nummis here mille trecentis,
Ut bene coenares Calliodore ſemel.
Mart. l. 10. Epigr.

k Morio dictus erat: viginti millibus emi.
Redde mihi nummos Gurgiliane, ſapit.

l Juſtinianus l. 3. Cod. de commun. Legat. & de Fideicom. m L. 37. ff. de peculio &c. L. 3. Cod. Comun. de Legat. & Fideicom. n L. 6. Cod. conſtit. 43. o L. 6. Cod. conſt. 43. p Ibid. q Ibid. r L. 3. Cod. de commun. Legat. & Fideicom. s Hieronymus Epiſt. ad Furiam. t Athenaeus l. 6. μυρίους καὶ δὶς μυρίους.

T

habuerunt, quos profecto non quaestui, sed ad splendorem alebant.



C A P U T. XI.

De Pretio Tabularum pictarum, signorum, aliorum operum, & varii generis artificiorum.

Pretii tabularum pictarum nulla initio, imo nulla ad A. U. usque 565, scientia *Romanis* fuit. Neque *virtuosi* nomen *L. Mummius Achaicus* in ea re mereri videtur. Cum enim Rex *Attalus sexies sestertium*, ut *Plinius* scribit, seu 4843 l. 15 s. tabulam *Aristidis*, Liberum Patrem continentem, emisset, *L. Mummius*, suspicatus aliquid in ea virtutis quod ipse nesciret, revocavit tabulam, *Attalo* multum querente. [b] Alibi *Aristidis* tabulam 100 talentis, 19375 l. *Attalum* Regem licitatum esse, scripsit idem *Plinius*, quae an eadem cum priore, alterutra male aestimata, censenda sit? non definiam.

Melius insequenti tempore picturarum pretia edocti sunt. [c] *Medeam Timomachi*, ejusdemque *Ajacem*, 80 talentis *Julius Caesar* emit, id est 15500 l.

[d] *Cydiae* Argonautas *Hortensius* H-S. CXLIV. 1162 l. 10 s. comparavit.

[e] Duas *Ajacis* & *Veneris* tabulas a *Cyzicenis* vili *Agrippa* mercatus est, *sestertiis* XII. M. 96 l. 17 s. 6 d. cum tamen omnes mirarentur, quod tanta torvitas tantum impendisset.

[f] *Venus Anadyomene* (id est e mari emergens) 100 talentis aestimata est, 19375 l. hanc enim summam de stipendio remiserunt *Romani*.

[g] *Archi-Gallus*, quam picturam *Tiberius* Princeps adamavit, 60 *sestertiis* aestimatus est, 484 l. 7 s. 6 d.

[h] Ta-

a Plinius l. 35. c. 4. b Plinius l. 7. c. 38. c Ibid. d Plinius l. 35. c. 11. e Plinius Ibid. Verum eadem illa torvitas tabulas duas Ajacis & Veneris mercatus est a Cyzicenis HS. XII. M. f Strabo l. 14. φασὶ δὲ τοὺς κῴους ἀντὶ τῆς γραφῆς ἑκατὸν ταλάντων ἄφεσιν γενέσθαι τοῦ προσταχθέντος φόρου. g Plinius l. 35. c. 10. Pinxit & Archigallum, quam picturam amavit Tiberius princeps, atque, ut auctor est Decius Eculeo, LX sestertiis aestimatam, cubiculo suo inclusit.

[h] Tabulae, qua municipem suam *Glyceram* ipse *Pamphilus* pinxerat, apographon, *L. Lucullus* 2 *talentis* emit, 397 l. 10 s.

Et quo de *Graecis* pretiis aliquid dicamus; *Asclepiodoro* [i] *Mnason* Tirannus pro 12 Diis, dedit in singulos 30 *Minas*, seu 96 l. 17 s. 6 d. adeoque pro universis duodecim, 1162 l. 10 s.

Vili profecto pictoris opus emit, quem in Symmetria ipse mirabatur *Apelles*.

[i] Idem *Mnason* heroas carius quam Deos emit: *Theomnesto* in singulos mnas *centenas* dedit, 322 l. 18 s. 4 d. proinde in duodenos 3875 l.

[k] *Aristides* ad proelium *Alexandri* cum *Persis* pingendum conductus est: homines ea tabula 100 complexus, pactusque in singulos non plus quam 10 minas, facientes in summam 3229 l. 3 s. 4 d.

Princeps hic *Aristides* in expressione, durior paulo in coloribus habitus est.

[l] *Apelli* pro *Alexandro* Magno, fulmen tenente, (in templo *Ephesiae Dianae* adpenso) 20 talenta auri appensa sunt, non numerata, quae pro decupla ratione faciunt 38750 l. quam summam ratio auri & argenti, quae his temporibus obtinet, augeret. Pro talentis *auri* talenta *argenti* legit *Harduinus*.

Dictarum tabularum nonnulla pretia ideo proposui, quo veterum pictorum morem ostenderem, pretia suis operibus ad numerum figurarum statuentium.

[m] *Nicias* pictor *Homeri Necromantiam* vendere noluit *Attalo* Regi *talentis* 60, id est 11625 l.

Major *Romanis* signorum operumque caelatorum copia, quam eximiarum picturarum fuisse videtur. [n] Plurimorum ex istis memoriam conservavit *Plinius*, pretio tamen plerumque omisso. Ea autem magno emta esse nobis facile persuademus; in tantis enim di-

h Plinius l. 35. c. 11. Hujus tabulae exemplar quod apographon vocant, L. Lucullus duobus talentis emit. i Plinius l. 35. c. 10. Eadem aetate fuit Asclepiodorus, quem in Symmetria mirabatur Apelles, huic Mnason Tyrannus pro duodecim Diis dedit in singulos Mnas tricenas: idemque Theomnesto in singulos Heroas mnas centenas. k Plinius l. 35. c. 10. Idem (Aristides) pinxit proelium cum Persis, centum homines ea tabula complexus, pactusque in singulos mnas denas a Tyranno Elatensium Mnasone. l Plinius l. 35. c. 10. Pinxit & Alexandrum Magnum, fulmen tenentem, in templo Ephesiae Dianae, viginti talentis. m Plinius ibid. n Plinius l. 34. c. 7.

divitiis & tanta luxuria quid est, cur libidinem in ea re refrenassent? Pleraque signa aut peregre importata, aut a *Graecis* artificibus sculpta sunt. Absoluti quidem operis dignationem ex signorum quorundam, ob magnitudinem vel ob metalli pretiositatem, mirabilibus pretiis, inique concluderemus, nonnulla tamen horum commemorabimus, quoniam magnificentiam demonstrant.

[o] *Mutiano* Consule tria millia praeclarorum signorum *Rhodi*, & totidem *Athenis* numerabantur. [p] Solis *Colossus* in eadem urbe, quem fecerat *Chares Lyndius*, 70 cubitorum altitudinis fuit, id est 105 $\frac{2}{11}$ pedum *Anglicorum*, si ad *Graecam* mensuram ratio subducatur; effectum tradunt 12 annis 300 *talentis*, id est 58125 l.

[q] Erant praeterea alii minores in eadem urbe *Colossi* centum.

[r] *Tarenti* quoque *Colossus* factus est a *Lysippo*, qui *Charem* docuit, 40 *cubitorum* in altitudinem 60 $\frac{11}{12}$ pedum.

[s] *Apollinis* Colossus in *Capitolio*, quem e Ponto *Lucullus* advexit, pedes altus erat 45$\frac{1}{3}$, talentisque 150 factus est, 29062 l. 10 s.

[t] *Zenodori Mercurius* in civitate *Arvernis*, quem omnes ejus aetatis statuas amplitudine superasse dixit *Plinius*, per 10 annos factus, constitit *sestertiis* 400, id est 3229 l. 3 s. 4 d.

[u] *Verres* pro statua, neque ea maxima, 1259 l. 3 s. 4 d. coegit, quae summa *Ciceroni* in *Verrem* dicenti nimia videtur. Idem statuarum vilissima pretia in *Verrinis* commemorat.

[x] *Praxitelis* v. g. *Myronis* & *Polycleti* signa emta sunt 52 l. 9 s. 2$\frac{1}{4}$ d.

[y] *Praxitelis Cupido* veniit 12 l. 18 s.

Operum quorundam pretia *Ciceronis* Actiones in *Verrem* recensent; ea vero tam immani pretio addixit, & tam vili facienda curavit, ut nihil exinde inferri posse videatur.

Exemplo sint haec: accusabatur a *Cicerone* [z], quod opus H. S. 560000, id est 4520 l. 16 s. 8 d. addixisset, quod 80000 H. S. effici potuisset, seu 645 l. 16 s. 8 d.

[a] Ibi-

o Plinius ibid. p Ibid. Solis Colossus Rhodi quem fecerat Chares Lyndius, Lysippi discipulus, septuaginta cubitorum altitudinis tulit: duodecim annis tradunt effectum CCC talentis. q Ibid. r Ibid. s Ibidem. t Ibidem. u Cicero in 3 Verrina. XXXIX millia denarios. x Cicero passim in Verrinis. y Cicero in 4 Verrina de signis. z Cicero in Verrina prima. Addicitur id opus HS. DLXM. cum tutores HS. LXXX. millibus id opus se effecturos clamarent.

[a] Ibidem ſcribit, tres columnas longae difficilisque vecturae neque minores iis, quas *Verres* poſuerat, ſingulas 40000 HS. ſeu 322 l. 18 ſ. 4 d. locari potuiſſe; quod ſatis magnum pretium nobis videtur, quippe ultra 100 l. in earum ſingulas cedit.

[b] Decem columnas *Craſſus* 100000 HS. id eſt 807 l. 5 ſ. 10 d. licitatus eſt.

[c] His artibus *Verrem* locupletatum fuiſſe mirum non eſt; quandoquidem 40000000 HS. contra leges abſtulit, ſeu 322916 l. 13 ſ. 4 d.

[d] Ejusque ſcriba permiſſu domini ad tredecies HS. 10494 l. 15 ſ. 10 d.

Sed redeamus ad ſignorum pretia. [e] *Veneris Genetricis* Protoplaſma *Lucullus* 60 *ſeſtertiis* emit, 484 l. 7 ſ. 6 d. ab *Arceſilao* confectum, adeo probato artifice, ut [f] *Octavio* equiti *Romano* cratera facere volenti, exemplar e Gypſo talento fecerit, id eſt 193 l. 15 ſ.

Ut Abaci apparatum breviter perluſtremus, res ipſa admonere videtur.

[g] *Delphines* HS. 5000 in libras emptos *C. Grachus* habuit, id eſt 40 l. 7 ſ. 3½ d.

[g] Duos ſcyphos *Mentoris* manu caelatos *Craſſus ſeſtertiis* 100 emit, ſeu 807 l. 5 ſ. 10 d. Confeſſus tamen eſt nunquam ſe iis uti auſum propter operis ſubtilitatem, ſeque praeterea 6000 HS. in libras *Romanas* plura argentea vaſa empta habere, id eſt 48 l. 8 ſ. 9 d.

[h] Eodem pretio duo vitrei calices empti ſunt.

Ratione ad noſtram nummariam legem, & noſtram *Anglicam* libram ſubducta, vaſorum, quae ultimo loco taxavimus, ſolum opus ad libras 48 l. 19 ſ. 1 d. conſumſiſſet.

Murrhina vaſa Romani & *Trullas*, (poculi genus) mirabilis pretii habuerunt. [i] Calicem ad Pintas 3½ capacem, venditum legimus *ſeſtertiis* 80, ſeu 645 l. 16 ſ. 8 d.

[k] *Nummis* 150000 *Trullam* unam emit materfamilias non dives, facientibus 1210 l. 18 ſ. 9 d.

Li-

a Cicero ibid. In aedibus privatis longae difficilisqne vecturae columnae ſingulae ad impluviem LL-S quadragenis millibus locatae ſunt. b Valerius Maximus l. 9. c. 1. c Cicero in Praetura Urbana. d Ibidem & in frumentaria Verrina. Tredecies Verris ſcriba permiſſu domini ex pecunia publica abſtulit. e Plinius l. 35. c. 12. f Ibidem. g Plinius l. 33. c. 11. h Plinius ibid. i Plinius l. 37. c. 2. k Plinius ibid.

Libris manu exaratis & divulgatis, alii artificii generi, certum pretium conſtitutum fuiſſe nullus dubito. Scriptores nulla, niſi eorum pretia memoriae mandaverunt, quae inedita raritate commendabantur. [l] Patruum *Plinius* dicentem audivit, potuiſſe ſe ſuos Commentarios, 160 numero, *Largio Licinio* 400000 *nummis*, 3229 l. 3 ſ. 4 d. vendere. In eadem epiſtola opiſtographos ſeu minutiſſimis litteris ſcriptos fuiſſe adfirmat.

[m] Major haec ſumma quam illa 3 talentorum *Atticorum* eſt, qua libros paucos *Leuſippi* Philoſophi emit *Ariſtoteles*. Hanc *Gellius* nummis *Romanis* 72000 reddit. Utraque ratio ſecundum Tabulas 581 l. 5 ſ. in ſummam reddit, quod ipſum recte ſervatae analogiae, & accurationis Tabularum argumentum eſt.

[n] Apud *Diogenem Laertium* in vita *Platonis* legitur, *Philolai* paucos libellos 100 *minis* emtos eſſe, facientibus, ſecundum *Gellium*, 10000 *denarios*; utraque computatio dat 322 l. 18 ſ. 4 d.

[o] Librorum magicorum, quos concrematos in Actis Apoſtolorum legimus, pretium fuit 5 myriades *drachmarum*, ſeu 1614 l. 11 ſ. 8 d.

Opportunus locus eſt, eruditorum & artificum remunerationes tradere. Medicis [p] *ſeſtertia* 250, ſeu 2018 l. 4 ſ. 7 d. annua merces a Principibus ſuis data eſt.

[q] *Stertinius* queſtus eſt, quod HS. quingenis, ſeu 4036 l. 9 ſ. 2 d. annuis contentus eſſet, cum ſibi 600 urbis quaeſtu fuerint, id eſt 4843 l. 15 ſ.

Tantum ſe habere numeratis domibus oſtendebat, hinc annua medicis ſtipendia a privatis data adparet.

[r] *Vettius Valens*, *Medicinae* ad ſummum atque *Aſtrologiae* ſtudioſus, *Meſſalinae* vero adulterio nobilitatus, patriae muris reliquit *centies* HS. ſeu 80729 l. 3 ſ. 4 d. moenibus quoque aliis non minori ſumma exſtructis.

[s] *Ster-*

l Plinius in epiſt. ad Marcum. m Gellius l. 3. Ariſtotelem quoque traditum eſt libros paucos Leuſippi Philoſophi poſt mortem ejus emiſſe talentis Atticis tribus. Ea ſumma fit nummi noſtri duo & ſeptuaginta millia. n Diogenes Laertius in vita Platonis. o Acta Apoſt. c. 19. v. 19. καὶ εὗρον ἀργυρίου μυριάδας πέντε. p Plinius l. 29. c. 1. Multos praeterea Medicos celeberrimosque ex iis Caſſios, Calpitanos, Aruntios, Albatios, Rubrios; CCL. HS. annua mercede iis fuere apud Principes. q Ibid. Stertinius imputavit Principibus quod HS. quingenis annuis contentus eſſet: ſexcenta enim ſibi quaeſtu urbis fuiſſe, numeratis domibus oſtendebat. r Ibidem.

[s] *Stertinii* frater, magno censu operibus publicis exhausto, haeredi *sestertium tricenties* (emendante *Budaeo*) reliquit, id est 242187 l. 10 s.

[t] Aegrum eodem capite Provincialem a medico plusquam 1600 l. conductum legimus.

[u] Oratoribus, qua talibus, major apud *Graecos* quam apud *Romanos* merces fuit. Pro unica oratione *Isocrati* † 20 *talenta*, *Cypri* Rex *Nicocles* dedit, seu 3875 l. quibus tamen parva *Plauti* talenta alii substituunt. [x] *Gorgiae Leontino* immensum docendae oratoriae artis quaestum fuisse necessum est, alias enim seipsum adeo splendide remunerari non potuisset, primus auream suam statuam *Delphis* in templo ponendo.

Rhetores *Romani* graviores causas orabant, quam *Graeci*, Regum scilicet & Populorum: hinc pecuniosiores quoque clientes habebant. Neque tamen iis temporibus pro causidicis Patronos habeas. Postea vero quam in eos transierunt, pro singulis causis stipendium 100 aureorum, [y] constitutum est, valentes tum temporis 80 l. 14 s. 7 d.

Idem regnante *Claudio* [z] modus statutus fuisse videtur.

Eloquentiae pretiis illud merito adnumeramus, quod pro *Ciceronis* capite [a] solutum accepimus, 25 *myriadas drachmarum*, 8072 l. 18 s. 4 d. summa decupla illius, qua ceteri proscripti aestimabantur.

[b] *Graecis* & *Latinis* Rhetoribus annua *centena* deparcus *Vespasianus* constituit, id est 807 l. 5 s. 10 d. nec nisi summam dimidiam [c] Senatorum mortuorum liberis, id est 403. l. 12 s. 11. d. Hanc liberalitatem nostra gens longe vincit.

† *Virgilii* fortunas alibi 80729 l. 3 s. 4 d. aestimavimus. [d] Pro viginti uno versibus, *Æneide* 6ta de *Marcello* scriptis, donatus est *sestertiis* 10 in singulos, seu 80 l. 14 s. 7 d. quae faciunt in summam 1695 l. 6 s. 3 d.

MA-

s Ibidem. t Ibid. Notum est ab eodem Charmide unum aegrum ex provincialibus HS. ducentis conductum. u Plutarchus in vitis Rhetorum. † Plutarchus in Isocrate. x Plinius l. 33. c. 4. y L. 1. ff. de extraord. cognit. z Tacitus l. 11. De tempore Claudii. a Appianus l. 4. Bellorum Civ. πέντε καὶ εἴκοσι μυριάσιν Ἀττικῶν δραχμῶν. b Tacitus in Vespasiano c. 18. c Suetonius in Nerone. Tacitus in eodem.

† Capite 1.

d. Servius Grammaticus.

Magiſtratuum in urbe *Romana* reditus hoc loco conficiendi videri poſſent: Verum id brevitas, huic tentamini praeſcripta, non patitur. [e] Veterum in decernendis vaſariis parſimoniam adnotaſſe ſufficiat, qua Provinciarum Praeſides accipiebant argenti pondo vicena, mulos & equos binos, veſtes forenſes binas, domeſticas ſingulas, balneares ſingulas, aureos centenos, coquos ſingulos, & quae praeterea infra adſcripta ſunt: haec vilis in ſummam pretii, inſuper maxima ex parte depoſita adminiſtratione reddebant, ut mulos, equos, muliones & coquos, caetera ſibi habituri, ſi bene ſe geſſerint.

[f] Longe alia rerum facies *Piſonis* tempore fuit; huic in *Macedoniam* eunti, quam *Clodii* gratia obtinuerat, *centies* & *octogies ſeſtertiûm* vaſarii nomine decretum eſſe, ſcribit *Cicero*, id eſt 145312 l. 10 ſ.

[g] *Pompejo*, Provinciae Praeſidi in quadriennium confirmato, data ſunt in annos *talenta* mille, 193750 l.

[h] *Claudius* ſeſtertiûm *octogies* pro ſacerdotii novi (neque ejus ſummi) introitu, coactus eſt expendere, id eſt 64583 l. 6 ſ. 8 d.

e Cicero quinta Verrina. Lampridius in Alexandro. Ita ut praeſides provinciarum acciperent argenti pondo vicena, mulos & equos binos, veſtes forenſes binas, domeſticas ſingulas, balneares ſingulas, aureos centenos, coquos ſingulos, & ſi uxores non haberent, ſingulas concubinas, quod ſine iis eſſe non poſſent, reddituri depoſita adminiſtratione mulos, mulas, equos, muliones & coquos, cetera ſibi habituri, ſi bene ſe geſſerint. f Cicero contra Piſonem. g Plutarchus in Pompejo. h Suetonius in Claudio.

CA-



CAPUT XIII.

De Gemmis & Vasis.

Initio Reipublicae summam in vasis frugalitatem leges imperabant. Civem [a] *Romanum*, virum Triumphalem, propter *quinque* pondo notatum a Censoribus accepimus; alius [b] paterna gente pulsus est, quod *duodecim* argenti pondo habuisset. [c] Nullos hominum benignius inter se vivere, quam *Romanos*, dicebant irridentes *Carthaginiensium* legati; eodem enim argento apud omnes coenitasse ipsos, cujus joci Punica gens poenas dedit. De ea enim *Scipio Africanus* [d] in argento *Romam* transtulit, ad valorem 11966 l. 15 s. 9 d. pecuniae *Anglicanae*. Hoc argenti tota tum temporis *Carthago* habuit, dum plus postea singuli cives in abacorum adparatu posuerunt.

[e] Eodem capite scribit *Plinius*, *L. Scipionem* transtulisse argenti caelati, ad valorem 3934 l. 2 s. 10 d. vasorum aureorum usque ad 64712 l. 5 s. 8 d. A. V. 565.

[f] Quibus rebus omnibus gestis, heredi nonnisi 32 argenti libras *Scipio Africanus* reliquit, 87 l. 8 s. 7 d.

[g] Annis vero 57 post majorem vasorum copiam *Romae*, profligata antiqua parsimonia, fuisse observat *Plinius*; mortuoque *Attalo* Rege, *Romae* in auctionibus regiis care emi coeptum est.

[h] Paullo ante bellum civile *Syllanum*, lances, e 100 libris argenti, tunc supra 500 *Romae* fuisse constat, valente in singulis sola materia, praeter opus, *Anglici* nummi 273 l. 4 s. 3 d. adeoque in universis 136607 l. 2 s. 10 d. Ob has lances multi proscripti sunt, dolo concupiscentium. Similiter ante *Syllae* victoriam duo tantum *Romae* fuerunt *Triclinia* argentea.

[i] *C. Marius* primus cantharis *Liberi Patris* exemplo potasse tradi-

a Plinius l. 33. c. 11. b Ibidem. c Ibidem. d Ibidem. Idemque cum de Poenis triumpharet, quatuor millia CCCLXXX pondo transtulit. Hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum aemula, quod nunc in mensarum est apparatu. e Ibidem f Ibidem. g Ibidem. Tum enim haec emendi Romae in auctionibus regiis verecundia exempta est. h Ibidem. i Ibidem.

ditur. Ultimis temporibus vix illis in vasis ullum officinae genus probabatur.

[k] *C. Claudii* principatu, servus ejus *Drusillanus Rotundus*, Dispensator *Hispaniae* citerioris, *quingenarem* lancem habuisse memoratur, valente praeter opus sola materia, 1366 l. 1 s. 5 d. comitesque ejus octo, singuli 50 librarum, valentes 1092 l. 17 s. 1 d.

Nos alveis in *Anglia* ad refrigerandam potionem utimur maxima illa lance gravioribus.

Sed haec omnia continenter facta, neque dementiae incusari possunt, nisi respectu ad illa tempora habito. [l] Non solum enim coquinaria vasa, sed rhedas quoque & ex argento caelatos currus habuere. Aureas [m] gemmeasque habuit *Heliogabalus*. *Julius Caesar* [n] in aureo lecto veste purpurea decubuit. [o] Mensae quoque ex auro & gemmis factae sunt. De dementia in potoriis antea vidimus.

[p] Trullam ultra 3415 l. valentem, *Petronius* moriturus invidia *Neronis* Principis fregit, ut mensam ejus exheredaret.

[q] *Tribunorum militarium* salariis candelabra emta sunt, 50 *sestertiis*, seu 403 l. 12 s. 11 d.

Equis & mulis solcas ex auro induebant, ut fecit *Neronis* conjux *Poppaea* [r], quae lacte quoque asinino lavabatur ut cutis venustatem conservaret. Imo Lasana [s] ex auro habuerunt. Verum tantas opes Principem *Ptolemaeum* [t], qui *Pompeji* tempore vixit, longe superasse tradunt. Hic 1000 convivas totidem aureis potoriis, mutatis cum ferculis vasis, saginavit.

Gemmarum apud *Romanos* non minor luxuria fuit quam vasorum. Adamantes, licet summo pretio & summa dignatione, ad corporis cultum non adhibitos fuisse, communis sententia est, etiamsi contrarium manifeste *Martialis* [u] demonstret. Eos contra granum,

k Ibidem. C. Claudii principatu servus ejus Drusillanus nomine rotundus, Dispensator Hispaniae citerioris, quingenarem lancem habuit, cui fabricandae officina prius exaedificata. Comites ejus octo, quinquaginta librarum. l Plinius l. 33. c. 3. m Lampridius in Heliogabalo. n Suetonius in Julio Caesare. o Ulpianus l. cum aurum. § Dig 14. de auro, argent. mund. In coronis mensarum gemmae coronis cedent, & haec mensis. Martialis. l. 3. Epig. 31. p Plinius l. 37. c. 2. q Plinius l. 34. c. 3. r Plinius l. 33. c. 11. Poppaea conjunx Neronis Principis delicatioribus quoque jumentis suis soleas ex auro induere. s Ventris onus misero non te pudet accipis auro. Martial. l. 1. Epigr. 37. t Plinius l. 33. c. 10. u Sardonychas, Smaragdos, Adamantas, Jaspidas uno versat in articulo——Mart. l. 5. Ep. 11.

num, ut vocant, secare, nostrorum temporum inventio est, sed secundum grani naturam secare, jam tum temporis noverant. Id certissimum, quod infrequentior eorum usus fuerit, quam margaritarum, quibus summas *Romani* enormes dilapidabant. Eas innumeris diversis modis dispositas & tanta copia gestarunt, ut *Crotalia* [x] a sono atque collisu dixerint. Ut verbo absolvam, iis singuli articuli a capite ad calcem, ipsa tibialia †, ipsi calcei, cubicula, viatoria, &c. margaritis splendebant.

Lolliam Paulinam, rapinis patrui, dum provinciam administraret, antea vidimus *quadringenties* splendentem, seu 322916 l. 13 s. 4 d.

[y] *M. Bruti* matri *Serviliae Julius Caesar* 48437 l. 10 s. margaritam mercatus est.

[z] *Cleopatra Antonii* epularum lautitiam adparatumque obtrectans, una se coena 80729 l. 3 s. 4 d. absumturam spopondit. Post primam igitur, eamque quotidianam mensam, unionum, quos auribus gerebat, alterum aceto immersum liquefactumque absorpsit. Alteri, quem simili modo absumere parabat injecit manum *L. Plancus*, victumque *Antonium* pronuntiavit. Ambos hinc uniones dictam summam *centies* H. S. valuisse, colligi posse videtur, qua ratione singulae infra *Julii Caesaris* margaritam starent. Si vero *centies* pretium in singulas fuit, *Cleopatrae* uniones pretiositatis palmam sibi vin-

x Plinius l. 9. c. 35. Crotalia appellant, ceu sono quoque gaudeant, & collisu ipso margaritarum.

† Plinius l. 37. c. 2. & l. 9. c. 35. Quin & pedibus, nec crepidarum tantum obstragulis, sed totis socculis addunt: neque enim gestare jam margaritas, nisi calcent, ac per uniones etiam ambulent, satis est.

y Suetonius in Caesare.

z Plinius l. 9. c. 35. Duo fuere maximi uniones per omne aevum: utrumque possedit Cleopatra, Ægypti reginarum novissima, per manus Orientis regum sibi traditos. Haec, exquisitis cum quotidie Antonius saginaretur epulis, superbo simul ac procaci fastu, ut regina meretrix, lautitiam ejus omnem apparatumque obtrectans, quaerente eo quid adstrui magnificentiae posset, respondit una se coena centies H. S. absumturam. Cupiebat discere Antonius, sed fieri posse non arbitrabatur. Ergo sponsionibus factis, postero die quo judicium agebatur, magnificam alias coenam, ne dies periret, sed quotidianam adposuit, irridenti, computationemque expostulanti. At illa Corollarium id esse, & consumpturam eam coenam taxationem confirmans, solamque se centies H--S. coenaturam, inferri mensam secundam jussit. Ex praecepto ministri unum tantum vas ante eam posuere aceti, cujus asperitas usque in tabem margaritas resolvit. Gerebat auribus cum maxime singulare illud, & vere unicum naturae opus. Itaque exspectante Antonio quidnam esset actura, detractum alterum mersit, ac liquefactum absorbuit. Injecit alteri manum L. Plancus judex sponsionis ejus, eum quoque paranti simili modo absumere, victumque Antonium pronuntiavit, omine raro. Comitatur fama unionis ejus parem, capta illa tantae quaestionis victrice Regina dissectum, ut esset in utrisque Veneris auribus Romae in Pantheo dimidia eorum coena.

vindicant. Haec quidem urbaniſſime mulier fecit, verum ruſtice cum altero unione actum accepimus; diſſectum enim utriſque *Veneris* auribus in *Pantheo* adpenderunt.

Unionum eo majus pretium fuit, quo majus pondus, & color inſignior. Pondus ſemiunciae *Romanae*, ſcribit *Plinius* [a], pauci ſingulis ſcrupulis exceſſere, id eſt pauci ſemiunciam *Anglicam* cum granis 3¼ ſuperaverunt.

† Margaritam quadrantis unciae *Gallicae* pondere ſibi viſam adſerit *Budaeus*. *Romae* gemmarum dignationes hunc fere in modum ſeſe inſequebantur. Maximum omnium [b] pretium habuit *adamas*, quem nuclei avellanae magnitudine viſum fuiſſe ſcribit *Plinius*, proximum fuit *margaritis*, tertia auctoritas *ſmaragdis*, tandemque longo intervallo inſequitur *opalus*, ex quo [c] annulum 161 l. 9. ſ. 2 d. aeſtimatum, ex fortunis ſuis omnibus ſecum abſtulit *Nonius*. Smaragdorum quorundam magnitudinem ſunt qui in tantum augeant, ut ipſi *Plinio* fabuloſum commentum videatur. Eminet prae ceteris *Theophraſtus* [d]: *Smaragdum Aegyptiorum* Regi a Rege *Babyloniorum* dono datum adfirmans, quatuor cubitorum longitudine, & trium latitudine: nec non in *Jovis* [e] delubro fuiſſe *obeliſcum*, quatuor *ſmaragdis*, 40 cubitorum longitudine; verum fieri nequit, ut haec genuina ſint.

[f] Luſoriam ſupellectilem tertio *Pompeji* triumpho *Romam* advectam, ipſis Actorum publicorum verbis deſcripſit *Plinius*. Erat in ea alveus luſorius e gemmis duabus, latus pedes tres, longus pedes quatuor, adde teſſeras ibidem deſcriptas, neque injucunde eo alveolo luſiſſes. De *carbunculis* [g], quos ad pintae menſuram *Indi* excavant, ſtet penes lectorem judicium.

[h] *Jaſpidem*, undecim unciarum, in *Neronis* faciem exciſam, ipſe *Plinius* vidit. [i] Poculum aureo manubrio, e gemma cavata, *Verri* a *Cicerone* objectum eſt. [k] Jus

a Plinius l. 9. c. 35. Pondus ad hoc aevi ſemunciae pauci ſingulis ſcrupulis exceſſere.

† Budaeus de Aſſe l. 2.

b Plinius l. 37. c. 4. Maximum in rebus humanis pretium habet adamas...... magnitudine vero etiam avellanae nuclei. c. 5. Tertia auctoritas ſmaragdis perhibetur. c. 6. Minimum iidemque plurimum, ab iis differunt opali. c Plinius l. 37. c. 7. d Plinius l. 37. c. 5. Theophraſtus tradit in Ægyptiorum. commentariis reperiri, regi eorum a rege Babyloniorum miſſum ſmaragdum quatuor cubitorum longitudine, trium latitudine. e Ibidem. f Plinius l. 37. c. 2. Tranſtulit alveum cum teſſeris luſorium e gemmis duabus latum pedes tres, longum pedes quatuor: (& ne quis de ea re dubitet, nulla gemmarum magnitudine hodie prope ad hanc amplitudinem accedente, in eo fuit luna aurea pondo XXX.) g Plinius l. 37. c. 7. h Plinius l. 37. c. 9. i Cicero in 4. Verrina de ſignis.

[k] Jus aureorum annulorum certum *censum* ſequebatur, excluſis omnibus, quorum avus aut pater minus 3229 l. 3 ſ. 4d. habuiſſet.

[l] Gemmea quoque vaſa glaciem refrigerando vino continebant.



CAPUT XIV.

De Summis alea dilapidatis, & Sumtu Ferali.

Novum luxuriae genus fuit alea, quem morbum acerbiſſime in *Romanis* poetae reprehenderunt. [a] Ludos ipſe *Auguſtus* ad ſummam uſque ſenectam deperiit. Epiſtolam ejus ad *Tiberium* ex parte retulit *Suetonius*, quam & nos infra expoſuimus. [a] Complectitur vero in ſummam, talis ſe per biduum luſiſſe, & perdidiſſe 20000 *nummûm*, ſeu 161 l. 9 ſ. 2 d. Quod ſi vero minus liberalis, quas manus remiſerat cuique exegiſſet, aut retinuiſſet quod cuique donaverat, ſe vel 50000 *nummûm* victurum fuiſſe, ſeu 403. l. 12 ſ. 11. d. Ludebant autem ea conditione, ut qui certa puncta jecerat, depoſitum tolleret, & quiſquis alia miſerat, certam ſummam in medium conferret. Singulis tantum *denariis*, ſeu 7¼d. *Auguſtus* ibi cum amicis in punctum luſit, quo tamen adeo tenui de-

k Plinius l. 33. c. 2. Ne cui jus id eſſet, niſi cui ingenuo ipſi patri avoque paterno Seſtertia CCCC cenſus fuiſſet. l Pacatius in Panegyr. Parum ſe laudatos putabant, niſi aeſtivam in gemmis capacibus glaciem Falerna fregiſſent.

a Suetonius in Auguſto. Inter coenam luſimus γεροντικῶς & heri & hodie. Talis enim jactatis, ut quiſque Canem, aut Senionem miſerat, in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat: quos tollebat univerſos qui Venerem jecerat. Et rurſus aliis litteris. Nos mi Tiberi Quinquatriis ſatis jucunde egimus. Luſimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calefecimus. Frater tuus magnis clamoribus rem geſſit. Ad ſummam tamen perdidit non multum: ſed ex magnis detrimentis praeter ſpem paulatim retractus eſt. Ego perdidi viginti millia nummum, meo nomine: ſed cum effuſe in luſu liberalis fuiſſem, ut ſoleo plerumque. Nam ſi quas manus remiſi cuique, exegiſſem, aut retinuiſſem quod cuique donavi, viciſſem vel quinquaginta millia. Scribit ad filiam: Miſi tibi denarios ducentos quinginta, quos ſingulis convivis dederam, ſi vellent inter ſe inter coenam vel talis, vel par impar ludere. *Facit haec ſumma* 8 l. 1 ſ. 5½d.

depoſito 403 l. 12 ſ. 11 d. vinci potuiſſe videmus. *Nero* pro ſingulis *denariis* [b], 3229 l. 3 ſ. 4 d. in punctum luſiſſe hoc ipſo ludo creditur. Unde amici, qui cum eo luderent?

Tantum de vitae impendiis: mors multo pluris conſtitit.

[c] *Memmius Agrippa* collatis a Populo in capita ſextantibus, ſeu ſemi farthingis ſepultus eſt: numeremus 100000 cives, habebimus ſummam praeciſe 53 l. 16 ſ. 4¼ d. quae ſatis magna ſumma eſt, animumque ad vecordes in funeribus ſumtus proclivem tum temporis prodebat.

[d] *Syllae* rogo aromatum *feretra* 210 injecta ſunt, quae, ſpectato aromatum pretio quo *Romae* venierunt, ſummam ingentem conficiunt, cui pretio ex *Syllae* & ſui lictoris ſtatuis, ex cinnamomo & ſuffimentis juſta magnitudine confectis, plurimum ſuperaccedit.

[e] *Nero* in funere *Poppeae* plus cinnamomi & caſſiae combuſſit, quam toto anno *Arabia* univerſa fert.

Infinitum foret, immenſas rogorum ſtrues, veſtis pretioſae, auri, argenti, gemmarumque vim, tali occaſione conſumtam, ſumtuoſa populo data epula, ludos funebres, gladiatorum inprimis, magnifica eorum ſepulcra, ſigillatim exſequi. Gladiatorum paria 100 vel quotidianis ludis dabantur.

[f] *Julius Caeſar* in munere patris funebri, omni harenae adparatu argenteo uſus eſt.

[g] *Curio* in patris munere theatrum temporariae morae conſtruxit, ad exemplum ejus quod *Scaurus* fecit, antea deſcripti. Componebatur id theatris duobus, cardinum ſingulorum verſatili ſuſpenſis libramento, quo pro ſitu ſolis, in hanc aut illam partem, ante & poſt meridiem verſaretur. Opus ſummae profecto dementiae.

[h] Vili *Nero* funeratus eſt, impenſo nonniſi 1614 l. 11 ſ. 8 d.

[i] *Q. Minutius Anteras*, libertus, annuam ſummam 80 l. 14 ſ. 7 d. ad celebrandam ſui memoriam reliquit.

CA-

b Suetonius in Nerone. Quadringenis in punctum H. S. aleam luſit. c Valerius Maximus de Men. Agrippa. Niſi a populo collatis in capita ſextantibus, ita pecuniae inops deceſſit, ut ſepulturae honore caruiſſet. d Plutarchus in Sylla. e Plutarchus in Nerone & Plinius l. 12. c. 18. f Plinius l. 33. c. 3. g Plinius l. 36. c. 15. h Suetonius in Nerone. i Lapis vetus.



CAPUT XV.

De Militum Stipendio.

De magnitudine ſtipendii *Romanorum* militum, magnae ſunt & graves inter Eruditos contentiones. Rem ita ſeſe habuiſſe exiſtimo. Primis Reipublicae temporibus equiti *tria millia aeris* in annum dabantur, pediti *mille*, id quod, ad vulgarem *aſſis* valorem computando, pro equite paulo plus quam 6 penningos in diem, pro pedite 2, efficit. Stipendium inſequenti tempore ad *aſſes* 5 pediti auctum eſt. Id *δύο ὀβολοὺς Polybius* vocat, qui 5 *aſſes* tertia *aſſis* parte, ſive *triente*, excedunt. Numerum vero rotundum eo loco adfectaſſe putandus eſt. Hi 5 *aſſes*, numero quidem plures ſunt, ſed revera valore & pondere infra illos pauciores olim datos ſunt, ſi factam de aereo nummo diminutionem ſpectes.

Hoc 5 *aſſium* ſtipendium *Julius Caeſar* duplicavit & 10 *aſſium* fecit, ſive *denarii*. Poſtea *Domitianus addidit & quartum ſtipendium militi aureos ternos*, referente *Suetonio* in *Domitiano* cap. 7. de quo loco multum inter Criticos disputatur. Ejus ſenſum eruturus *Gronovius*, locum hunc cum alio *Zonarae* ejusdem argumenti comparavit cujus haec verba, τοῖς στρατιώταις ἐπηύξησε τὴν μισθοφορὰν, τάχα διὰ τὴν νίκην, πέντε γὰρ καὶ ἑβδομήκοντα δραχμὰς ἑκάστου λαμβάνοντος, ἑκατὸν ἐκέλευσε δίδοσθαι, i. e., pro *denariis* 75, quos antea accipiebant, 100 dari juſſit. Quaeſtionis itaque ſolutio haec maxime obvia eſt. militibus 10 *aſſes* in diem, ſeu 300 in menſem 30 dierum, datos eſſe, adeoque 1200 in menſes quaternos. Tempore minuti nummi aerei, quo forſan ſtipendium quoque mutatum, ut *Plinius* refert, (loco ſupra citato) *denarius aſſibus* 16 repenſus eſt, neque improbabile eſt, hanc *denario* aeſtimationem in militum ſtipendio conſtitiſſe; itaque 1200 *aſſes*, quaternorum menſium ſtipendium, *drachmis* ſeu *denariis* 75 aequivalebant, cumque *aureum* 25 *denarii* conficerent, in ſingula quadrimeſtria ſtipendia praecise *aureos*

3 nu-

3 numeratos adparet. Hoc 75 *denariorum* ſtipendium ad 100 evecturus *Domitianus*, ſingulis ſtipendii ſolutionibus *aureum*, adeoque *ternos* annuo ſtipendio adjecit, *quartum ſtipendium* proprie loquendo conficientes, quo adjecto, pro *aureis* 9, nunc 12 miles accipiebat. Quamvis itaque ſecundum Tabularum analogiam, militis diurnum ſtipendium, quod *denarii* eſt, $7\frac{1}{2}$d. aeſtimandum veniat, tamen per ante ſtabilitum computum intra 5 penningos ante *Domitianum* ſtetiſſe, neque auctum 6 penningos ſuperaviſſe, manifeſtum eſt.

Cohortibus praetoriis & *urbanis*, quas *Guardes* tranſtuleris, duplum ſtipendium, ſeu 2 *denarios* in diem, *Auguſtus* conſtituit. His cohortibus, omnium plerumque nequiſſimis, neque bello fortiſſimis, ob ſtationem, major auctoritas in gerenda Republica, imo in attribuendo imperio fuit, quam ceterarum erat. Quapropter & ſtipendii & donativorum majorem modum habuerunt.

Si a militum ſtipendiis ad pretium operarum diurnarum judicium transferamus, non multo majoris eas *Romae* aeſtimatas videbimus, quam in *Anglia* aeſtimantur. Militia certe pedeſtris, operae genus honorificentiſſimum, neſcio quo fato, viliſſimae operae omni tempore poſthabita eſt, neque ullius unquam animantis mors viliori, quam ipſius hominis emta eſt.



CA-



CAPUT. XVI.

De Donativis Militibus datis.

[a] Tertiis *Spoliis opimis* praemium erant *asses* 100, seu 6 s. 5½d, secundis *asses* 200, seu 12 s. 11 d. primis, *asses* 300, seu 19 s. 4½d. *Spolia opima* erant, quae hostium Duci detrahebantur. Ex tantulis praemiis quanta nummariae rei *Romae* primis temporibus penuria fuerit colligere licet, hunc enim modum a *Numa Pompilio* constitutum opinor.

[b] *Lucius Lentulus* 120 *asses* singulis militibus ex praeda dedit, seu 7 s. 9 d.

[c] *Cornelius* 70 *asses*, 4 s. 6¼d. singulis peditibus divisit, duplam summam *equitibus*, 9 s. 1 d, triplam *centurionibus*, 13 s. 7½d.

[d] Pedes octingentos *asses*, 2 l. 11 s. 8 d. triplum *eques* & *centurio* habuit, i. e. 7 l. 15. s.

[e] *Asses* 250 pediti dati, seu 16 s. 1¾d, duplum *centurioni*, seu 1 l. 12 s. 3½d, triplum *equiti*, 2 l. 8 s. 5¼d.

[e] Rursus *asses* 270 singulis peditibus divisi, seu 17 s. 5¼d. triplum *equiti*, seu 2 l. 12 s. 3¾d.

[e] Alio tempore quadringenta millia *aeris* peditibus distributa, i. e. 1291 l. 13 s. 4 d,

[f] *Publius Cornelius*, 125 *asses* singulis militibus donavit, 8 s. 0⅞d,

[g] Quadraginta & duos *denarios* quivis miles accepit, seu 1 l. 7 s. 1½d. duplum *centurio*, seu 2 l. 14 s. 3 d.

[h] *Scipio Africanus* 40 *asses* viritim distribuit, i. e. 2 s. 7 d.

[h] Singulis *legatis* 5000 *aeris*, 16 l. 2 s. 11 d. eorumque *comitibus* 1000 *aeris*, 3 l. 4 s. 7 d.

[i] *Paulus Æmilius* singulis militibus 12 *drachmas* donativum dedit, i. e. 7 s. 1¼d.

[k] *Lu-*

a Plutarchus in Marcello. b Livius l. 1. Dec. 4. c Livius l. 3. Dec. 4. d Ibidem. e Livius l. 4. Dec. 4. f Livius l. 6. Dec. 4. g Livius l. 6. Dec. 4. h Livius l. 10. Dec. 3. i Plutarchus in Paulo Æmilio.

[k] *Lucullus* 950 *drachmas* viritim distribuit, i. e. 30 l. 13 ſ. 6½d. Captis *Tygranocertis*, militibus 800 *drachmas* ex praeda *Tigranes* diviſit, i. e. 25. l. 16 ſ. 8 d. & totam inſuper urbem militibus diripiendam dedit, excepta *Tigranis* regia gaza, in qua praeter alias divitias 8000 *talentûm* in numerato invenit, i. e. 1. 550000 l.

A.U. 693. [l] *Pompejus* devicta *Aſia*, *Ponto* &c fugatisque *pyratis*, Reipublicae & quaeſtoribus, qui oram maris defendiſſent, dedit mille *talentûm*, i. e. 193750 l. & militibus ſingulis 6000 HS. 48 l. 8 ſ. 9 d.

Ex hoc tempore Rei *Romanae* opes creſcere, militibusque ex gentium devictarum ſpoliis ampliora praemia dari coepere.

Julius Caeſar Donativa ampliſſima dedit. [m] Veteranis aliquando legionibus in ſingulos pedites 16 l. 2 ſ. 11 d. in *Equites* 193 l. 15 ſ. numeravit.

[n] Alia vice 80 l. 14 ſ. 7 d. in ſingulos donativum dediſſe, apud *Dionem* eſt.

[o] Singulis iterum 5000 *drachmas* diviſiſſe, ſcribit *Appianus*, i. e. 161 l. 9 ſ. 2 d. ſummam duplam *Centurioni* ſeu 322 l. 18 ſ. 4 d. quadruplam *Tribunis militum* & *equitibus*, ſeu 645 l. 16 ſ. 8 d.

Aliud Donativum occaſione ſacrificii *Caeſaris* militibus datum, commemorat *Plutarchus*, 3 ſ. 2¼ d. in ſingulos.

[p] *Brutus* 1 l. 12 ſ. 1¼ d. ſingulis dedit.

De *Antonii* donativis haec ſola fere reperio; [q] militibus, qui literas in *Caeſaris* caſtra ferrent, promiſit 48 l. 8 ſ. 9 d. [r] aliquando ſingulis legionariis 1 l. 2 ſ. 7¼d. dedit.

Auguſtus Caeſar Praetorianis militibus, qui 16 annos meruiſſent, 161 l. 9 ſ. 2 d. dedit. [t] Cohortibus urbanis legavit 4 l. 0 ſ. 8¾d. *Praetorianis* militibus 8 l. 1 ſ. 5½d.

Praedam ſubinde ingentem milites *Romani* ceperunt, aequaliter tamen plerumque diſtributam; in ſpecie *Alexandria* capta, 8 l. 1 ſ. 5½d. ſingulis datae ſunt, quo urbs ab hoſtili direptione ſervaretur.

[u] *Cali-*

k Plutarchus in Lucullo. l Plinius l. 37. c. 2. m Suetonius in Caeſare. c. 38. Veteranis aliquando legionibus praedae nomine in pedites ſingulos ſuper bina ſeſtertia, quae initio civilis tumultus numeraverat, in equites vicena quaterna millia nummum dedit. n Dio l. 46. o Appianus l. 2. Bellor civ. p Plutarchus in Bruto. q Dio l. 51. r Dio l. 49. s Dio l. 55. t Suetonius in Auguſto c. 101. Legavit Populo Romano quadringenties tricies quinquies HS. Praetorianis militibus ſingula millia nummorum, Cohortibus urbanis quingenos, Legionariis trecentos nummos, quam ſummam repraeſentare juſſit, nam & confiſcatam ſemper repoſitumque habuerat.

[u] *Caligula* singulis militibus 2 l. 8 s. $5\frac{3}{4}$d. divisit.

[x] Donativum ab eo 100 *denariorum*, seu 3 l. 4 s. 7 d. militi pronuntiatum, ut scribit *Suetonius*, & quasi omne exemplum liberalitatis supergressus, locupletes eos & lactos abire jussisse; longe tamen munificentia ab aliis superatum antea vidimus.

[y] *Claudius* eandem militibus summam divisit, quam *Caligula*, i. e. 2 l. 8 s. $5\frac{1}{4}$d.

[z] *Claudius* principatum adeptus singulis 121 l. 1 s. $10\frac{1}{2}$d. promisit, primus Caesarum, observante *Suetonio*, qui fidem militis etiam praemio pignoratus est.

[w] *Nero* militibus 113 l. 0 s. 5 d. promisit.

[a] Singulis *manipularibus* 2000 HS. dedit, i. e. 16 l. 2 s. 11 d.

[b] Variis donativis 17. 760416 l. 16 s. 4 d. absumsit.

Sordidus *Galba*, neque multa de ejus liberalitate reperio. [c] Ast grandi aere *Praetorianos* milites *Otho* corrupit; quoties enim *Galbam* coena acciperet, *aureos* i. e. 96 s. $1\frac{3}{4}$d. excubanti cohorti viritim divisit. Sic *Plutarchus* & *Suetonius*, sed summam 100 *sestertiis Tacitus* exprimit. Cumque milleni pro principis palatio in statione essent, quaevis coena 807 l. 5 s. 10 d. absumsit.

[d] *Otho* principatum adeptus, donativum 40 l. 7 s. $3\frac{1}{2}$d. dedit.

[e] *Vitellium* donativum 16 s. $1\frac{3}{4}$d. dedisse accepimus.

[f] *Marcus Antoninus* donativum 16 l. 17 s. 6 d. viritim divisit.

[f] *Lucius*, imperii socius, 161 l. 9 s. 2 d.

[f] *Pertinax* 96 l. 17 s. 6 d. promisit.

[f] Idem 6750 *myriades drachmarum* militibus se divisisse fassus est, facientes 2.179687 l. 10 s.

[g] *Julianus* imperium 201 l. 16 s. $5\frac{1}{2}$d. in singulos milites licitatus est.

Imo reges a *Romanis* in provincias missi, militibus donativa dedere. [h] *Herodes* singulis 1 l. 12 s. $1\frac{1}{2}$d. legavit. [i] Vivus 4 l. 16 s. $4\frac{1}{2}$d. dederat.

Quae attulimus exempla, non solum *Romanorum* opes demonstrant

u Dio l. 59. x Suetonius in Caligula c. 46. y Dio l. 60. z Suetonius in Claudio. c. 10. w Philip. Chron. l. 1. a Tacitus l. 15. b Tacitus l. 17. c Suetonius in Othone & Tacitus l. 17. d Plutarchus in Othone. e Dio in Vitellio. f Dio in Pertinace. g Dio in Juliano. h Josephus l. 17. c. 9. i Josephus l. 14. c. 12

ſtrant atque magnificentiam, ſed & quantopere exercitum in armis Principes reveriti ſint, ſalutis ſuae aeque ac imperii arbitrum.



CAPUT XVII.

De Congiariis Principum.

Soli inter reges *Romani* Imperatores ſuperfluentem ſibi pecuniam populo reddebant, quae optima procul dubio politica, cum pecuniae circulantis major utilitas ſit, quam in aerario occluſae: praeſertim cum ingruente caſu, revocandi eam poteſtatem haberent. Neque id eo minus ex populi uſu erat, quoniam de ſuo nil, ſed gentium devictarum ſpolia pendebant. Hujusmodi *congiariorum* brevis enumeratio haec eſt.

[a] *Julius Caeſar* praeter frumenti denos *modios*, ac totidem libras olei, 400 *nummos* viritim diviſit, i. e. 3 l. 4 ſ. 7 d.

[b] Idem 75 *drachmas*, 2 l. 8 ſ. $5\frac{1}{4}$d. diſtribuiſſe legitur; quod quidem donativum a priori diverſum non credo, ſi ſolos centenos omittas, quos *Suetonius* adjecit. Eandem ſummam 75 *drachmis Plutarchus* quoque expreſſit. [c] Populo legavit 75 *drachmas* viritim, ſeu 2 l. 8 ſ. $5\frac{1}{4}$d. ſecundum alios nonniſi 25 *drachmas*, ſeu 16 ſ. $1\frac{3}{4}$d.

[d] *Auguſtus* congiaria populo frequens dedit; modo 30 *nummos*, 4 ſ. $10\frac{1}{2}$d. modo 40, 6 ſ. $5\frac{1}{2}$d. nonnunquam 250. i. e. 2 l. 2 ſ. 1 d, ac ne minores quidem pueros praeteriit, quamvis nonniſi ab undecimo aetatis anno accipere conſueſſent.

Civium 4.160000 poſt victoriam *actiacam* numeratos, ſcribit *Euſebius* in *Chronico*. Cenſu nativitate Domini habito, eorum ad 93. 700000 numerabantur. Sed poſito dictum 2 l. 2 ſ. 1 d. con-

a Suetonius in Caeſare c. 38. Populo praeter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, trecenos quoque nummos, quos olim pollicitus erat, viritim diviſit, & hoc amplius centenos pro mora. b Dio l. 44. c Ibidem. d Suetonius in Auguſto. c. 41.

congiarium civium nonnisi 2 millionibus distributum, reperies in summam 4.036458 l. 6 s. 8 d.

[e] *Augustus* viritim populo legavit, 2 l. 8 s. $5\frac{1}{4}$d.

[f] Congiarium idem *Dio* 60 *drachmarum*, seu 1 l. 18 s. 9 d. ab *Augusto* datum adnotavit, nonnisi 200000 hominum ea liberalitate fruentibus, consumsit itaque in summam 387500 l.

[g] Eundem populo *Romano* 322916 l. 13 s. 4 d. Tribubus 28255 l. 4 s. 2 d. legato reliquisse, testatur *Suetonius*.

[h] *Tiberius* congiarium 300 *nummos* dedit, 2 l. 8 s. $5\frac{1}{4}$d. [i] *Tiberius* avaritiae inculpatus est. Comites peregrinationum cibariis tantum sustentavit, uno modo liberalitatis impetu correptus, tribus classibus factis pro dignitate cujusque, primae 600 *sestertia*, 4843 l. 15 s, secundae 400, seu 3229 l. 3 s. 4 d. tertiae 200, seu 1614 l. 11 s. 8 d. dedit.

Tantus principis *Romani* comitatus maxima profecto vectigalia exhausisset.

[k] Alia vice, opportuniori liberalitate cives, quibus possessiones deflagrarant, millies H.S. sustentavit, seu 807291 l. 13 s. 4 d.

[l] *Caligula* Congiarium 60 *drachmarum* dedit, 1 l. 18 s. 9 d.

Summam quoque a *Tiberio* populo legatam, 1125 *myriadum drachmarum* persolvit, i. e. 363281 l. 5 s.

[m] *Nero* congiarium 400 *nummorum* dedit, i. e. 3 l. 4 s. 7 d. teste quoque *Tacito* [n].

[o] *Nerva* egenos cives agrorum distributione, 484375 l. summa sublevavit.

[p] *Adrianus* dicebat, 3.229166 l. 13 s. 4 d. se perdidisse; quas populo & militibus pro adoptione *Commodi* dederat, imperio postmodum inhabilis reperti. Hinc quam immanis ambitus evaserit, manifesto adparet.

[q] *Antoninus Philosophus* amplissimum congiarium 8 *aureorum* dedit, seu 6 l. 9 s. 2 d. quod magnitudine omnibus antea datis *Dio* anteponit.

[r] Fi-

e Dio l. 56. f Dio l. 55. g Suetonius in Augusto c. 41. Legavit populo Romano quadringenties, Tribubus tricies quinquies H. S. h Suetonius in Tiberio. c. 20. i Ibidem c. 46. Pecuniae parcus ac tenax, comites peregrinationum expeditionumque nunquam salario, cibariis tantum sustentavit: una modo liberalitate ex indulgentia vitrici prosecutus, cum tribus classibus factis pro dignitate cujusque, primae sexcenta sestertia, secundae quadringenta distribuit, ducenta tertiae, quam non amicorum sed gratorum appellabat. k Suetonius ibidem & Dio l. 58. l Dio l. 59. m Suetonius in Nerone c. 10. n Tacitus l. 13. o Dio in Nerva. p Spartianus in Adriano. q Dio in Antonio.

[r] Filius *Commodus* 725 *denarios* dedit, 23 l. 8 ſ. 2¾d.

[s] *Severus* congiarium 10 *aureos* dedit, impendio in ſummam 5000 *myriadum drachmarum*, ſeu 1.614583 l. 6 ſ. 8 d.

[t] *Ambitus* immenſas ſummas abſumebat. *Milo* conſulatus candidatus ſingula vota 32 l. 8 ſ. 10 d. redemit.

[u] *Sabinus Nymphidius* ſingulis per provincias legionariis 40 l. 7 ſ. 3½d. promiſit, ut *Galbae* principatum deferrent.

[x] *Claudius* legionibus 113 l. 0 ſ. 5 d. viritim pronunciavit, ſi imperium ſibi detuliſſent.

[y] *Julianus* 201 l. 16 ſ. 5½d. ſingulis pollicitus eſt, ſi rebus potiretur.

[z] *Galbae* percuſſoribus 403 l. 12 ſ. 11 d. praemium ab *Othone* propoſitum eſt, repraeſentatis 80 l. 14 ſ. 7 d.

Sed modica haec ſumma pro *Caeſaris* vita, aeque ac illae *Saluſtii* [a], duobus *catilinariae* conjurationis indicibus datae: ſc: 807 l. 5 ſ. 10 d. uni, & 1614 l. 11 ſ. 8 d. alteri liberto numerata.

[b] *Otho Galbae* ſervum 8072 l. 18 ſ. 4 d. corrupit.

[d] *Paullum* conſulem *Caeſar* 56510 8 ſ. 4 d. corrupit.

[c] Eundem ad *Caeſaris* partes, acceptis 290625 l. tranſiiſſe, dictis ſubjungit *Plutarchus*.

Judicia bis inſigniter corrupta accepimus. *Dio* [d] aliquando indubium jus haud minoris 8072 l. 18 ſ. 4 d. obtinuit. Alia [e] vice judices 5166 l. 13 ſ. 4 d. corrupti.

[f] *Gabinio* crimini datum eſt, quod 1.937500 l. fidem corrumpi paſſus ſit.

[g] *Ambitus* ultimis temporibus eo proceſſerat, ut ſingulis tribubus 80729 l. 3 ſ. 4 d. dividerentur, quarum haud pauciores 35 fuerunt.

Capitonem Coſſulianum H-S. *quinquagies*, ſeu 40208 l. 6 ſ. 8 d. in remunerationem accepiſſe, quod *Thraſaeam poetum* reum detuliſſet, ſcripſit *Tacitus lib.* 12.

r Lampridius in Commodo. s Dio in Severo. t Asconius Paedianus. u Plutarchus in Galba. x Philippus l. 3. Chron. y Dio in Juliano. z Suetonius in Othone. a Saluſtius de conjur. Catil. b Suetonius in Othone. c Plutarchus in Caeſare. d Cicero in 3 Verrina. Seſtertium undecies numeratum eſſe &c. e Cicero in Cluentio. f Cicero pro Rabirio Poſthumo. g Cicero L. 2. Ep 15. f. ad Q. Fratrem.



CAPUT XVIII.

De Vectigalibus Imperii Romani.

Neque rationarium vectigalium Imperii *Romani* a quoquam, vixque monumenta unde instaurari posset, nobis relicta esse, mognopere dolendum est. Qui eam materiam his temporibus tractaverunt, obscuras potius nec raro discrepantes invicem scriptorum sententias coacervasse, quam ordine digestam narrationem proposuisse censendi sunt, qua adjuti rem omnem nummariis rationibus complecteremur. Tanta itaque rerum incertudine id solum facere licuit, ut indubios nonnullos articulos in unum collatos legentium oculis subjicerem, ex quibus pro animi sententia argumentari, me acutioribus relinquo. *Augustus* imperii rationarium veste circumferebat, opus sane curiosissimum, neque resarciendae jacturae.

De opibus Imperii *Romani* tractaturi, primo loco *Romanos* tanquam omnium agrorum in sua ditione initio Dominos, considerare debent, utpote de quibus bello partis ex arbitrio constituebant.

Legimus de *vectigalibus agris*. Hi ex hoste capti, partiti per centurias, militibus, coloniis novis, vel municipiis dividebantur, aut antiquis nonnunquam possessoribus, canonis conditione relinquebantur, quo pensitato & sibi & haeredibus titulum continuandae in perpetuum possessionis acquirebant. *Ad rationem usurae trientis* vectigalia haec exacta esse, ex *Plinii Epist.* 7. colligimus.

Sed ibi paulo obscurius mentem declaravit. Quod si tantum vectigal ad magnitudinem pretii, quod ager valebat, exactum, immodicum profecto dicendum erit, neque facile ex agri fructibus recuperandum, nisi vili admodum aestimaretur. Agri hi *Quaestorii* subinde dicti, quoniam a *Quaestoribus*, quibus id negotii dabatur, venumdabantur. Nonnunquam in singula *Lustra* elocati, a mancipibus effluxo tempore de novo conducebantur. Alios agros *assignatos* vocarunt, solis *Veteranis*, impositis certis muneribus, divisos,

ſos, quibus integris de fundo pro lubitu conſtituerent. Multa hanc in rem, ſed obſcurius, ſcripta reperias apud *Hyginum de limitibus*.

Vectigalia a *Romanis* initio Reipublicae duo potiſſimum penſitabantur, *vectigal* & *tributum*. Illud triplex, vel ex agris ſativis, vel ex paſtione, vel ex invectione mercium.

[a] Vectigal ex agris ſativis ad rationem Schellingii in ſingulas libras Sterlingi; ex arboreis autem ad rationem 4 ſchellingiorum ſtetiſſe videtur. Illud frumento nonnunquam ipſo ſolutum, *decumarum* nomine veniebat. De decumis in *Sicilia* multa in *Verrinis* reperias. Vectigal ex paſtionibus, quod *ſcripturam* dixere, ad numerum capitum pecoris, tot in capita, exigebatur. Id 4 *ſiliquis* vel $5\frac{1}{4}$d. Codex *Theodoſianus* limitavit in capita.

[b] Ex mercibus invectis atque evectis fuit *portorium*, in portubus, ripis fluminum aut pontibus, pro regionum merciumque conditione variis temporibus varium, quadrageſima ſubinde aut quinquageſima, nonnunquam dimidia pretii totius parte ſoluta.

Tributum proprie ſumtum, in capite fuit, ejusque ſpecies *capitatio*; ſed praeter ordinarium hoc, ſubinde & temporarium aliquod imperabatur, quale *Catonis* illud a luxuriantibus & ſumtuoſis exactum, de quo antea: ſed haec forſan nonniſi temporarie conſtituta.

Salinarum vectigal a primis Reipublicae temporibus penſitatum, ſalinasque *Ancus Martius* [c] primus inſtituit. A *ſale* derivarunt *ſalarium*.

Cenſu privatorum bona aeſtimabantur, quo ſingulis pro modo facultatum *tributa*, exigente neceſſitate, imperari poſſent. Improprie ſubinde cum *capitatione* confunditur.

Sequentium temporum Principes vectigalia in tantum multiplicaverunt, ut vix ullam rerum in uſu praeterierint. Eo numero fuere *vectigal macelli*, ſublatum [d] ſemel ut onus intolerandum, ſed reſtitutum ſub *Caligula*, vectigal *metalli*, *decimae hereditatum* lege *Papia* iis deductae, qui ſine heredibus † moriebantur, vecti-

a Appianus l. 1. Bell. Civ. *Δεκάτῃ μὲν τῶν σπειρομένων, πέμπτῃ δὲ τῶν φυτευομένων.* b Vellejus Paterculus. c Plinius l. 31. c. 7. d Suetonius in Caligula.

† i. e. ſine liberis legitimis: quo caſu decima deducebatur ex legatis a viro uxori, vel ab uxore viro relictis. Lex lata eſt ſub Augusto Caeſare.

ctigal † *lupanarium* & *matrimonii*, *vicesimae eorum qui manumitterentur* [e], *vigesima quinta* [f] *venalium mancipiorum*, *centesima auctionum* [g], *tributum artificum*, *vectigal fluminum*, [h] *aedilium tributum*, quod ludorum nomine dabatur, *tributum pro mortuis* [i], *vectigal urinae* * & *stercoris*, *chrysargyron* dictum, quae denominatio exinde ad exploratores auri transiisse videtur. Praeter haec pluraque alia, quae commemorare poenitet, senatores *voluntarias* Principi *oblationes* offerebant, utque verbo absolvam, ipse tandem *fumus* [k], *aër* & *umbra* in vectigali fuerunt.

Divitiarum imperii *Romani* alia scaturigo gazae erant, bello direptae, in specie gemmae & vasa &c, de qua re exempla nonnulla memoriae prodita sunt, videlicet.

[l] *Paulus Æmilius*, victo *Perseo*, intulit e *Macedonica* praeda H. S. $\overline{MM}$ $\overline{CCC}$, id est 1.856770 l. 16 s. 8 d.

[m] *Scipio*, victo *Antiocho*, intulit *bis millies*, seu 1.614583 l. 16 s. 8 d.

[n] *Sexto Julio*. *L. Aurelio* coss. aliquot annis ante bellum *punicum* tertium, in aerario populi *Romani* fuere *auri pondo* 16810, quae ad decuplam rationem exacta, efficiunt 455971 l. 5 s, *argenti* 22070 *pondo*, 59864 l. 17 s. 6 d. & in numerato *sexagies bis*, & 85400 H. S, seu 50741 l. 10 s. 2½d; haec faciunt in summam 566577 l. 12 s. 8½d.

[o] *Sexto Julio* & *L. Marcio* coss. in aerario fuere 1.920829 *pondo auri*, seu 52.102486 l. 12 s. 6 d.

Ita *Harduinus* *Plinii* numeros constituit; sed immanis summa est, & forsan errore aliquo depravati numeri.

[p] *Caesar* uno die 65000 talentûm in aerarium intulit, seu 12.593750 l.

[q] dem initio introitu Urbis civilis belli, ex aerario protulit 25000 *pondo auri*, seu 678125 l. 35000 *pondo* argenti, 94937 l. 10 s., & in numerato H-S. $\overline{CCCC}$. 322916 l. 13 s. 4 d. quae in summam efficiunt 1.095979 l. 3 s. 4 d.

[r] *Tibe-*

† Suetonius in Caligula c. 40.
e Livius l. 7. f Dio l. 55. g Suetonius in Augusto. h Cicero l. 2. Epist. ad Atticum. i Xiphilinus in Nerone.
* Suetonius in Vespasiano c. 23.
k Zonaras. l Plinius l. 33. c. 3. m Livius l. 38. c. 55. n Plinius l. 33. c. 3. o Ibidem. p Plutarchus in Caesare. q Plinius l. 33. c. 3.

[r] *Tiberius* in aerario reliquit *vicies septies millies*, 21.796875 l.

Vectigalia populi *Romani* alia via, ex vectigalibus provinciarum memoriae mandatis, conjicere licet. Limites imperii *Romani Appianus*, *Adriani* contemporaneus, in Historiarum praefatione sic descripsit. In *Africa* protendebatur usque ad *Columnas Herculis*, & *Æthiopes* orientales; in *Asia Euphrate*, monte *Caucaso*, initio magnae *Armeniae*, & *Colchis* oras *Ponti Euxini* habitantibus, in *Europa*, *Rheno* atque *Danubio*, adjectis omnibus insulis, ad eos tractus spectantibus, terminabatur.

Incipiamus ab *Ægypto*. † Secundum ab *Alexandro* regem 74 *myriades* talentorum, seu 191. 166666 l. 13 s. 4 d. in aerario habuisse, testatur *Appianus* de ejus regni viribus verba faciens.

[s] *Strabo Ciceronem* inducit dicentem, *Auleten*, *Cleopatrae* patrem, annui reditus habuisse 12500 talenta, seu 2.421875 l.

Cui subjungit, si *Auletae* tanta vectigalia fuere, principis in administrando regno summe desidiosi, quanta nunc *Romanorum* fore putabimus, provinciam summa prudentia tuentium, praecipue cum *Indica* & *Troglodytica* negotiatione insigne vectigalibus momentum accesserit?

[t] *Agrippa* in oratione sua ad *Judaeos*, cujus *Josephus* meminit, dicit eis, imperium *Romanum* a 75 millionibus hominum tributum accipere, praeter *Alexandrinum* populum, (cui urbi, pro dimensionibus, quas ei ibidem in *stadiis* adscribit, 3½ milliaria *Anglica* in longitudine, horumque dimidium in latitudine, cedunt) qui, pergit, praeter quod *Romam* per 4 menses frumento alit, majora adhuc vectigalia uno mense pendit, quam vos toto anno. Quanta vero *Judeae* vectigalia annua fuerint, ex sequentibus aliquo modo adparebit.

[u] *Cassio*, occiso *Caesare*, *Judaea* 700 talenta numeravit, seu 135625 l. *Caesari Herodes* [x] 1000 *myriades*, seu 322916 l. 13 s. 4 d.

r Suetonius in Caligula.
† Appianus in Prooemio.
s Strabo l. 17. Τῆς Αἰγύπτου δὲ τὰς προσόδους ἐν τινὶ λόγῳ Κικέρων φράζει, φήσας κατ᾽ ἐνιαυτὸν τῷ τῆς Κλεοπάτρας πατρὶ τῷ Αὐλητῇ προσφέρεσθαι φόρον ταλάντων μυρίων καὶ δισχιλίων πεντακοσίων. Ὅπου οὖν ὁ κάκιστα καὶ ῥαθυμότατα τὴν βασιλείαν διοικῶν τοσαῦτα προσωδεύετο, τί χρὴ νομίσαι τὰ νῦν διὰ τοσαύτης ἐπιμελείας οἰκονομούμενα, καὶ τῶν ἰνδικῶν ἐμπορειῶν, καὶ τῶν τρωγλοδυτικῶν ἐπηυξημένων ἐπὶ τοσοῦτον.
t Josephus l. 2. de Bello Judaico.
u Idem l. 14. ἀρχαιολ. & l. 1. c. 9. de Bello jud.
x Josephus l. 17. ἀρχαιολ.

4 d. reliquit, ejusque conjugi summam dimidiam, seu 161458 l. 6 s. 8 d.

[y] *Vespasianus didrachmum* a *Judaeis* in capita exegit seu 1 s. 3½d. numeratisque 7 millionibus [z] eorum, contulerunt in summam 14 milliones *drachmarum*, seu 452083 l. 6 s. 8 d.

Si hujus summae duodecuplum in *Alexandrinum* stipendium computemus, ut volebat *Agrippa*, reperies pro eo 168 milliones *drachmarum* seu 5.425000 l. sed melius summam illa *Cassiana* duodecies majorem scribemus, i. e. 1.627500 l.

Grandia vectigalia ex *Alexandria* refecta esse, res est certissima; eo enim tota *India* suas merces mittebat, unde * quotannis, referente *Plinio*, non minus HS. *quingenties*, 403645 l. 16 s. 8 d. *Roma* emungebatur; in universum variis commerciis, ibidem descriptis, *centies* exhauriebatur, seu 807291 l. 13 s. 4 d.

[a] Victo *Hannibale*, *Carthaginiensibus* nonnisi 200 talenta a *Romanis* imperata, seu 38750 l.

Mediocres reditus *Darius* ex *Asia* refecit. *Ægyptum*, ait *Herodotus* †, *Asiam* & *Indiam*, in numerato nonnisi 7740 talenta *Babylonica* argenti *Dario* reddidisse, seu 1.749562 l. 10 s. & 360 talenta auri, quae secundum *Herodotum*, totidem argenti talenta tredecies valore superant, valentque proinde 1.057175 l. summis additis habebis, 2.807437 l. 10 s.

[b] *Asiam Cicero* ubertate agrorum & multitudine eorum, quae exportantur, omnibus terris praefert. *Syllam Asiae* quadriennii stipendium imperasse, refert *Appianus*, quod 20000 talentis i. e. 3.875000 l. absolvit *Plutarchus* §.

Dedit itaque *Asia* annui stipendii *Syllae* temporibus, 5000 talentorum, seu 968750 l.

§ Apud *Plutarchum* legimus, *Asiae* vectigalia ante *Pompeji* tempora 5000 *myriades drachmarum*, seu 1.614583 l. 6 s. 8 d. non excessisse,

y Idem l. 7. z Ibidem.
* Plinius l. 6. c. 23. Digna res nullo anno imperii nostri minus H-S. quingenties exhauriente India, & merces remittente quae centuplicato veneunt.
a Livius l. 30. c. 37. ducenta talenta annua.
† Herodotus Hist. 3.
b Cicero pro lege Manilia. Nam caeterarum provinciarum vectigalia Quirites, tanta sunt, ut his ad ipsas provincias tutandas vix contenti esse possimus. Asia vero tam opima & fertilis, ut & ubertate agrorum & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine eorum quae exportantur, facile omnibus terris antecellat.
§ Plutarchus in Pompejo.
§ Ibidem.

cessisse; ex iis vero quae *Reipublicae* acquisivit, rediisse ad 8500 *myriades*, seu 2.744791 l. 13 s. 4 d. Tamen *Antonium* * 20 *myriades talentorum* una pensione ab *Asia* exegisse, seu 38.750000 l. idem *Plutarchus* testatur.

Sed hoc decennii vectigal fuisse, scribit *Appianus*. Annuum itaque, *Antonii* tempore, 2 *talentorum myriades* absolvunt, seu 3.875000 l.

c *Caesar quadringenties* quotannis *Galliae* imperavit, seu 322916 l. 13 s. 4 d.

Pro *quadringenties Lipsius* legendum putat *quater millies*, scribendo summam prioris decuplam, seu 3.229166 l. 13 s. 4 d.

Sed vix puto fieri potuisse, ut tanta vectigalia *Galliae* darent, e tantis bellis vixdum emergentes: adest tamen *Vellejus Paterculus*, dicens, *Galliae* vectigalibus eundem modum attributum, qui *Ægyptiis*.

Vectigalium *Hispaniae* desunt apud veteres scriptores vestigia; maxima ob metalli fodinas fuisse oportet. *Strabo* † ait auri fodinas circa novam *Carthaginem* reddidisse *Romanis* 25000 *drachmarum* in diem, seu 807 l. 5 s. 10 d. id quod in *annum* faciet, 294661 l. 9 s. 2 d.

d *Hannibali* fodinae *Hispanicae* suppeditarunt quotidie argenti pondo 300, seu 968 l. 15 s. id quod in annum facit 353563 l. 15 s.

e *Asturia*, *Gallancia* & *Lusitania*, exhibuere quotannis 20000 *pondo* auri, seu 645833 l. 6 s. 8 d.

f Fodinam habuit *Dalmatia*, 50 auri libras quotidie fundentem, 1614 l. 11 s. 8 d., adeoque in annum 589322 l. 18 s. 4 d.

Macedoniae 2000 talenta quotannis imperata, seu 387500 l. uti colligimus ex *Maccab.* 2. *VIII.*

g *Britannia*, si *Straboni* credimus, insigni tributorum onere premebatur, mercium Gallicarum importatione & exportatione praecipue gravibus portoriis adflictis.

Vectigalium imperii *Romani* magnitudinem immanes quoque summae demonstrant, quas Principes *donativis* & *congiariis* dilapidasse vidimus.

† His

* Plutarchus in Antonio.
c Eutropius l. 6.
† Strabo l. 6.
d Plinius. l. 33. c. 6.
e Plinius l. 33. c. 4.
f Ibidem.
g Strabo l. 4.

† His *Nero* 17.760416 l. consumsit. Quantum *Vitellius* ejus generis largitionibus impenderit, antea supputavimus. *Dio* summam attollit ad 18.532296 l. 13 s. 4 d.

h *Caligula* intra annum 21.796875 l. intervertit.

i *Vespasianus* initio sui principatus *quadringenties millies* opus esse professus est, ut Respublica stare posset, i. e. 322. 916666 l. 13 s. 4 d. summa adeo portentosa, ut non ex totius imperii reditibus intra plures annos confici potuisse videatur.

k Imperante *Augusto*, quadraginta & quatuor legiones in armis fuere: compleamus singulas, ut quaevis legio 10 *cohortium*, quaevis *cohors* quingentorum militum sit, excepta prima, quae *millenaria*: fuere itaque in armis legionariorum 242000, exceptis cohortibus *praetoriis* & modico equitatu. Anno 1711 Britannia ultra 201000 milites in armis habuit, & multo plures quam hic *Augustus*, *Galliae* * rex.

Verum utrumque regnum tanto oneri ferendo impar, neque tantos sumtus, nisi contracto ingenti aere alieno, tolerari potuisse, merito quis dixerit.

† Tacitus l. 17.
h Ibidem. i Suetonius in Vespasiano c. 16.
k Orosius l. 6.
* Bello, illo quod Successionis vocant, cum classiariis hominum quadringenta millia in armis habuit. Vide Oeuvres de Mr. de Voltaire Tome 6. Remarques sur L'histoire.





CAPUT XIX.

In Rem nummariam GRÆCORUM *Observationes.*

Tametsi vix vacat, *Graecorum* divitias & rem nummariam eadem diligentia exsequi, quam in lustranda re *Romana* praestiti, tamen, quo lectorum curiositati placerem, nonnullos articulos colligere visum est, quo divitiis *Romanis Graecae* conferri possent.

† Censum *Athenis* hunc in modum *Solon* ordinaverat.

Classis primae homines vocabantur *Pentacosiomedimni*, i. e. ut ipsum vocabulum testatur, qui 500 *medimnos* liquidorum aut aridorum, puta vini, olei, aut frumenti, exhibere poterant. Capit autem *medimnus Peck*. 4. *Gall.* 1. *Pint.* 1. redundantibus 0,53 pollicibus cubicis: facient proinde 500 v. g. *medimni* frumenti, 71 *Quart.* 2 *Bushel.* $1\frac{1}{4}$ *Peck.*

Classem alteram constituebant *Zeugitae*, a jugis boum & equorum ita dicti.

Tertiam *Hippaei*, seu equites.

Quartam *Thetes*, qui artes aut operas exercebant: hi magistratum capessere vetabantur.

Classis prima videbatur talentum in publicum conferre posse, 193 l. 15 s.

Hippaei dimidium talentum, seu 96 l. 17 s. 6 d.

Zeugitae nonnisi 32 l. 5 s. 10 d.

Quarta classis nihil sibi habere, neque ulli publico oneri ferendo esse putabatur.

De hoc censu plura apud * scriptores infra citatos reperies, fusius de eo verba facientes, quam ut transcribi possint.

ª *Me-*

† Plutarchus in Solone.
* Aristot. 2 Polit. Plutarchus in Solone. | Pollux l. 8.

[a] *Medimnus* frumenti *drachma* vulgo emtus eſt, ſeu 7¾ d. adeoque *quartarius* 4 ſ. 6 d.

[b] Majus pretium fuit *Demoſthenis* temporibus, 5 *drachmarum* in *medimnum*, i. e. in noſtrum quartarium, 1 l. 2 ſ. 7¾ d.

[c] Bis impeditiorem *Athenienſes* annonariam rem quam ulla alia civitas, experti ſunt: prima vice *modius* frumenti 300 *drachmas*, adeoque quartarius 305 l. 13 ſ. 9 d. valuit.

[d] Altera vice, *Athenis* a *Sylla* obſeſſis, pretium frumenti fuit 226 l. 8 ſ. 8¾d. in quartarium.

[e] Vili annona ovis 7¾d. emta eſt.

[f] Porcus 1 ſ. 11¼d.

[g] Bos 3 ſ. 2¾d.

Enimvero haec pretia, ab iis parum diverſa, quibus primis temporibus pecudes *Romae* emebantur, cum rara adhuc res nummaria eſſet, obtinuiſſe videntur: nimium etenim a pretio frumenti ſupra ſcripto, & [h] a pretio equi diſcrepant, quod 12 *minarum* in ſingulos fuiſſe accepimus, ſeu 38 l. 15 ſ. Verum equos ex Oriente advectos & paucos initio *Graecia* habuit.

[i] *Graeci* milites *drachmam* in diem accipiebant, ut *denarium Romani*, id eſt 7¾d.

Nonnullos milites *didrachmas*, a duplici ſtipendio 1 ſ. 3½d., vocarunt, *drachma* altera pro ſervo nummerata.

[k] *Tetroboli Xenophon* mentionem facit, ceu militis ſtipendii, i. e. 5⅙d.

[l] Equitis ſtipendium, praeter alimenta, fuit 30 *drachmarum* in menſem, (i. e. *drachmae* in diem), ſeu 19 ſ. 4½d.

Artium ſummi patroni *Graeci* & *Athenienſes* inprimis fuerunt. Vulgari [m] ludimagiſtro annua *mina* data eſt, ſeu 3 l. 4 ſ. 7 d.

[n] Eadem ſumma *dialecticam* docenti.

[o] Salarium *Sophiſtae* 4 vel 5 *minas* accipiebant, i. e. 12 l. 18 ſ. 4 d. vel 16 l. 2 ſ. 11 d.

p *Gor-*

a Plutarchus in Solone. b Demosthenes contra Phormionem. Philippus l. 2: Chronic. c Plutarchus in Demetrio. d Idem in Sylla. e Plutarchus in Solone. f Ariſtophanes in pace. g Plutarchus in Solone. h Ariſtophanes in Nebulis. i Demoſthenes Olynth. 1. k Xenophon libro ἑλληνικῶν. l Demoſthenes Philipp. 1. m Athenaeus. l. 13. n Cicero l. 4: Acad. Quaeſt. o Iſocrates contra Sophiſtas.

[p] *Gorgiae* rhetori, minerval 1000 *minas* discipuli pendebant, seu 322 l. 18 s. 4 d.

Sophistis talentum datum, scribit *Suidas*, seu 193 l. 15 s.

[q] *Democedi* medico annuas *centenas* dedere *Athenienses*, seu 322 l. 18 s. 4 d.

[q] *Aeginetae* talentum, seu 193 l. 15 s. eidem solverunt in annum.

[q] A *Polycrate Samio* habuit annua duo talenta, seu 387 l. 10 s.

[r] *Isocratis didactron* fuit 1000 *minarum*, seu 3229 l. 3 s. 4 d.

[s] *Pamphilus* pictor talento quotannis artem docuit, seu 193 l. 15 s. conditione ea, ut videtur, manendi per decennium. Veteris codicis auctoritate nixus, eum locum sic legit *Budaeus*, *docuit neminem minoris talentis annuis quadraginta*; sed summa omnem fidem superat, habuisset enim in annum 7750 l.

[t] *Isocrates* talento donatus est, seu 193 l. 15 s. quod litteras *Atheniensibus* a *Timotheo* missas, composuerat.

[u] *Amoebaeus* citharoedus, quoties *Athenis* in theatro cantabat, nunquam minoris talento cantavit, seu 193 l. 15 s.

[x] *Helcyoni Dionysius* talentum dedit, seu 193 l. 15 s. quod solis eclipsin praedixerat.

[y] *Demostheni* pro silentio unius diei *Harpalus* 20 talenta dedit, seu 3875 l., ob quod postea talentis 50 mulctatum accepimus, seu 9687 l. 10 s.

[z] Prytanes *Athenis* salarium habuere 150 talenta, 29062 l. 10 s.

[a] Victoribus in ludis *Isthmicis* & *Olympicis* praemia tenuissima constituerat *Solon*; vincendi gloria potissimum incitabantur. Victori ludis *Isthmicis* nonnisi *drachmae* 100 seu 3 l. 4 s. 7 d. Victori ludis *Olympicis drachmae* 500, seu 16 l. 2 s. 11 d, datae.

[b] Primis temporibus *drachmae* 500, 16 l. 2 s. 11 d. puellae ad dotem sufficiebant, eamque cognati ex communi conficiebant.

[c] Pauperis *Aristidis* filiabus duabus, 3000 *drachmae*, 96 l. 17 s. 2 d. ex publico *Athenienses* dederunt.

Clarorum pictorum tabulae ingenti pretio emtae; *Mnasoni* [d] sin-

p Suidas. q Herodot. l. 3. r Plutarchus in Isocrate. s Plinius l. 35. c. 10. t Plutarchus in Isocrate. u Athenaeus l. 14. x Plutarchus in Dione. y Plutarchus in Demosthene.
z Aristoph. in Vespis. a Plutarch. in Solone. b Suidas in Θῆτα. c Plutarchus in Aristide. d Plinius l. 35. c. 10.

[d] *Asclepiodorum* singulos heroas *minis* 100 *Theomnesto* pinxisse, supra adnotavimus, id est, 322 l. 18 s. 4 d.

[e] *Cois* talenta 100 pro *Venere Apellis* de tributo remissa, seu 19375 l.

Libros [f] quod attinet, paucos a *Philolao* compositos, *minis* 100 venumdatos, 322 l. 18 s. 4 d. in praecedentibus commemoravi.

[g] Eorundem librorum *autographa*, (aut saltem eo nomine jactata) talentis 15 ab *Atheniensibus* emit *Ptolemaeus Philadelphus*, id est 2906 l. 15 s.

[h] *Nicocli*, Regi *Cypri*, orationem *Isocrates* talentis 20 venumdedit, seu 3875 l. pretio eodem, quo *Demosthenis* silentium emtum vidimus.

[i] Enimvero longe haec a summa deficiunt, *Aristoteli* pro Historia sua animantium naturali ab *Alexandro* pronuntiata, quam non minorem 800 talentis fuisse accepimus, seu 155000 l.

Ut mitiores plerumque Respublicae poenas infligunt, ita & mulctas leges leviores constituunt. Furtum [k] *drachmis* vulgo 100, 3 l. 4 s. 7 d. *Solon* rependi jusserat.

[l] Sycophanta, & qui fidei suae commissum secretum vulgaverat, 500 *drachmis* mulctabatur, seu 16 l. 2 s. 11 d.

Magnos autem viros, quod patriae male consuluissent, nonnunquam acerbe mulctarunt: [m] *Pericli* v. g. mulctam 50 talentorum irrogarunt, 9687 l. 10 s.

Summam eandem *Miltiadi*.

[n] *Demades* 19 myriadum *drachmarum* mulctam solvit, seu 3229 l. 3 s. 4 d. quod centum peregrini *Athenis* contra legem saltaverant.

[o] *Rhodios* non minoris 500 talentis *Cassius* mulctavit, seu 96875 l.

[p] At vero nulla unquam res sumtus insanos *Hephaestionis* funeris adaequavit, in quod 12000 talentûm *Alexander* conjecit, seu 2.225000 l.

Secundum *Plutarchum* nonnisi 10000 talenta, seu 1.937500 l.

Fa-

d Plinius l. 35. c. 10. e Strabo l. 14. f Diogenes Laert. l. 3. Gellius l. 3. c. 17. g Philippus in Declamatione de Studiis veteris Philosophiae. h Plutarchus in Socrate. i Athenaeus l. 9. & 12. k Plutarchus in Solone. l Isocrates contra Lochitem. m Suidas. n Plutarchus in Phocione. o Plutarchus in Bruto. p Justinus l. 12. Diod. Siculus in Alexandro l. 17.

Fatendum certe quod uberes divitiarum fontes habuerit, qui tantos ſumptus tolerare potuit. [q] Coronas eidem, uxorem ducenti, muneri miſſas, 15000 talentis aeſtimatas accepimus, ſeu 2.906250 l. Eundem † *Suſis* & *Perſepoli* 150000 talentûm inveniſſe, ſcribit *Q. Curtius*, ſeu 29.062500 l.

[r] In domo *Bagoae*, ad cultum pertinentium veſtiarium 1000 talentûm invenit, ſeu 193750 l.

[s] *Damaſcus* urbs in ſolo numerato 503750 l. habuit.

[t] *Darii* ſcamnum ſuppedaneum 3000 talentis aeſtimatum eſt, ſeu 581250 l.

Poſt tantum ſcamni pretium, quis gladii *Mithridatis* [u] vaginam miretur, quam a quodam *Publio* ſurreptam, 400 talentis *Ariarathes* emit, id eſt 77500 l.

Tantis ſummis patris *Philippi* opes collatae, minimae ſunt. Mille talenta, [x] quae quotannis ex ſtipendiis reficiebat, *Diodorus Siculus* portentoſam ſummam jactat, facientia 193750 l.

[y] Si *Herodoto* credimus, tres *Aſiae* praefecturae, nonniſi 1470 talenta in annum pendebant, ſeu 284812 l. 10 ſ.

Alexander tanta vectigalia haud minori liberalitate diviſit, quam paucis exemplis declarare haud injucundum fore opinor, quo ejus liberalitas cum *Caeſarum* largitionibus conferri poſſit.

[z] Militibus 96 l. 17 ſ. 6 d. aliquando viritim diviſit.

[z] Nongentis alio tempore militibus, ob aetatem exauctoratis, 96 l. 17 ſ. 6 d. in ſingulos pedites, & 397 l. 10 ſ. in ſingulos equites dedit.

[a] Peregrinis equitibus, in ſuo exercitu merentibus, 500 *Denarios* donativum dedit, id eſt 16 l. 2 ſ. 11 d.

Equitibus vero *Macedonibus* 19 l. 7 ſ. 6 d. [b] militibus in patriam reverſuris 32 l. 5 ſ. 10 d. viritim pronuntiavit.

[b] Aliis domum quoque reverſuris 96 l. 17 ſ. 6 d. donavit.

[c] Equitibus aliquando 193 l. 15 ſ. viritim largitus eſt.

[d] *Theſſalis* quoque muneri 2000 talenta dedit, 387500 l. neque [e] eo minus 100000 talenta mortuus in aerario reliquit, ſeu 19.375000 l.

quod

q Athenaeus l. 12.
† Curtius l. 5.
r Plutarchus in Alexandro. s Quintus Curtius l. 3. t Athenaeus l. 12. u Plutarchus in Pompejo. x In Philippi anno 3. y Herodotus l. 3. z Curtius l. 7. a Idem l. 5. b Ibidem. c Idem l. 6. d Plutarchus in Alexandro. e Juſtinus l. 13.

quod non mirum, cum 300000 talentûm ex annuo tributo habuerit, seu 58.125000 l. ut idem testatur.

Summas a scriptoribus traditas illibatas adscripsi, in quorum fide posita res omnis est.

Ante *Graeciam* devictam *Romani* divites dici non poterant. *Italiam Graecia*, hanc *Asia* opibus longe superavit, habitoque respectu ad parvam *Atheniensium* ditionem, *Res Attica* longe opulentior, quam *Romana* dicenda erit: illis enim arctum omni tempore imperium, his majus sub ipso initio, neque minor ideo inopia fuit, id quod vectigalium rei *Atticae* adscribenda nonnulla exempla declarabunt.

[f] *Demosthenes* scribit, Rem *Atticam* antiquitus annua 130 talenta ex vectigalibus refecisse, seu 25187 l. 10 s.

Iisque postmodum 400 adjecta esse, seu 77500 l. unde summa 102687 l. 10 s. conficitur.

[g] Eosdem reditus talentis 1000 *Xenophon* complectitur, id est 193750 l.

[h] *Aristophanes* summa dupla, seu 387500 l.

† *Pericles* de *Atheniensium* opibus apud *Thucydidem* verba faciens, annua Sociorum stipendia ad 600 talenta evehit, seu 116250 l.

[i] *Demetrius Phalareus*, cum civitatem regeret, annua 1200 talenta dispensabat, seu 232500 l.

[k] Talentûm 6000 simul in arce fuisse, testatur *Thucydides*, id est 1.162500 l.

[l] *Isocrates* scribit, *Periclem* 8000 talentûm arci intulisse, seu 1.550000 l.

[m] *Lycurgus Lycophrontis* filius, aerario ultra 6500 talenta intulit, seu 1.259375 l.

[n] Operibus maximis moliendis sufficiebant; talenta 2012 pro construenda arce numeraverunt, id est 400235 l.

Atheniensium in continenti imperium, regionem, quam *Jorkshire* dicimus, magnitudine vix aequavit. Quanta tantulo imperio inter gentes auctoritas!

Hoc

f Philipp. 4. g Libro. 7. 'Anab. h Aristophanes in Vespis.
† Thucydides l. 2.
i Athenaeus l. 12. k Thucyd. l. 2. l Isocrates de pace. m Pausanias in Atticis. n Suidas in voce προπυλαῖα.

Hoc multo major *Macedonia*, non ultra talenta 100 † *Romanis*, pensitavit, seu 19375 l.

Finem capiti imponemus, unico exemplo de divitiis *Asiaticis* adjecto, de cujus tamen veritate ipsi illi, quos sequor, scriptores, dispiciant. Agitur nempe de valore thesauri *Sardanapali*, ex quo sibi & familiae rogum construxit, quum ab *Arbace*, *Medorum* Rege, obsideretur. Hunc 100.000000 talentûm aestimavit *Athenaeus* *, summam, positis talentis *Babylonicis*, aequalem huic 16953. 125000 l. Tantum numerum sola argenti talenta efficiunt, quibus, si decuplo pauciora talenta auri addas, quae insuper habebat, summam praecise duplam, auri ad argentum ratio decupla exhibebit.

† Plutarchus in Paulo Æmilio.

* Athen. l. 12.



CA-



CAPUT XX.

Tabularum Usus in Ratiociniis nummariis HEBRÆORUM, *paucis exemplis manifestatus.*

[a] SAUL cum puero ad *Samuelem*, ex occasione asinorum amissorum profectus, *Sicli* quadrantem *Samueli* paraverat, 7¼d.

[b] *Hanameelis* campum *Jeremia* 17 siclis emit, 2 l. 3 s. 11 d.

[c] *David* aream & boves ab *Araunah* siclis 50 emit, 6 l. 9 s. 2 d.

[d] Alibi idem diverse traditur, dum dicitur siclos auri 600 *Ornanum* a *Davide* accepisse, i. e. 1240 l.

[e] *Omri*, Rex *Israelis*, collem *Samariae* talentis duobus emit, 387 l. 10 s.

[f] Pretium masculi a vicesimo anno ad sexagesimum, erat 50 siclorum, 6 l. 9 s. 2 d. Feminae 30 siclorum, 3 l. 17 s. 6 d. Ab anno quinto masculus ad vicesimum 20 siclos solvebat, 2 l. 11 s. 8 d. Femina 10 siclos, 1 l. 5 s. 10 d. Masculus a mense ad quinque annos 5 siclis, 12 s. 11 d. Femina 3 siclis taxata, seu 7 s. 9 d. Ab anno sexagesimo, vel altius, masculi taxatio sicli 15, 1 l. 18 s. 9 d. Feminae sicli 10, 1 l. 5 s. 10 d.

Si quis agrum possessionis suae domino consecrare voluerit, pretium ejus juxta mensuram sementis aestimabitur, ita ut *Homer* hordei (1 *Quart.* 3 *Bush.*) 50 siclos valeat, seu 6 l. 9 s. 2 d.

[g] Primogenitus siclis 12 redimebatur, 12 s. 11 d.

[h] Liberi *Israelis* censi dimidium siclum in capita contulerunt 1 s. 3½d. erant autem numero 603550, unde in summam 38979 l. 5 s. 5 d. contulerunt.

[i] *Benhadado*, Rege *Syriae*, *Samariam* obsidente, caput asini 80 sta-

a 1 Samuel. 9. b Ieremiae 32. c 2. Samuel 24. d 1 Chronic. 21. e 1 Regum 16. f Levitic. 27. g Numerorum 18. h Exodi 38. i 2 Regum 6.

g Talenta 100, ſeu 19375 l. *Tryphoni* ſummus Sacerdos *Simon* miſit, ut fratrem *Jonathan* e vinculis dimitteret.

h *Heliodorus*, *Seleuci* tribunus aerarius, 400 argenti talenta, 77500 l. & auri 200, ſeu 620000 l. *Hieroſolymis* evexit, in templo ad ſuſtentandas viduas & alendos pupillos recondita: haec in ſummam 695500 l.

i Devictis *Judaeis Antiochus* e templo abſtulit 1800 argenti talenta, i. e. 348750 l.

k *Nicanor* 2000 talentûm cogere ſuſcepit, ſeu 387500 l. captivos *Judaeos* talento in homines 90, venumdando.

g 1 Maccab. 13. h 2 Maccab. 3. i 2 Maccab. 5. k 2 Maccab. 8.



CA-



CAPUT XXI.

De Sumptibus TEMPLI, & *Divitiis* DAVIDIS & SALOMONIS.

[a] Mensae panum propositionis apparatus, cum candelabris ceteroque cultu, aureus fuit, pendens talentum, valens proinde 6200 l.

[b] In opere Sanctuarii expensa sunt, 29 auri talenta, cum 730 siclis auri, seu 181308 l. 13 s. 4 d. Argenti talenta 100 cum siclis 1775, 19604 l. 5 s. 5 d. & Æris talenta 72000 cum siclis Æris 400.

[c] Domus Sanctisanctorum auro purissimo strata, aestimata est talentis 600, 3.720000 l.

[d] *David* de peculio suo ad impensas domus Dei congesserat, 3000 auri talenta, 18.600000 l. & 7000 talenta argenti, 2.712500 l. Proceres tribuum contulerunt 5000 talenta, & 10000 *drachmas* auri, 31.000516 l. 13 s. 4. d. 10000 talenta argenti, 3.875000 l. 18000 talenta aeris, & 100000 talenta ferri.

[e] *David* pro aedificando Templo in summam praeparaverat 100000 talenta auri, 620.000000 l. & 1.000000 talentûm argenti, 193. 750000 l.

[f] *Hiram*, Rex *Tyri*, *Salomoni* 120 auri talenta dedit, seu 744000 l.

[g] Eandem summam a Regina *Sheba* accepit.

[h] Ejus classis 420 auri talenta ex *Ophir* advexit, seu 2.604000 l.

[i] *Salomoni* annua 666 auri talenta redibant, 4.029200 l. praeter summas a Negotiatoribus, Rectoribus provinciarum, & Regibus *Arabiae* collatas.

His computis *Josephum* secutus, *Siclum drachmae* quadruplum scripsi. Argentum mihi sedecies ab auro valore superabatur; talenta in locis

a Exodi 25 & 37. b Exodi 38. c 2 Chronic. 3. d 1 Chronic. 29. e 1 Chronic. 23. f 1 Regum 9. g 1 Regum 10. h 1 Regum 9. i 1 Regum 10.

locis veteris Teſtamenti, *Atticorum* dupla, in locis *Apocryphorum* vero *Atticis* talentis aequalia adhibui.



CAPUT XXII.

De Uſuris Nummariis.

Quum tanta rei nummariae copia *Romae* fuerit & *Athenis*, merito quaeritur, unde acerbae illae uſurae provenerint? Uſurarum apud veteres doctrinam curioſius excuſſam, vix toto hoc libro comprehenderes. Capiat ſibi lector ſequentia, quae noſtro propoſito abunde ſatisfaciunt. Uſuram antiquiſſimis temporibus *foenus* dixere, ut quidam volunt a ποινὸς, *pretium* vel *poena*; idem alii a verbo obſoleto *feo* derivant, unde *foetus* & *foecundus*. *Uſurae* vocem, quae rei uſum in genere denotabat, (*Plaut. Prol. Amphitr. Uſuram corporis ejus capit ſibi*) rei nummariae poſtmodum in ſpecie adplicuerunt.

Uſura pecuniaria lege vetabatur apud *Judaeos*, aeque ac antiqua lege, *Geruntia* [a] dicta, apud *Romanos*. Ab exteris tamen uſuram exigere neutri vetabantur. Enimvero temporis proceſſu lex aut abolita eſt, aut contempta, ut iis omnibus fere accidere ſolet, quibus pecuniae uſus contra naturalem ſuum curſum limitatur. Uſurae & *Romae* & in *Graecia* per longum temporis tractum graviſſimae ductae ſunt. Simplicem utriusque loci foeneratores in menſem duxerunt, ad rationem nummi unius de centum, & *Graeci* quidem *Novilunio*, *Romani Calendis*, unde [b] *Kalendarium exercere* idem quod *foenus exercere*. Hinc apud *Ariſtophanem*, *Strepſiades* aere alieno obrutus, metuebat ἕνην καὶ νέαν. Dicta autem haec uſura *Centeſima*, a *drachma centeſima*, quae de *mina* centenaria pendebatur, id quod paulo plus nummis 12 de 100 in annum efficit, quoniam menſium lunarium crebrior reditus quam ſolarium. *Denarium* quoque de *centenis* penſitabant *Romani*, eumque menſtruum,

a Plinius l. 35. c. 7. b Seneca de Beneficiis l. 7.

struum, auctore *Cicerone* [c]. *Æschines* contra *Ctesiphontem* ait, *drachmam* in mensem *Demostheni Oritanos* dedisse, donec sortem retulissent; haec usura ἑκατοστὴ, seu *centesima usura*, dicta est, 1 de *centum*. Et quoniam *Integrum* quodvis *assis* erat, *asses* quoque *usurae* dicti sunt; ita ut *asses usurae* & *centesimae usurae* unum idemque sint. Reliquas ad *assis* partes compositas usurae subdivisiones in tabulis videas. Foenus *unciarium* & *semiunciarium* grave *Livio* videtur & *Tacito*, quum tamen, computo ad rationem *assis* instituto, *usurae assis* pars nonnisi $\frac{1}{12}$ aut $\frac{1}{24}$ in mensem sit, adeoque nisi 1 aut $\frac{1}{2}$ *de centum* in annum faceret. Lexque XII tabularum cavebat, *ne quis unciario foenore amplius exerceret:* haec verba refert *Tacitus*. Enimvero hanc expressionem non ad *analogiam* in tabulis observatam possumus interpretari, quippe ab omni reliquo sermonis habitu abhorrentem; eaque *centesimam usuram* designari indubium est. Unde autem haec dicendi ratio duobus hisce Scriptoribus venerit, explicare non valeo. Unciam videntur *assi* aut *integro* substituisse.

Summam usuram exercebat, qui *centesima* foenerabatur, neque graviori foenerari per leges licebat; sortique detrahebatur, quantum ultra eam solutum esset. Enimvero quibuscunque legibus usuris modum constituebant, id *Romae* contigit quod ubique, usura legitimum modum aut superabat, aut inferius consistebat, prout rei nummariae aut copia aut raritas erat. Hinc factum est, ut *semisses usurae*, qua seminummus in mensem, aut 6 in annum de centenis ducebantur; *Plinio civiles* & *modicae* dictae, ordinariae evaderent atque vulgatissimae usurae: *asses* enim *usurae* sanguinolenti reputati, magnasque inter populum turbas cieverunt: veruntamen, qui iis pecuniam elocabant, nulli legi obnoxii censebantur: & cupidi quidam usurarii fuere, qui duplo, triplo, imo quadruplo foenerarent.

Sesquicentesimam, qua *sesquinummus* de *centenis* in mensem, seu 18 in annum pendebantur, damnavit concilium *Nicenum*. Apud *Athenienses* [d] nonnisi in casu repudiatae uxoris taxata fuit, quo 9 obolos maritus in mensem pensitabat, donec sortem repraesentasset: novem *oboli drachmam* faciunt cum dimidia.

Cicc-

c Libro 3 Epist. ult.

d Demosthenes κατὰ Νεαίρας.

Cicero in *Frumentaria Verri* objicit, quod pecuniam ad publici frumenti coemptionem ſibi attributam, duabus *centeſimis*, 2 de 100 in menſem, foeneratus eſſet: unde *Romanorum* foeneratorum haud minor ſanguinolentia quam noſtrorum nummulariorum, (Pawnbrokers * ſunt dicti) adparet fuiſſe.

[e] Foenus *nauticum* ſive pecuniae *trajectitiae* foenus, exercitori navis in fortunam mercium creditae, legitimum initio nullum fuit. Idem tamen *Juſtinianus* a 2 de 100 ad 1 de 100 reduxit. Videtur autem *foenori nautico* major modus attributus ob periculum, quod creditores incurrere cenſebantur.

[f] Tanta *Romae* ſub *Auguſto* rei nummariae copia fuit, ut uſura *centeſima trientaria* fieret, huncque ei poſtea modum *Juſtinianus* conſtituit, videlicet 4 de 100 in annum. Elocabant[c] quoque *quadrante uſurae*, ſive $\frac{1}{4}$ in menſem, ſeu 3 de 100 in annum.

Praeter uſuram ſimplicem, conjunctam quandam exercuerunt, qui *Anatociſmus Tullio* dicitur, ut ſupra † obſervavimus: interdum quotannis [g], interdum 100 menſibus effluxis penſitabatur. *Ariſtophani* [h] τόκοι τοκῶν audit. Legis ratio fuit, quod ſortem creditori cum uſuris, veniente die exigere licebat. Enimvero res eodem redibat; qui enim veniente die debitores nondum ſolvendo erant, uſuras ſorti adjici, dum intercapedine bearentur, facile patiebantur.

Legitima quoque uſura dictas ita *crediti ſpecies* foenerabantur, quo nomine frumentum, vinum, oleum & ſimilia, comprehendebant. Hanc tertia parte *Conſtantinus* abſolvit, ita nempe, ut pro mutuo datis modiis duobus, tres debitor reſtitueret, niſi aliter conveniſſent. Legis ratio ex mercium pretio inconſtanti petita fuit.

Menſtrua uſura ſemper gravior ducitur, quam annua ejusdem rationis, parit enim uſuram conjunctam. His ad ſequens Problema manuducor.

Data ratione annuae uſurae, invenire ſummam maximam, quam libra ſterlingi producere poteſt, poſito uſuram quovis indiviſibili temporis momento ſolvi debere.

Sit

* Pawnbrokers, qui in pignus commodant.
e Capite de nautico foenore.
f Dio l. 51.
† Vid cap. 3.
g Tullius. l. 5. Epiſt. ad Atticum. Interim cum ego in edicto tralatitio centeſimis me obſervaturum haberem cum Anatociſmo anniverſario, ille ex ſyngrapha poſtulabat quaternas.
h In Nebulis.

Sit r usura librae sterlingi annua, denotetque t partem temporis annui quamcumque: usuram pro eo tempore simplicem exprimet rt. Si ponamus nunc usuras deberi finitis singulis tempusculis ipsi t aequalibus, summam igitur universam, quanta annuo spatio, conjunctas usuras computando, evadere potest, comprehendet Formula †

I

† Quoniam mediocriter in Geometria sublimiori versatis, computus hic obscurior videri potest, in eorum gratiam ejus fundamenta exponere a nostro instituto non alienum erit.

Ponamus tempus *anni unius* dici 1, illudque divisum esse in partes aequales quantaslibet, quarum quaevis vocetur t, & quas successive denominabimus $1\,t$, $2\,t$, $3\,t$ &c. videlicet *primum* t, *secundum* t, *tertium* t &c. Adsumatur etiam cum Auctore usuras aequabiliter ut tempus crescere, i. e. usuras ejusdem summae semper tempori proportionales esse: dari etiam rationem sortis unius Librae Sterlingi ad usuras annuas ejusdem, videlicet hanc $1 : r$. His positis formula Auctoris computabitur modo sequenti.

Quoniam usura 1 Librae Sterl: tempore annuo, seu tempore 1, est r: reperietur per *Reg. trium*, usura tempore $t = rt$. Nam $1 : r = t : rt$, i. e. tempus annuum 1 reddit usuram r, ergo tempusculum t reddit usuram rt. Unde conjungendo sortem 1 cum usura rt, prodibit in fine tempusculi t sors nova, usuras reddituram sequenti tempusculo $2\,t$. Rursus, quoniam ut modo invenimus, sors 1 (tempusculo t) usuram reddit rt, sors $1 + rt$ aequali tempusculo sequenti, per eandem *Regulam trium* usuram reddet $rt + rrtt$, qua rursus cum priori sorte $1 + rt$ conjuncta, finito tempusculo secundo prodibit sors nova $1 + 2\,rt + r^2t^2 = (1 + rt)^2$, usuram reddituram sequenti tempusculo tertio in eadem ratione $1 : rt$. Simili calculo reperietur in fine tempusculi $3\,t$ sors $1 + 3\,rt + 3\,r^2t^2 + r^3t^3 = (1 + rt)^3$; usuras redditura tempusculo $4\,t$, & ita deinceps, ut sequenti laterculo exponimus.

In fine tempusculi	$1\,t$ .... Summa usurarum conjunctarum erit	$1 + rt$	$= (1 + rt)^1$
	$2\,t$	$1 + 2\,rt + r^2t^2$	$= (1 + rt)^2$
	$3\,t$	$1 + 3\,rt + 3\,r^2t^2 + r^3t^3$	$= (1 + rt)^3$
	$4\,t$	$1 + 4\,rt + 6\,r^2t^2 + 4\,r^3t^3 + r^4t^4$	$= (1 + rt)^4$
	⋮	⋮	
	mt	$1 + mrt +$ &c.	$= (1 + rt)^m$

Consequenter summa totalis composita ex sorte prima 1 & omnibus usuris conjunctis, erit finito ultimo tempusculo $mt = (1 + rt)^m$. Quodsi itaque ponimus annum unum continere ejusmodi tempuscula t numero m, habemus $mt = 1$, & $m = \frac{1}{t}$; quo valore in formula surrogato, erit $(1 + rt)^m = (1 + rt)^{\frac{1}{t}}$, summa composita totalis in fine anni, prout invenit Auctor.

$\overline{1+rt}|^{\frac{1}{t}}$. Enimvero per Theorema *Neutonianum* habemus,

$$\overline{1+rt}|^{\frac{1}{t}} = 1 + r + \frac{1-t}{2} r^2 + \frac{1-3t+2tt}{6} r^3 + \frac{1-6t+11t^2-6t^3}{24} r^4 + \&c.$$

Sed

Est autem ex notissimo Theoremate Neutoniano, de Binomio ad potestatem quamcunque indeterminatam elevando, $(1 + rt)^m = 1 + \frac{m \cdot rt}{1} + \frac{m \cdot \overline{m-1}}{1 \cdot 2} r^2 t^2 + \frac{m \cdot \overline{m-1} \cdot \overline{m-2}}{1 \cdot 2 \cdot 3} r^3 t^3 + \&c.$ Quae formula, si loco m ponatur $\frac{1}{t}$, abit in hanc alteram, $1 + r + \frac{1 \cdot \overline{1-t} \cdot r^2}{1 \cdot 2} + \frac{1 \cdot \overline{1-t} \cdot \overline{1-2t}}{1 \cdot 2 \cdot 3} r^3 + \&c.$ Quodsi nunc t denotet particulam temporis infinite parvam respectu temporis annui per 1 designati, evanescent membra t, $2t$, $3t$ &c. ex formula, eaque proin mutabitur in hanc $1 + r + \frac{1}{2} r^2 + \frac{1}{6} r^3 + \frac{1}{24} r^4 + \&c.$ cujus seriei quinque vel sex priores termini sufficiunt ad satis proxime exhibendam summam quaesitam.

Eadem haec series exprimit Numerum Logarithmi expressi per r, ex systemate Logarithmorum hyperbolicorum desumti, ut ex Analyticis notissimum. (Vide *Wolffii Analys. infinit.* §. 260.) Quo itaque hic idem Logarithmus r ad Systema Neperianum, seu Tabulas vulgares reducatur, quo in iis evolvi & numerus respondens cognosci possit, supponendum est hoc Theorema logarithmicum.

„ Ut 2.3025850 &c. qui est Logarithmus numeri *denarii* ex systemate *hyper-* „ *bolico*, est ad 1, seu Logarithmum ejusdem numeri *denarii* ex systemate *Ne-* „ *periano* seu *tabulari*: ita Logarithmus quicunque alius systematis *hyperbolici*, „ ad similem Logarithmum systematis *Neperiani*, seu *tabularis*".

Proinde $\frac{r}{2.3025850}$ exprimit aliquem Logarithmum tabularem, cujus numerus respondens exhibet illam ipsam summam usurarum conjunctarum, modo per seriem $1 + r + \frac{1}{2} r^2$ &c. designatam. Quoniam $\frac{1}{2.3025850} = 0.43429448$ &c. qui numerus dicitur reciprocus Logarithmi hyperbolici denarii, Auctor tradit regulam pro invenienda summa quaesita hanc: „ ut ducatur praefatus numerus „ 0.43429448 &c. in r, & productum habeatur pro Logarithmo tabulari, cujus „ numerus quaesito satisfacit. „

Idem aliter & brevius per Methodum infinite parvorum consequi licet, hunc in modum. Dicatur ut supra tempus annuum 1, & pars indeterminata ejusdem t, sors primitiva foenori elocata unius Librae Sterlingi, 1: augmentum ex usuris conjunctis tempore t natum $= z$, adeoque summa in fine temporis $t =$ $1 + z$: dicantur porro incrementa infinite parva temporis t & summae totalis $1 + z$, dt & dz.

His positis reperietur per *Regulam trium* usura quam reddit sors primitiva 1 tempusculo infinite parvo $dt = rdt$: faciendo nempe ut $1 : r = dt : rdt$, & hoc dato reperietur usura a summa $1 + z$, tanquam nova sorte spectata, eodem tempusculo dt genita $= \overline{1+z} \cdot rdt$. Sed haec ipsa usura $\overline{1+z} \cdot rdt$, tempusculo minimo dt genita, haberi debet pro incremento sortis $1 + z$, quae crescit conti-

nuis

Sed per suppositionem t tempusculum indivisibile indicat sitque adeo nihilo aequale; prior itaque binomii $\overline{1+rt}^{\frac{1}{t}}$ valor abit in hunc.

$$1 + r + \tfrac{1}{2} r^2 + \tfrac{1}{6} r^3 + \tfrac{1}{24} r^4 + \tfrac{1}{120} r^5 \text{ \&c. seu}$$
$$1 + Ar + \tfrac{1}{2} Br + \tfrac{1}{3} Cr + \tfrac{1}{4} Dr + \tfrac{1}{5} Er + \text{\&c.}$$

Foeneretur v. g. Sterlingi libra una singulis momentis ad rationem 6 de 100 *in annum*: ergo r = ,06: quo valore in serie substituto, termini prodeunt ut in margine adscripsimus, quorum summa 1,06183654 Libram Sterlingi cum omnibus suis usuris in fine anni denotat. Utque unitas ad hanc summam, ita quaevis pecunia elocata ad summam ex sorte & usuris finito anno conficiendam. Sic si sors elocata fuerit 10.000000 l. reperietur conficere 10. 618365, 4 l. i. e. 10.618365 l. 8 f. Sol-

1,00000000
6000000
180000
3600
54
1,06183654

nuis usuris quovis momento genitis. Unde existit aequatio sequens, $\overline{1+z}.rdt = dz$: seu dividendo per $1+z$ utrumque aequationis membrum, erit $rdt = \frac{dz}{1+z}$. Ex cujus differentialis forma manifestum est, illius summationem a Logarithmis pendere.

Quo autem summatio ad systema Logarithmicum *Tabulare*, seu *Briggianum*, quo vulgo utimur, reducatur, dicatur ejus *Modulus*, seu in Curva Logarithmica *Subtangens* = M: quo si utrumque aequationis propositae membrum multiplicetur, prodibit aequatio talis $Mrdt = \frac{Mdz}{1+z}$, adeoque summando $Mrt =$ Log. $\overline{1+z}$, ex systemate tabulari.

Sed ex doctrina Logarithmorum constat, illum ipsum numerum $\frac{1}{2.3025850} =$ 0.43429448 &c. quem supra exposuimus esse modulum systematis Logarithmici *Tabularis* seu *Briggiani*. Consequenter si in priori aequationis membro pro M scribatur 0.43429448 &c. pro t vero scribatur 1; seu tempus integri anni, habebitur r. (0.43429448) = Log. $\overline{1+z}$ ex systemate Tabulari: ex quo rursus patet regula Auctoris altera illa, scilicet „ ducatur numerus r (exprimens usuram „ annuam simplicem sortis 1) in numerum 0.43429448 &c. & productum erit „ summae quaesitae Logarithmus *Tabularis* seu *Briggianus*, quem vulgares Ta„ bulae demonstrabunt.

Nota. Quoniam aequationis $rdt = \frac{dz}{1+z}$ membrum posterius in seriem conjici, & eo peracto ea tota summari; deinde per methodum *Reversionis* seu *Extractionis radicis ex serie infinita* valor ipsius z erui potest, (ut *Elementor. Analys. Wolffii* §. 260. videre est) patet, qua ratione Auctoris series ex hac ipsa aequatione derivari quoque possit.

Solvitur quoque Problema *Tabularum Logarithmicarum* ope in hunc modum.

Multiplica *r* per numerum, 43429448... &c. i. e. Reciprocum Logarithmi *Hyperbolici* numeri 10. Productum dabit quaesiti numeri Logarithmum, quem vulgares Tabulae demonstrabunt.

Graves usurae arctae rei nummariae indicium sunt: in civibus *Romanis* hoc ratiocinium tamen minus recte procedit, quam procederet hodie in aliis *Europae urbibus*. Etenim

1°. Summam *Romae* fidem fuisse, ingens aes alienum demonstrat, quod ad summam usque semi-millionis, nobiles quandoque viros contraxisse, in capite de Debitis & Opibus vidimus, licet praeter propria merita, spemque adipiscendorum honorum, vix quidquam in homine adpareret, quod tantam pareret fiduciam.


2°. Cum usurarii aut nummularii scelesta quasi ars *Romae* haberetur, usuram hoc denuo adgravabat. Ubi enim ars aut mercatura quaecunque clam, neque legitime exercetur, ibi iniquius & sanguinolentius res geratur necessum est. Certe nostris nummulariis, Pawn-brokers dictis, *Romani* foeneratores honestiores vix videntur.

3°. Fidei chartae & cautionum per pignora artificium, *Romani* eo saltem gradu, quo apud nos hodie vigent, ignorasse videntur, quibus rebus res nummaria quasi multiplicatur.

4°. *Ambitus* praecipuum *Romae* commercium fuit, & continuis magnisve pecuniae supplementis indigebat; hanc ipsam *Cicero* [i] gravis foenoris rationem reddit, quod ideo a 4 de 100 ad 8 crevisse scribit. Ambitus eo processerat, ut 80729 l. in singulas Tribus, aut in totidem saltem quot ad vincendum requirebantur, pronuntiarent. Cumque non pauciores 35 fuerint, facile videmus, quantas haec corrumpendi ratio summas absumserit, cujus rei exitum nemo est qui ignoret. Haec priori aliquo capite paucis praelibaveram.

i Cicero Epist. l. 2. ad Q. Fratrem. Epist. 15. Ambitus rediit immanis, nunquam fuit par, non dico Hyperbolas, vel Sestertium centies constituunt in praerogativam pronunciare.—— Ardet ambitus foenus ex triente. Idibus Quinctilis factum erat bessibus.

CA-



De ROMANORUM *Spectaculis Caput interpolatum.*

Supputatis *Romanorum* fortunis, inspectisque eorum *Delphicis*, sicque numerati copia aliquo modo constituta, neque eorum in eundem finem spectacula lustrare abs re alienum erit: Argenti enim praesentarii copia ex publicis populi oblectamentis optime spectatur, quorum sumtus licet non semper ad *denarii* rationem possimus revocare, quivis tamen ex re ipsa eorum facile magnitudinem emetietur. Ea quippe est ingenii humani natura, ut divitiarum mensuram in voluptatibus studiose omnes ostentemus, quae cum apud *Romanos* modum omnem excesserit, in his quoque eos perpetrasse quae omnem fidem superant, mirum non est.

Spectacula tribus potissimum locis edebantur, in *Theatro*, *Amphitheatro* & *Circo:* illud Tragoediis, Comoediis, Mimis &c. haec equorum cursibus, proeliis, naumachiis, ferarum pugnis & gladiatoribus inserviebant.

Eorum solae areae quam immenso constiterint, ex eo cognoscimus, quod aream [a] *Caesaris* fori, omnium minimi, 807291 l. 13 s. 4 d. emtam vidimus.

Amphitheatro & *Circo*, quo se tutiores ab omni periculo praestarent, pegmata seu cancellos circumducebant. In ea pegmata *L. Muraena* [b], & *Cajus* Princeps, argenti pondo 124000 (ut bene *Lipsius* legit) conjecerunt, i. e. 400416 l. 13 s. 4 d.

Sed quantula haec, si cum *Neronis* impensis conferas. Is teste *Dione* [c] theatrum totum, non scenam ejus tantum, auro obtexit & illevit, sed & quicquid illatum fuit, & omne instrumentum & choragium aureum. Quos sumtus, quo aliquo modo emetiamur, non plures auri libras in hujus theatri universo apparatu quam in illo pegmate fuisse adsu-

a Supra cap. 8. de pretio Soli. b Plinius l. 33. c. 3. c Dio in Nerone.

fumemus, quod credo vel feverisfimus quisque facile largietur: igitur *Nero* eo die impendit 4,504816 l. 13 f. 4 d.

Supputatis fic breviter Ludorum inftrumentis, defcendamus in ipfam *Circi* & *Amphitheatri* arenam, quae venationum, praeliorum terreftrium & navalium, gladiatorumque innumeris haud raro caedibus madebat: eam littorali fabulo defabulatam initio accepimus; fed mox ut populi *Romani* gladiatores beftiaeve in vili arena morerentur indignum vifum: igitur quo [d] candor in commendatione foret, rafuram lapidis albi adhibuerunt: quae cum nondum ad propofitam vecordiam fatis effet, [e] minio & chryfocolla, *Arabicis* mercibus, arenam confperferunt, cujus libras 8 f. o¼d veniiffe, fupra vidimus. Ponamus igitur *Caefaris* Circum ad pollicis tantum altitudinem defabulatum, reperiemus [f] arenam illam confumfiffe 2,801348 l. 8 f.

Quo vero majores divitias fagaciffimus luxuriae magifter *Heliogabalus* calcaret, circi pavimenta [g] auri & argenti fcobe obtexit. Ædificia in *Caefaris* circo 6 jugera patuerunt, ex quibus populus in arenam defpiciebat. Sed demus eis nonnifi tria, quibus ad pollicis altitudinem dicta fcobe ftratis, fpectantium pedibus [h] 14,588754 l. *Heliogabalus* fubjecit.

In tantis divitiis conftrata arena varia fpectaculorum genera edebant. *Venationes* dicebantur, cum beftiae a militibus, *Direptiones* cum a populo conficiebantur. Beftiae itinerariis initio caveis illatae, per nudam arenam difcurrebant. Sed novarum rerum ftudiofa luxuria mox ad germanae venationis fpeciem propius accedere

d Plinius lib. 36. e Plinius l. 33. c. 5. & Suetonius de Cajo. f Calculus ejusmodi eft. *Caefaris* circus patuit ftadium in latitudinem, & triplum in longitudinem: quo Anglica menfura exprefo, circi arenae pollices qdr. Angl. 157796268,75. cedunt. Ponamus arenam aqua ad pollicis altitudinem obtectam, prodibunt pro aqua in toto circo contenta 157796268,75 pollices cubici. Sed 1728 poll. cub. aquae pendunt 76 libras Troy. (vid. de Mens. cavis cap. 9. hujus libri) Ergo dictus pollicum cubicorum numerus facit 6940113 libras Troy. Ponamus nunc chryfocollam & minium ejusdem cum aqua gravitatis fpecificae, ne ullo modo in exceffu peccemus: reperiemus 6940113 Troy libras, (fingulas 8 f. o⅞ d. aeftimando) confumfiffe circiter 2,801348 l. 8 f. g Lampridius in Heliogabalo. h Calculus hic fimilis praecedenti eft. Tria enim jugera ad pollicis altitudinem aqua obtecta faciunt pollices cubicos 13073760, feu 572109 libras Troy, fi fuperiori proportione utaris. Ponamus aurum, licet aqua infigniter gravius, ejusdem cum ea fpecificae gravitatis, reperiemus auri fcobis 286054 libras Troy (qui numerus illius 572109 dimidius fere eft) aequivalere 13,730592 l. totidem vero argenti fcobis facere 858162 l. qui numeri juncti conftituunt 14,588754 l.

re, & virentem silvam in media urbe conspicere voluit. Igitur arbores validae injecta humo trabibus inter se connexae, totusque circus horae momento ad silvae speciem consitus, gratiam novi viroris obtulit. Quo facto ex argenteis aureisque caveis leopardi Libyci subinde 100 [i], Syriaci 100, leaenae 100, ursi 300, cervi palmati [k] 200, equi feri 30, oves ferae 100, alces 10, tauri Ægyptii 100, struthiones Mauri miniati 300, onagri 30, apri 150, ibices 200, damae 200 &c. subito emittebantur, quibus argenteis hastis [l] lacessitis, mox per tubos immissa aqua maris speciem praebuit, in qua ingens derepente navis comparuit [m], quae medio alveo occulte soluta, leonibus, tygribus, pardalis, crocodilis, hippopotamis [n], & omnibus marinis monstris, ad septingentorum numerum, pro arbitrio temperantis magistri, effusis, rursus subito disparebat, ut inter has ferarum pugnas [o] duarum classium navali proelio locum faceret. Tantis rebus absolutis, tertia scena [p] gladiatorum paria subinde 5000, educta aqua, in arena jugulabantur, tandemque minio & chrysocolla erudite variegata arena, populo *Romano* epulum eodem die datum.

Quae machinamenta etsi nostras, ut vocant, *Operarum* machinulas adeo superant, ut nisi luculentos earum rerum auctores haberemus, vix nobis fidem facerent, is tamen luxuriae ultimus modus nulla ratione existimandus est. Populus namque *Romanus* ut arte nihil, natura omnia fieri viderentur, aurea & aromatica vepreta & ipsas sylvas, in quibus ferae absconderentur, ex ipsa tellure se inspiciente enasci, ipsamque terram suo jussu dirimi voluit. Inde *Calpurnius* in *Carini* venatione,

Ah miseri quoties non discedentis arenae
Vidimus in partes? ruptaque voragine terrae
Emersisse feras? & iisdem saepe latebris
Aurea cum croceo creverunt arbuta libro.

Tan-

i Vopiscus in Probo. k Capitolinus in Gordiano. l Plinius l. 33. c. 3. *De J. Caesare loquens*, ferasque argenteis hastis lacessere tum primum visum. m Dio in Severo. Receptaculum autem omnium ferarum exstructum erat instar navis, quae capere simul & emittere posset ad feras septingentas &c. n Calpurnius de Carini ludis,

——— *Aequoreos ego cum certantibus ursis*
Spectavi vitulos &c.

o Suetonius in Nerone. Exhibuit & naumachiam marina aqua innantibus belluis. p Dio in Nerone.

Tantae vero tamque mirabiles res, quo gratiores essent, neve ab invidioso coelo turbarentur, theatra & amphitheatra, (spatium ingens, in quo hominum nonnunquam 200 millia considebant) varia pretiositate velorum intexerunt. *Caesar* [q] totum forum *Romanum*, viamque sacram, a domo sua ad clivum usque *Capitolinum*, *carbasinis* velis tetendit.

[r] *Nero purpurea* aureis stellis interstincta vela obduxit; quae 3 l. 10 s. 11 d. emta in libras supra supputavimus.

[s] Idem *serica* veste populum *Romanum* umbravit: quae res fidem omnem superat, cum byssinae vestis, cui serica aequiparanda, 20 librae pondo [t] 992 l. venierint.

Quo vero mitius morti populus *Romanus* adsuesceret, eam & inter odores videre voluit. Eum in finem per latentes [u] fistulas crocum vino dilutum ex alto, roris instar, spargebatur, & quo ipsa saxa ad ejus oblectationem quidquam conferrent, statuae [x] in circo & theatris fragrantes odores sudabant, balsamaque [y] tandem & crocum per gradus theatri rivis fluere coeperunt.

Quantos hae venationes sumtus consumserint, vel ex ferarum pretiositate facile judicare est. Ursi quippe e *Caledonia* & *Pannonia*, leones & tygres ex *Africa*, crocotes & rhinocerotes ex *India*, crocodili ex *Ægypto* &c. ad singula spectacula conquirebantur. Earum praeterea ingens numerus impendium in infinitum auget. *Scipio Nasica* [a], qui, ut primum saxeum theatrum hastae subjiceretur, auctor fuit, ursos exhibuit 40, *Africanas* (tygrides) 63, elephantos 40.

[b] *M. Scaurus* hippopotamum & 5 crocodilos, temporario euripo ostendit.

[c] *Caesar Augustus* in campum *Flaminium* aquam emisit, ubi crocodili 36 occisi.

Idem in lapide *Ancyrano* venationes se dedisse fatetur, quibus confecta sunt bestiarum circiter 7500: aliquando unico [d] die 5000 omne genus ferarum occidit.

[e] *Seve-*

q Plinius l. 19. c. 1. r Xiphilinus in Nerone. s Dio l. 43. t Vd. hujus libri c. 6. de vestimentorum pretio. u Seneca Epist. 91. Utrum tandem sapientiorem putas, qui invenit quemadmodum in immensam altitudinem crocum latentibus fistulis exprimat &c. & Apulejus l. 10. x Tales theatrum Marcelli habuit. y Spartianus in Adriano. Adrianus in honorem Trajani balsama & crocum per gradus theatri fluere jussit. a Livius l. 44. b Plinius l. 8. c. 26. c Dio in Augusto. d Suetonius in Augusto.

[e] *Severus* ex nave solubili, ursos, leas, pantheras, leones, struthiones, onagros, bissontes &c. ad 700 uno die emisit.

[f] *Adrianus* 1000 feras natali suo *Romae*, & totidem *Athenis* exhibuit. Idem [g] confecto *Dacico* bello, per 123 dies magnifica edidit *Romae* spectacula, in quibus caesae sunt cum ferae tum mansuetae bestiae, 1000, interdum 10000.

Tantis caedibus pectore ad vulnera firmato, saevos *Romanorum* animos, quos in summa pace prae se semper tulerunt, non amplius miror. Semel tamen sanguine satiati videbantur, tum cum gladiatorum loco *Titus* [h] grues inter se depugnare fecit.

Mox gladiatorum rabies Rempublicam invasit, quas artes in id fastigium perduxerunt, ut nos indocti homines, qui vitam mitius degimus, ne cogitatione quidem eas adsequi valeamus. Ex plurimis gladiatorum generibus, *Secutoribus*, *Retiariis*, *Threcibus*, *Myrmillonibus*, *Hoplomachis*, *Andabatis* &c. mox hos, mox illos, variato numero producebant. *Caesar* [i] initio civilis belli 2000 Secutores in ludo exhibuit.

[k] *Gordianus* 12 munera dedit, ita ut gladiatorum nonnunquam 500 paria exhiberet, nunquam minus 150.

[l] *Philippus* Praetor gladiatorum fiscalium paria 1000 occidit.

[m] Bonique tandem viri *Trajani* spectaculis, gladiatorum 10000 jugulata sunt.

Horum agonum tanta fuit existimatio, ut & nobilissimi [n] in arena viri conspicerentur. Nec mirum, cum tanta mererent stipendia, ut deparcus *Tiberius* [o] Rudiarios centum millium auctoramento revocaverit, seu 807 l. 5 s. 10 d.

[p] Praeclarus pugil, *Commodus* Imperator, aureos quotidie 10000 merebat, seu 8072 l. 15 s.

Quid vero adfines his quadrigarum & equorum cursus commemorem, populo *Romano* adeo gratos, ut [q] victoribus equis aureorum saepe *modios* conferret, dum agitator [r] vel *vicies* mercedem ac-

e Dio in Severo. f Spartianus in Adriano. g Dio in Adriano. h Dio in Tito. i Cicero ad Atticum l. 7. Secutorum in ludo (Caesaris) 5000, (Lipsius legit 2000) fuerunt. k Capitolinus in Gordiano. l Capitol. ibidem. m Dio in Trajano. n Tacitus & Suetonius variis locis, ut in Nerone. Exhibuit autem ad ferrum etiam quadringentos Senatores, sexcentosque Equites Romanos. o Suetonius in Tiberio c. 7. p Xiphilinus in Commodo. q Capitolinus in Vero. r Dio in Caligula. Caligula HS. vicies agitatori *Euthyco* contulit.

accipiebat, ſeu 16145 l. 16 ſ. 8 d. Quantos quadriga ſumtus *Romae* requiſiverit, vel ex ſervitiorum numero facile colligimus, quippe horum [f] longe plura in currus unius miniſteria civis *Romanus* alebat, quam quibus maxima hodie eſt inter aulicos quadrigaria familia.

Quo vero & victrices ſuas claſſes populus *Romanus* intueri poſſet, *Caeſar* [t] defoſſo lacu triremes & quadriremes commiſit.

Domitianus [u] juſtarum pene claſſium pugnam exhibuit. *Nero* [x] autem ipſum mare populo *Romano* ad umbram ſedenti oſtendit, & quo ſuavior claſſiariorum mors eſſet, eos in vini euripis *Heliogabalus* [y] merſit.

His atrociſſimis voluptatibus deditus populus *Romanus*, theatri tamen pacifica quaſi oblectamenta omnino non praeteriit: licet ea minus grata ideo potiſſimum exculta putem, quo effundendarum opum opportunitates multiplicarentur: quam ſententiam paucitas in *Latio* natarum excellentium tragoediarum, aut comoediarum, confirmat.

[z] Hiſtrionum mercedes *Antoninus* Philoſophus temperavit, jubens ut ne ultra 10 aureos ſcenico quisquam daret, i. e. 8 l. 1 ſ. 5 d.

[a] *Roſcius* mercedem diurnam de publico 1000 *denarios* habuit, ſeu 32 l. 5 ſ. 10 d.

[b] *Apollinaris* tragoedus 400 una die *ſeſtertia* meruit, ſeu 3229 l. 3 ſ. 4 d.

[b] Dimidium *Terpnus* & *Diodorus* citharoedi, ſeu 1619 l. 6 ſ. 10 d. Quibus vero minimum, quadragena *ſeſtertia Veſpaſianus* dedit, ſeu 322 l. 18 ſ. 4 d.

[c] Eximio cantori *Neroni*, *decies* in diem oblatum eſt, ſeu 8072 l. 18 ſ. 4 d.

Hae

f Familia quadrigaria erant, mulio, ſellarius, medicus, ſutor, auriga, ſpartor, qui equos lavabat, conditor & ſucconditor, qui equos & aurigas oleo inungebant, moratores, qui nimium curſum moderabantur, viatores, ſarcinatores, qui agitatorum juſſu huc illuc curſitabant, margaritarii, qui aurigarum gemmas curabant, Procuratores dromi, qui curricula curabant, & tot alii. t Suetonius in J. Caeſare. c. 39.

u Suetonius in Domitiano c. 4. x Suet. Nero c. 12——Marina aqua innantibus belluis. y Lampridius in Heliogabalo. z Capitolinus in Antonino. a Macrobius l. 3. Saturnalium c. 14. b Suetonius in Veſpaſiano. c Suetonius in Nerone c. 21. Nec dubitavit operam inter ſcenicos dare, quodam Praetore HS. decies offerente.

Hae tantae hiſtrionum mercedes ludorum ſumtuum admirationem tollunt, quorum quae ſuperant monumenta haec fere ſunt.

[d] *Tiberius* S C. cavit, ne quis gladiatorum munus ederet, cui minor quadringentorum millium res eſſet, ſeu 3229 l. 3 ſ. 4 d.

[e] *Adrianus* bis, HS. *vicies* ludis impendit, i. e. quavis vice 16145 l. 16 ſ. 8 d.

[f] *Aurelianus* Conſul ad circenſium editionem accepit aureos *Antonianos* 300, argenteos *Philippeos* minutulos 3000, in aere HS. *quinquagies*, quae in ſummam collecta faciunt 50292 l. 15 ſ. 2 d.

[g] *Probus*, filius *Alypii*, ludis 1200 pondo auri impendit, ſeu 43595 l.

[h] *Maximus* in filii praeturam 4000 auri libras effudit, ſeu 145316 l. 13 ſ. 4 d.

[i] Codex *Theodoſianus* ludorum ſumtus hos eſſe jubet. Pro tertia praetura impendi debent 15 *millia* follium, & 30 argenti librae, ſeu 121190 l. 12 ſ. 6 d.

Pro ſecunda 20 *millia* follium, & 40 librae argenti, ſeu 161587 l. 10 ſ.

Pro prima 25 *millia* follium, & 50 argenti librae, ſeu 201983 l. 19 ſ. 3 d.

[k] Sed omnes *Caligula* anteit, qui intra biennium varii generis ludis *vicies ſemel millies* & inſuper 320 *ſeſtertia* dilapidavit, i. e. 16,958408 l. 6 ſ. 8 d. adeoque intra annum 8,479204 l. 3 ſ. 4 d.

Ex his quam ingens hominum numerus in unius hominis oblectamentis occupatus fuerit, quivis ſecum facile emetitur. Nudatam igitur colonis *Italiam*, Barbarorumque expoſitam incurſionibus, nulla ratione miror. Ob lucrum quippe in urbe faciendum, agro-

d Tranquillus in Tiberio c. 34. & Lipſius in Saturn. e Spartianus in Adriano. f Ex litteris Valeriani apud Vopiſcum in Aureliano. Nota quod Argentei Philippei 100 denariis ſeu argenti librae acquivaleant. Gronov. de Pec. vet. l. 2. c. 6. g Olympiodorus. h Ibidem. i Codex Theodoſianus tit. de Praetore & Quaeſtore. Primae Praeturae quae Flaviali nuncupatione ſignatur &c ——— In ſecunda vero Conſtantiniana &c ——— tertia triumphalis &c. ———. NB. Folles & ſeſtertia unum idemque ſunt. vid. Gronov. de pec. vet. l. 2. c. 6. k Dio Hiſt. l. 59. C. Caligula revocatis ſtatim hiſtrionibus, equis, gladiatoribusque, & aliis ejuſmodi rebus, immodice pecuniam impendens, theſauros maximos breviſſimo tempore exhauſit. Quippe vicies ter millies HS. (dicunt alii, vicies ſemel millies HS. inſuper CCCXX Seſtertia) cum accepiſſet in theſauris, altero ſtatim anno magna inopia laboravit.

agrorum culturam colonus deſerebat. Quae cum *primas neceſſitates* ſola exhibeat, neque de *ſecundis neceſſitatibus* prudens ullus cogitet, niſi *primis* illis conſtitutis, mirum non eſt, quod hoc ipſo neglecto, Res *Romana* ſumma paupertate, & omni exinde miſeriae genere oppreſſa, paulatim contabuerit; cujus infortunii neglectam hi militarem diſciplinam, nimiam lii luxuriam inculpant, quae cauſae mihi nonniſi acceſſoriae ſunt, primam in neglecta *primarum neceſſitatum* adquiſitione ponenti.



DE



DISSERTATIO.

De Navigatione Veterum.

Veterum divitiarum consideratio ad considerandam eorum mercaturam sponte nos perducit, in qua tractatione non minus obvium est, in navium eorum magnitudines & commensus inquirere. Ejusmodi autem computa arida, & minus cohaerentia inter se visum iri putabam, absque addita de mercatura, ad quam respiciunt, summaria oratione. Succinctam igitur Navigationis Veterum historiam compilare visum est, eruditi *Huetii* de eorum *Commerciis* libro adjutus. Breves esse in hoc, ut in superioribus Dissertationibus ipsa propositi nostri natura nos jussit, licet ex gravioribus pauca praeteriisse mihi videar.

Naves initio *rates Romani*, a textura dixerunt, *ex ratibus vimine contextis*. Commissa invicem tigna, ait *Isidorus* [a], tabulis consternebant veteres, quae primae ipsis naves fuerunt. Nisi majorum inventa nostra aetas provexisset, scribit [b] *Quintilianus*, *ratibus* ad hunc diem navigaremus. *Monoxyla*, seu cymbae e tigno cavato, majoris jam artis fuerunt, quam *rates*. Antiquissimis retro temporibus illa jam in usu fuerant; & ab *Indis* speciatim adhibita contra invadentem *Semiramin*. [c] *Xenophon* ea nonnisi trium hominum capacia fuisse reliquit. *Polyaenus* [d] unius solum. Eorum usus ad hunc diem inter *Graecos* perduravit. *Sponius* in Itinerario simili sese transvectum adfirmat; eaque pedibus vulgo 20 in longitu-

a Isidorus 19. 1. b Quintilianus 10. 2. c Xenophon l. 6. Histor. Graec. d Polyaenus l. 5.

gitudinem, & sesquipede in latum, atque totidem in profundum patere, & binos aliquando equos eorum uno, se inspiciente, trajectos fuisse, idem subjungit, concinente cum eo *Sidonio Apollinare* [e],

——— Pars lintre cavata
Jam dociles exponit equos.

Plinius [f] ait, *Germaniae* praedones iis usos esse, quorum *quaedam* & triginta hominibus ferendo fuerint: eadem a *Gallis* adhibita, apud *Livium* [g] legimus, & ab *Hispanis* apud *Strabonem* [h]. *Romanis Alvei* dicebantur.

Corio quoque tectos lintres fuisse, usosque iis praecipue *Britannos*, legimus. De iis sic *Caesar*: *Carinae primum ac statumina ex levi materia fiunt, reliquum corpus viminibus contextum coriis integitur.* *Graecis* Δερμάτινα πλοῖα, *Xiphilino* praecipue dicta, vigetque eorum inter *Tartaros*, incolasque *Walliae* usus ad hunc diem.

Omnium fragilissimis navigiis *Ægyptii* vecti sunt, qui teste [i] *Strabone*, fictilibus interdum faselis vela dabant.

——— Imbelle & inutile vulgus
Parvula fictilibus solitum dare vela faselis,
Et brevibus pictae remis incumbere testae.
Juv. Sat. 15.

† E *papyro* iidem navigia texuerunt, planta, unde scriptoria charta ad nonum aut decimum saeculum usque conficiebatur, ex quo tempore nomen illud ad hunc usque diem retinuit.

Simili scapha vectis crocodilos non nocere, in vulgus credi scribit *Plutarchus*, quoniam *Isis* ejus generis navigio aliquando navigaverit.

Magis vero fidem superat, quod navigia *Indi* ex calamis excavent. Eos in binas partes findi, & ex singulis navigia fieri, scripsit [k] *Heliodorus*. [l] *Plinius* auctor est, satis crassa esse, quae tres homines simul capiant.

Qua-

e Sidonius Apollinaris in Panegyricis. f Plinius l. 16. c. 40. g Livius l. 21. c. 26. h Strabo l. 2. i Strabo l. 17.

† Plinius l. 13. c. 11. k Heliodorus 10. 27. l Plinius lib. 8.

De quadruplici plerumque materie navigia antiqui fecerunt, *orno* nempe, *ilice*, *fago* & *alno*: adhibita ei rei & *abiete*;

Occumbunt orni, nodosa impellitur ilex,
Silvaque Dodones, & fluctibus aptior alnus.

Lucan. lib. 3.

Ægypti & *Syriae* Reges, scribit [m] *Plinius*, inopia abietis cedro ad classes uti coactos.

Abietem adhibuerunt *Romani*, copiose propriis silvis suppeditatam.

[n] Tigna *Rhodiis*, quae 10 *quinqueremibus*, totidemque *triremibus* sufficerent, promisit *Ptolemaeus*, inter quas nonnullae 40 cubitos longae forent.

Tigna interposito ferro copulabant. Æreis clavis eos uti scribit *Vegetius*, qui sumtus non detrectassent, quoniam aeruginis expertes. Eo metallo ad magnam suam navim usus est *Hiero*. Tabularum commissuras interjecta *stuppa* & pice, nonnunquam *sparto*, *junci* specie, ferruminabant.

De navium eorum magnitudine, & earum variis generibus, differendi occasio in brevis hujus historiae progressu sese aperiet.

Antediluvianos homines, aliis artibus provectissimos, quaedam jam machinamenta habuisse, verosimile est, ex supra dictis materiis confecta, quibus amnes sinusque trajicientes, mutua commercia agitarent.

Horum post diluvium, ipsa humani generis conditio, majorem necessitatem induxit, siquidem terrae non aliter quam trajiciendo colonis patebant. *Phoenices* atque *Ægyptios* nauticae rei primos operam dedisse res est certissima.

Per mare rubrum initio *Idumaeorum* voluntate, ad quos ejus imperium spectabat, *Ægyptii* navigarunt. (Creditur *Idumaeorum* Rex *Erythras* ab *Edom* aut *Esau* diversus non fuisse.) Protinus autem a tanta servitute in libertatem sese vindicaverunt *Ægyptii*.

[o] *Osirim*, quem veteres *Bacchum*, *Dionysum Graeci* dixerunt, *Indorum* mores mitigasse, iisque per 52 annos imperasse, colonias A.M. 2421.

ur-

m Plinius l. 16. c. 41. n Polybius l. 5. o Diodorus Siculus lib. 1.

urbesque condidisse perhibent: hinc *Ægyptiorum* Regi *Sesothi*, seu *Sesostri*, jura sua in *Indos* enata; qui domitis *Æthiopibus*, quadringentorum navigiorum classe in rubrum mare missa, omnem maritimam oram, quousque ad *Indos* [p] pertinet, subegit, dum ipse medio tempore pedestri militia, longius quam *Alexander*, ultra *Gangem*, ad oceanum usque progressus, armis omnia sibi subjecit. Haec *Ægyptiae* gentis cum *Indis* conjunctio per longissimum temporis tractum perduravit, adeo ut, *Ægyptum* invadente *Cambyse*, ejus incolae plurimi ad *Indos* sese reciperent. Morum utriusque gentis similitudo, veteris amicitiae erudito *Huetio* argumentum est. Inprimis quod *Sinenses Hieroglyphicis Ægyptiorum* more utantur, credant *Metempsychosin*, colant vaccam honoribus divinis, seque ab exteris frequentari mercatoribus aegre patiantur: quas ipsas *Ægyptiorum* fuisse consuetudines, *Strabo* [q] testatur.

Neque nauticae ante irrumpentes *Ægyptios*, rudes *Indi* fuere. Seculo enim circiter ante *Sesostris* expeditionem, quantum ex imperfectis illis temporum rationibus colligere licet, bellum contra *Semiramin* sustinuerunt, quo quatuor millibus *Monoxylorum Indum* fluvium tenuerunt. Tali genti aliquam in oceano navigationis peritiam fuisse necessum est.

Hanc *Ægyptios* navigationem jam antiquissimis agitasse temporibus, manifesto adparet. Cum igitur navigationem ex *Ægypto* in *Indiam* a *Ptolemaeo Philadelpho* primum institutam esse *Strabo* [r] praedicat, id ita interpretandum, quod inter *Graecae* originis Reges praeeuntem neminem habuerit. Adeo enim sub *Persarum* imperio, *Indos* inter & *Ægyptios* concidit commercii usus, ob opportuni portus in *Ægypto* defectum, quo *Indicas* suas merces inferrent, ut intra *Indica* maria navigari non posse existimatum sit.

Post *Ægyptios*, nautae antiquissimi *Phoenices* fuerunt. *Syriae* maritimas oras, quae *Palaestinam* tangunt, tenuerunt, neque *Phoenicia*, sed *Phoenice* est illorum regio proprie dicta. *Pomponius Mela* scribit, *Phoenicen illustravere Phoenices, solers hominum genus, & ad belli pacisque munia eximium, litteras & litterarum operas aliasque etiam artes, maria navibus adire, classe confligere, impe-*

p Manetho apud Josephum lib. 1. contra Apionem.

q Strabo. lib. 17.

r Strabo libro 3.

peritare gentibus, regnum praeliumque commenti. Alta sane indoles, litteris esse versatum artibusve, navigationem exercere & mercaturam, imperiumque maris magnis viribus & fortiter tueri.

Cum *Phoenicum* commercia, secus ac *Ægyptiorum*, Occidente potissimum continerentur, factum est, ut rem nauticam ab illis & *Astronomiam* inventam jactaverint antiqui scriptores. *Plinio* igitur nauticae inventionem *Poenis* attribuente, id non de *Carthaginiensibus*, sed de *Phoenicibus*, unde genus duxere, intelligendum est. Hi intra oceanum per fretum *Gaditanum* navigarunt, & plurimas condiderunt colonias, ut *Thebas* in *Boeotia*, *Gades*, ipsamque *Carthaginem* 50 annis ante eversam *Troiam* exstruxerunt. *Phoenicum* quoque auspiciis ex *Ailath* & *Esiongaber*, in rubro mari portubus, *Ophir* & *Tarsin Salomonis* classes petierunt. Omnem *Africae* orientalem oram uno nomine *Ophir*, totumque & *Africae* & *Hispaniae* occidentale litus, *Tharsis* vocaverunt. Hoc commercium Rex *Judah*, *Jehosaphat*, instaurare meditatus, ob destructas vero in navali naves cogitata perficere non potuit. Popularium indolem satis vere *Josephus*, in libro suo in *Appianum*, descripsit; gentem, ait, mediterraneam rem familiarem administrare satis habuisse, neque mercatura sibi molestiam creasse. Hincque est, quod epibatas ex ejus regionis maritimis oris arcerserent *Judaei*, cujus ipsi interiora potissimum tenebant. *Joppe* ex clarissimis portubus est, de quibus in sacris paginis occurrat. *Bonae Spei* promontorium illis jam temporibus superatum, neque a *Lusitanis* primo detectum esse, res est nullis dubiis labefactanda.

Phoenices inter antiquos, ab arctam humilem atque palustrem regionem, quam summo labore atque impendio a maris inundationibus defendebant, ad *Batavorum* similitudinem maxime accedunt. Haec incommoda portuum & multitudo & opportunitas compensabat, eminente inter eos *Tyro* [s] veteri, initio in continente exstructa, tantisque firmata munitionibus, ut & *Salmanazaris* [t] ingentem exercitum repulerit, & tredecim annorum obsidionem a *Nebuchadonosore* perpessa sit; cujus obsidionis aerumnis moti, se cum suis rebus in vicinam postmodum insulam transportaverunt, novamque ibi *Tyrum*, opibus veteri atque splen-

s A. M. 2747. Josephus Antiquitat.

t Circiter A. M. 3400. Vide Philostrati Phoeniciae & Indiae historiam.

ſplendore longe praeeuntem, condiderunt. Haec ad tempora uſque magni *Alexandri* duravit, qui captam crudeliter diruit eique emporio *Alexandriam* in *Ægypto* ſurrogans, maximam, quam fando accepimus, commercio mutationem induxit.

In eorum enumeratione, qui *Mediterranei* maris imperium tenuerunt, *Phoenicibus* ſeptimum locum *Graeci* attribuunt, *Ægyptiis* octavum. Ab his tamen antiquitatis imperitia omni tempore *Graecis* objecta eſt. Antiquior enim multo eſt *Phoenicum* res nautica, quam *Graecorum*; cum illorum *Hercules*, cujus maritimae expeditionis memoriam ſub *Malcanthi* nomine *Sanchoniathon* conſervavit, annis ante horum *Jaſonem* trecentis navigaverit.

Perſiae ad commercandum itinere pedeſtri aeque ac maritimo, ſitus eſt opportuniſſimus. Mari *Indico* verſus meridiem, *Arabico*, ſinuque *Perſico* alluitur, *Euxino* vero & *Caſpio* mari verſus ſeptentrionem, quibus aliud commodum, navigabilia flumina plura, ut *Euphrates* & *Tigris* accedunt; neque tamen tantis naturae opportunitatibus effectum, ut ad mercaturam aut nauticam ingenii quidquam manifeſtaverint. *Semiramis* [u], quae ea regione regnavit, mari ſplenduit, naveſque longas inveniſſe creditur, quarum haud pauciores tribus millibus, aereis *roſtris*, aliquando habuiſſe dicitur, conterraneo tamen remigio non completas. Unus ex regni ſucceſ-
A.M. 3273. ſoribus, *Salmanaſar*, ſubditos ſuos *Phoenices* claſſi impoſuit, ſed res adeo male geſta eſt, ut minus quam decem navibus *Tyrii* totam claſſem deſtruerent. Claſſes contra *Athenienſes* a *Dario* & *Xerxe* [x] armatas, aedificarunt, & remige compleverunt ſtipendiarii utriusque & foederati populi, qui oras *Mediterranei* maris & inſulas tenebant. Qui ejus nobis in ſcriptis reliquerunt belli hiſtoriam, 1207 in *Xerxis* claſſe *triremes* numerant, [y] *Phoenicias* nempe & *Syrias* naves 300, *Ægyptias* 200, *Cyprias* 150, *Cilicias* 100, *Pamphyliacas* 30, *Lycias* 50, *Carias* 70, *Jonias* 70, ex *inſulis* 17, *Æolias* 60, ex *Helleſponto* 100. Praeter haec, minora adhuc remorum 30 aut 50 navigia *Cercurienſes* & *Hippagines* adduxerant, quae numerum complent. De *Perſis* tota enumeratione altum eſt ſilentium.

Poſt devictam a [z] *Cimone*, *Atticae* claſsis praefecto, *Longimani* claſ-

u Herodotus lib. 1. x Circa Olymp. 75. A. M. 3525. y Herodotus. z Vid. Diodor. ad Olympiad. 82. An. 4.

classem, Persae *Graeci* maris imperio penitus cesserunt, data fide, se intra tridui cursum navi non appropinquaturos, neque versus meridiem armata navi *Lycio* mari, (contra *Rhodum* ad litus *Asiae* minoris) aut *Pamphylio* (quod *Cyprum* inter & continentem interjacet), neque ponto *Euxino* septentrionem versus, navigaturos. Quod a re nautica & mercatura alienum animum apertius probat, quam infelix hoc bellum paxque turpior. Vix certe quidquam reperies, si *Euphratis* & *Tygris*, maximorum fluminum, interruptam per cataractas navigationem excipias, quo ab exterorum irruptionibus sese tuerentur. *Tygrim* antea ad locum usque, quem postmodum *Seleucia* [a] occupavit, *Euphratem Babylone* [b] tenus, navigabilem fuisse, ejus rei memor *Strabo* [c] auctor est. Has cataractas pro sua indole *Alexander* dejecit, flumenque navigabile reddidit. Insequentia eas tempora, pristina pusillanimitate [d] praevalente, restituerunt, unde ad *Justiniani* Imperatoris tempora perduraverunt. Ex eo tempore denuo complanatus est uterque alveus, & magnae in iis fluviis mercaturae agitatae, quibus emporia duo potissimum, *Siraf* ad sinum persicum, & *Omana*, inclaruerunt, quod ultimum *Plinius* [e] magni facit, & a cognomini urbe *Arabiae* diversam esse tradit.

Alexander Indici sibi maris imperium vindicavit, & classem suam in *Mediterraneo* destruxit, quo militibus spem reditus adimeret, aut potius, quo compendio serviret; quanto autem *Persarum* res nautica sibi esset contemptui ut ostenderet, eorum neminem in classe adhibuit, sed *Cariis*, *Phoenicibus*, *Cypriisque* classiariis usus est. Magnis exin consiliis alio vocatus, *Nearcho* navalem expeditionem in mandatis dedit, qui solutas ex *Indo* flumine naves in *Persiam*, per *Pasitygrim* [f] reduxit. Qui *Alexandro* successerunt, *Ptolemaeus Philadelphus*, *Antigonus*, & *Seleucus*, terra aeque ac mari inclaruerunt, eorumque maritimas vires in sequentibus lustrabimus. Mari nullus unquam *Persarum* rex tantum, quantum *Mithridates*, valuit, qui de *Mediterranei* imperio ipsis cum *Romanis* contendere au-

a Haec *Seleucia* fuit *Parthorum* in *Mesopotamia*, non longe a *Babylone*, ubi *Tygris* & *Euphrates* confluunt. b *Bagdat* veteris *Babylonis* locum non occupat; a *Tygri* enim illa alluitur, cum *Babylon* ad *Euphratem* posita esset. *Babyloniam* hodie *Caldar* vocant. c Strabo lib. 16. d Ammianus Marcellinus libro 24. e Plinius l. 36. c. 28. f Pars *Tygris* inferior.

aufus eft, idque totum a *Cilicio* ad *Jonium* [g] ufque mare occupavit, & quo eorum maritimas vires frangeret, & mercaturam disjiceret, totum *Mediterraneum* mare piratis, ad fretum ufque *Gaditanum*, implevit.

Licet ad commercium maritimum ingenio *Perfae* effent parum folerti, maximum tamen mediterraneis regionibus agitabant, vetusque *Arfacia*, quorundam *Perfiae* regum fedes, hodie *Caswin* dicta, domeftica mercatura opes divitiafque infignes nacta eft. Merces in ponto *Euxino* marique *Cafpio Armeniis* advehebantur, ab his in *Perfiam* importandae; quas *India Sinarumque* regio fuppeditabat, in *Cafpium* mare *Oxo* [h] flumine invectas, ficque [i] *Cyro* impofitas adverfo flumine ad regionem *Euxini* ufque deferebant, ex quo loco *Europaeis* tandem gentibus tranfmittebantur. De commercio hoc inftaurando, *Leonis* x Papae tempore, *Paulus* quidam *Centurio*, *Genuenfis*, cogitavit: propofuitque *Mofcoviae* Imperatori *Bafilio* confilium tale, ut *Indica* mercimonia *Aftracanum* delata, *Mofcoviam Wolga* flumine, & exinde *Duna* & *Mofca* fluviis *Rigam* deferri juberet. Idem *Holfatiae* Dux *Fredericus* fruftra tentavit.

Inter *Afiae* gentes & *Trojani* mari valuerunt. Horum imperium anno mundi circiter 2530 natum. Ejus urbis ad oram *Hellefponti*, quae *Afiae* eft, fitus fuit ad mercaturam navigationemque opportuniffimus, qui eam ad fplendorem brevi tempore fummum divitiafque infignes evexit. Sed vix annos centenos & quadragenos perduravit hoc imperium, a *Graecis* peffum datum.

Ad *Carthaginienfium* nunc accedimus commercium & navigationem. *Carthaginem* condidit aut renovavit potius *Dido*. A. M. circiter 3132, eoque *Tyriorum* aut *Phoenicum* coloniam deduxit, hifque, ut fupra oftendi, navigationis inventio, quae *Poenis* tribuitur, adfcribenda eft. Utrique *Horatio*, *Tyrii* & *Carthaginienfes* nomine *Poenorum* veniunt. Incolas *Gadium* *Poenos* *Cicero* [k] dixit. Gentis, ex qua ftirpem duxerant, negotiofum *Carthaginienfes* ingenium & aftutiam omnino retinuerunt. *Tyrios*, quorum opera *Salomon* in exftruendo templo ufus erat, Sacrae paginae [l] ob artis materiariae

g Totum illud mare, quod *Siciliam*, *Italiam* & *Graeciam* interjacet, *Jonium* mare vocant, ita ut *Adriaticum*, fi ftricte loqui velimus, ejus nonnifi pars fit. h Ad hunc fluvium urbem Alexander condidit, *Alexandria Oxiana* dicta. i *Cyrus*, quem hodie *Kur* dicunt, per regionem *Mohan* fluit. k Cicero pro Balbo. l 1 Regum v. ✠ 6.

ariae, omnisque operis architectonici peritiam commendant.

Artis quoque cerdonariae gloria *Carthaginiensibus* omni tempore summa fuit, qua regionis ejusdem incolae, *Maroquins* dicti, ad hunc usque diem clarent. Ludibrio ideo a *Romanis* habiti, & ob tenuem victum allii edones dicti sunt, neque id cognomentum dedecori sibi esse putaverunt: non minus autem ab illis *Romanos* ob vasorum paucitatem, prima legatione *Carthaginem* missa irrisos, antea observavimus. Initio tertii belli *Punici*, 700000 hominum *Carthagine* numerata. Trecentis aliquando urbibus, totique tractui a freto *Gaditano* magna *Syria* tenus imperaverunt, & praeterea magno tractui *Africae* orae, quae extra fretum *Gaditanum* posita, (quo plurimas colonias *Hanno* deduxit) & *Hispaniarum* parti, praecipue *Carthagini* novae, ab ipsis conditae: hisque longe a freto *Gaditano* remota in oceano insula adjicienda, ab auctore libri mirabilium, *Aristoteli* adscripti, & *Diodoro Siculo*, adeo magnificata, ut eam *Americam* fuisse plurimi sibi persuaserint. *Bocharti* [m] objectionem, qua tantam absque acus magneticae adminiculo navigationem perfici posse negat, *Diodorus* aliquatenus labefactat, venti impetu eò delatos adfirmans, quem mercaturae, ut vocant, ventum, intra tropicos regnantem, fuisse probabile est. Hoc saltem verum, senatum *Carthaginiensem* detectam *Fortunatam insulam* summa cura omnes caelasse, subditosque eo transportari vetuisse, ne hominibus *Africa* nudaretur.

Navigationis eorum itineraria duo nobilissima temporis tractu intercidèrunt, *Hannonis*, qui fretum egressus, *Africae* oras lustravit, & *Hamilcaris*, qui *Europam* circumvectus est: qui enim *Hannoni* tribuitur *Periplus*, spurius creditur. De magnae hujus gentis re nautica differendi occasio dabitur, quando ejus maritimas cum *Romanis* contentiones enarrabimus.

[n] *Graeci*, nomine ab obscuro primum viro, aut principe ducto, cui *Hellenum* postea & *Achaeorum* cognomentum successit, a barbara gente originem trahunt, inscia agriculturae, herbisque instar pecudum [o] pasta; cui rei vel divini *Pelasgo* decreti honores argumento esse possunt, a quo primum glande vesci edocti fuere. Mox relictis vix pristinae conditionis miseriis, latrocinia eos ter-

ra

m Bochartus lib. 5. n Plinius l. 4. c. 7. o Apollodorus l. 2. c. 1.

ra marique agitare coepisse, auctor est ipse *Graeca* origine *Thucydides*.

Graecorum nomine non *Graeciae* solum, in continenti sitae, incolae veniunt, sed & qui insulas *Mediterranei* maris, & qui *Asiae minoris* oram habitant, & quam plurimis coloniis tenuerunt, non exclusis nec *Tyrrheniis* nec *Siculis*, nec plurimis *Italiae* colonis. Gentem eam *Minos*, *Cretae* Rex, primus humanius vivere docuit; *Archipelagum* cum insulis classe comparata domuit, devictas singulas regiones filiis regendas tradens. Insequenti tempore maritimae urbes a *Graecis* aedificari coeptae. Regnum *Argos* [p], temporis vulgari ratiocinio, A. M. 2249 *Inachus* fundavit, annis ante destructam *Trojam* sexcentis septuaginta & senis. *Argonautarum* mercatoria partim, & partim militaris expeditio, A. M. 2743 contigit (quem numerum nonnisi conjectura ductus scribo, usquedum verus adeo desideratus detegatur). Mystici illius aurei velleris varia est explicatio; sunt qui compendiosam eo *Colchicae* lanae mercaturam, sunt qui aurum, vellerum ope, in fluminibus vulgo collectum designari putant. *Argo* navim qua vecti sunt, magnitudine & reliquo adparatu antea visis praeiisse crediderim quidem, extraordinaria tamen adeo amplitudine fuisse non videtur, cum a *Danubio* ad mare usque *Adriaticum* humeris ab *Argonautis* sit portata.

A. M. 2821. Post hanc prima memorabili expeditione contra *Trojanos* [q] *Graeci* insurrexerunt.

Navium eo bello a poeta definito numero calculum non adjicit *Thucydides*: earum praeterea maximam partem apertis navigiolis constitisse, qui easdem agebant pro remigibus & militibus fuisse tradens.

Depugnato *Trojano* bello *Graeci* nauticae summa cura incubuerunt. Antiquitatis palmam *Corinthiis*, triremium inventoribus *Thucydides* concedit. Ab his maris ejus imperium ad *Jonios* transiit, id quod invito & *Cyro* & ejus filio *Cambyse* retinere valuerunt.

Phocaei [r] qui *Massiliam* condiderunt, *Carthaginiensibus* sese conferre audebant. Omnibus hisce bellis *triremi* raro dimicatum est, cum navigia pleraque monocrota, remorum 50 essent. Postea vero

ro

p *Argos* hodie *Argo* vocant, ignobilis in *Morea* vicus. q *Trojae* rudera hodiedum in *Asia minore*, antequam *Hellespontum* intres, conspici dicunt. r *Phocaeam* hodie *Foia Vecchia* dicunt, prope *Smyrnam* in *Asia minore*.

ro quam *Siciliae* tyranni, *Gelo* & *Hiero*, nec non *Corcyraeenses* suarum triremium numerum augere coepissent, idem faciendi aliis quoque gentibus necessitatem imposuerunt.

Athenienses istis rerum initiis & [s] *Æginetas* parum mari valuisse, *Thucydides* auctor est, quippe qui nonnisi monocrota quinquagenorum remorum navigia, ipso adhuc bello contra *Xerxem* gesto habuerunt, quo praecipuam in classe spem posuerant. Enimvero qui *Thucydidem* brevi insequutus est *Xenophon* (*de Provent.*) *Athenas* tum temporis commercio floruisse scribit.

Consilii quod ea in re *Lacedaemonii* tenuerunt, vix ratio reddi posse videtur. Mercatura enim varie adflicta ab eis, & virium tamen maritimarum summa apud ipsos cupido remansit. *Pausanias* ait, ante Regem *Polydorum* neque auro *Lacedaemonios*, neque argento commercia agitavisse, sed sola mercium permutatione, idque virtute non ignorantia factum contendit *Trogus*, quippe quibus aureo argenteove nummo *Lycurgus* ob praevisas inde turbas prudenter interdixerit. Observandum hoc loco, quod famosi illi variis *Graeciae* urbibus celebrati ludi, non solum Gymnasticae commendandae causa, sed & promovendi commercii gratia instituti fuerint, qua ratione aliquo modo ad magnarum *Europae* nundinarum similitudinem accedunt.

De gloria inventionis varii generis navium audacter singulae invicem *Graeciae* civitates contendunt, cum interim *Phoenicias* & *Aegyptias* naves in portubus quotidie viderent, ad quarum exemplum suas eos fabricavisse certum est. Una in re certe *Phoenicum* rem nauticam provectam a se jure gloriantur, dum deserta *Ursa minore*, qua *Phoenices* ducebantur, *majorem* in navigando respexerunt. Enimvero in *Mediterraneo* mari ad annum usque post expeditionem *Argonautarum* sexcentesimum haeserant, quo primum *Coelus Samius* fretum *Gaditanum* egressus, *Tartessum* usque navigavit, non procul inde ad ostium *Baetis* sitam, quem (*Arabico* nomine) hodie *Quadalquivir* vocant.

In artibus *Samios* tyrannus *Polycrates* [t] instituit, eorumque maritimas vires insigniter auxit. Centum habuit *biremes*, magnitudine tum temporis usitatis in *Graecia* navigiis longe praecellentes.

Post *Trojanum* bellum *Graecia* commercio floruit. *Plutarchus*

s Parvae insulae incolae contra *Athenas*; hodie *Engia* dicitur. t Circa Olympiad. 63.

chus auctor est, ipsum *Solonem* fortunas mercatura refecisse, patris nimia liberalitate disjectas." Memorabilis ea occasione *Plutarchi* locus est, commercio honorificus, quando ait „ enim vero illo seculo, ut „ ait *Hesiodus*, nullum opus vitio vertebatur, neque adferebat ars discrimen. Mercatura etiam in dignatione erat, quae commoda ex „ regionibus barbaris adsciscèret, amicitias cum regibus conciliaret, „ & multarum rerum conferret peritiam. Aliqui insuper mercatores magnarum conditores urbium fuerunt, ut qui *Massiliam* „ condidit primus, quem *Galli*, Rhodani adcolae, cupide amplexi „ sunt: ad haec *Thaletem* memorant mercaturis faciundis operam dedisse, aeque ac *Hippocratem* mathematicum & ipsum, imo *Platonem* qui peregrinationem in *Ægyptum* proprii olei distrahendi „ causa potissimum instituit".

Augusti contemporaneus *Castor*, *Rhodius*, eorum qui *mediterranei* maris imperium tenuerunt, historiam a *Mino* ad *Æginetarum* usque tempora, per spatium quadringentorum annorum, ordine persequutus est. Ex hoc suam in suo Chronico enumerationem *Eusebius* desumsit.

[u] Qui in ea agmen ducunt, *Lydii*, regionis circa *Smyrnam* in *Asia minore* incolae, nummum, commercii praecipuum instrumentum, primi cuderunt.

Pelasgis, a *Pelasgo*, *Hermogenis* fratre nomen sortitis, genti vetustissimae, summa fuit navigationis peritia. Initio *Arcadiam* incoluerant postea *Lesbum* insulam coloniis tenuerunt, quae exin *Pelasgiae* nomen traxit. *Spinas* oppidum *Pelasgi* ad ostium *Padi* condiderunt, cui finitimum mare paruit, donec urbem barbari diruerunt. Finitimis *Tyrrheniis* metropolis *Luna* fuit, opportuno portu instructa.

Rhodii inter commercantes gentes nulli fama secundi, litium omnium inter mercantes supremi a *Romanis* judices constituti sunt; ad eorum leges ad hunc usque diem provocatur.

Phocaei Massiliam condiderunt, mari potentissimam: a *Massiliensibus Euthimenes* & *Pythias* cum navibus missi sunt, qui oceanum, ille meridiem, hic septentrionem versus, praeter *Europae* litora, scrutarentur.

De maris imperio, ante *Alexandrum* magnum annis circiter cente-

u Herodotus lib. 3.

tenis, *Athenienses* & *Lacedaemonii* inter se contenderunt. Supervenit postea *Philippus Macedoniae* rex, utrisque id extorquere conatus: titulum inferendi finitimis belli maritima eorum latrocinia habuit, licet piraticam ipse exhausto aerario exerceret, quod *Byzantii* speciatim obsidione, arcta jam re nummaria, factitavit.

Commercium suum medio tempore cum *Aegyptiis*, suis in re nautica praeceptoribus, *Graeci* incolume servarunt. Iis *Neucratin* portum, quo merces suas inferrent, *Amasis*, *Ægypti* rex adsignavit.

Antequam ad magnam mutationem, quam *Tyri* eversione toti mercaturae *Alexander* magnus induxit, accedamus, de *Arabum Æthiopiumve* commerciis pauca prius dicere necesse erit.

Prius quam cum *Indis* commercia *Ægyptii* agitaverunt, *Arabes* commercio potissimum conjunctos habuerunt. Et *Indiae* & *Ægypti* merces in *Arabiam felicem* (quo nomine non regionem solum, sed & praecipuum portum compellabant) deferebantur. Haec statio *Portus Romani* nomine postmodum est insignita. Regionem quoque circumjacentem, omnis generis pretiosis mercimoniis abundantem, *Hebraica* voce *Aden*, id est *Felicitatem*, sive *Voluptatem*, dixere.

Arabiae felicis commercia 807291 l. quotannis *Roma* exhausisse, apud *Plinium* legimus. Ejus regionis situs opportunissimus, aditus mari faciles in *Ægyptum*, *Æthiopiam*, *Persiam* & *Indiam*, itinere pedestri in *Phoeniciam*, *Syriam* & *Mesopotamiam* praebebat.

Æthiopum tractus, (quo nomine omnem *Africae* meridionalem oram, quae inter *Cancri* tropicum & oceanum interjacet, compelles) varii generis pretiosas merces, ut aurum, argentum, ebur, nec non gemmas, & lignum *Algummim* dictum, suppeditabat. Has merces similiter in *Arabiam felicem* importabant.

Ex dictis igitur manifestum est, quod urbis ad totius terrarum orbis contrahenda in se unam commercia maxima opportunitas fuerit, quae cum *sinu Arabico*, seu mari *Rubro*, ipsa *Ægypto*, *Æthiophia*, nec non *Mediterraneo* mari facili itinere communicabat: Destructa itaque *Tyro*, *Alexandriam* cui ex dictis opportunitatibus nulla deerat, quamve suo nomine insignitam *Alexander* magnus prae caeteris ornatam volebat, obvio consilio mercaturae sedem transferre statuit, quam commentationem adjuvit, quod in *Carthagini-*

re cogeretur. Eandem poſtea conſilii rationem cum *Romanis* tenuerunt, quorum amicitiam colentes, ſtudebant tamen ut neutris partibus ſeſe addicerent. Haec ipſis inſequentibus temporibus cum *Macedonum* rege *Philippo*, in bellis ab eo contra *Romanos* geſtis, & cum *Mithridate*, diſſidii cauſa fuit, quorum hic commodis ſuis, tantam & tam prudentem gentem infeſtando, male conſuluerat.

Navigationis hiſtoria ab his temporibus latiorem campum aperit, quam ut paucis expediri queat. Interea, de navium nominibus, formis & magnitudine pauca prius praemittenda videntur. Navium prima diviſio eſt *Claſſicarum* & *Onerariarum:* illas remis, has velis, ſubinde etiam utrisque ſimul, propellebant. *Claſſicas longas*, *Onerarias rotundas* dicebant, quoniam aut ad circuli aut ad ovi figuram accedebant. Illarum fabrica, imponendis plurimis mercibus aptiſſima, ſed ad itineris celeritatem incommoda erat, ob obliqui curſus frequentiam, niſi cum ipſum venti flatum tenebant. Inter longas & rotundas medium quoque genus erat, ab *Appiano* l. 5. ita deſcriptum: *Octavia, impetrata ab Antonio licentia, decem phaſelos triereticos fratri dono miſit, id eſt mixtos ex longarum forma & onerariarum.*

Navium alias diſtinguebant in *Aphractas* & *Cataphractas*; quarum illas *Aphractas* quoque dixerunt.

Naves nonnullas longas *Actuarias* a celeritate appellaverunt, quas *Brigantines Galli* transferunt. *Decem Scalmorum* navem *Cicero* in epiſtola ad *Atticum*, *Actuariolam* dixit. Navigiolum quo *Caeſar Brunduſium* trajecit, *Plutarchus* πλοῖον δωδεκάσκαλμον, ſeu duodecim remorum ordinum facit. Idem hoc *parvulum navigium Suetonio* audit.

Myoparones & *Hemiolia*, longarum navium graeca nomina erant; quas *Fregates* commode tranſtuleris; *Lembis*, navigiolis, ob celeritatem, *piratae* utebantur; *Roſtris* haud raro inſtructis.

Liburnae, actuariae navis genus, nomen a *Liburnis*, *Illyrica* gente traxerunt, qui iis ad latrocinia utebantur. *Biremes* fuiſſe accepimus.

Ordine contentae gemino creviſſe Liburnae.

Lucanus.

Ac-

Actuarias suas naves *Romani* omnes *Liburnas*, sive *Liburnicas*, dixerunt. Post omnia majora navigia *Scaphae* sequebantur.

Graecos primo suo maritimo bello parvulis navigiis usos necesse est; classi enim centum navium, ut * *Xenophon* testificatur, nonnisi mille armatos milites, & quadringentos sagittarios, praeter remigium, imposuerant, quod fere quatuordecim homines in navem reddit. Majora *Xerxem* navigia habuisse oportet, namque † *Herodotus* scribit, 1207 naves fuisse, quibus singulis ducenti & triginta homines, pro ejus computo, impositi.

Pugnae navalis apud veteres ratio (in eo potissimum posita ut aperto *Rostris* latere navis mergeretur) ea fuit, ut ob ictus violentiam magna & alta navis minori multis titulis praeferenda veniret. Altitudo adplicitis invicem navibus, cumque de mittendis jaculis agebatur, summi iterum usus erat. Adeo ut verius olim quam hodie dixisses, summo cum periculo minoris navigii latera majori praeberi: & licet magnas naves difficulter molirentur, earum in proelio navali major erat impetus; quippe quae haud raro adversas naves tanto robore feriebant, ut summi ordinis remiges in altum projicerentur. Igitur id causae fuit, ut navium magnitudinem paulisper augerent, donec in immensum excrescerent: quas cum uno remorum ordine difficulter impellerent, *Biremes*, *Triremes* & *Quinqueremes*, imo, si veterum scriptis fides habenda, quadraginta ordinum naves excitaverunt.

Tantarum molium fabricam, quantas non excitari potuisse nauticae periti his temporibus putant, hac occasione non excutiam: remorum tamen ordines non in eodem plano dispositos, sed sibi invicem superincubuisse, veterum navium icones, descriptiones, & scriptorum plurima alia loca manifesto demonstrant.

In *Triremibus* supremi remiges *Thranitae*, medii *Zygitae*, infimi *Thalamitae* audiebant. Vetus *Aristophanis* scholiasta alio ordine remigium disponit, ita ut puppim *Thranites*, mediam navis partem *Zygites*, proram *Thalamita* occuparet: verum nauticae rudis ille fuit, & idem serius, nec nisi post *Theodosii* tempora vixit, cum *triremes* in usu esse desiissent. De *Bruti* navi loquens *Lucanus* scripsit, longo intervallo summos remos mare attigisse,

— *Sum-*

* Xenophon lib. 2. Hellen.

† Herodotus lib. 7.

Ee

——— *Summis longe petit aequora remis.*

& Silius Italicus l. 14.

Intrat diffusos pestis Vulcania passim,
Atque implet dispersa foros, trepidatur omisso
Summis remigio, sed enim tam rebus in arctis
Fama mali nondum tanti penetrarat ad imos.

Unde summos ordines igne, prius quam id infimi rescirent, corripi potuisse, adparet.

Arianus de *biremi* loquens, αὐτῶν ait, τὰς κάτω κώπας ὄυκ ἐπὶ πολὺ ἔξω ἐχούσας τοῦ ὕδατος, infimum remorum ordinem parum supra aquam eminuisse.

Variorum Remigii ordinum variata quoque stipendia sunt. *Thranitarum*, teste *Thucydide* *, major quam caeterorum merces fuit, quia majores remos moliebantur. *Appiani* l. 5. *de Bello civili* locus est, qui totam eam rem extra dubium collocat, hunc fere in modum transferendus. „ *Agrippa* autem navim *Pappiae* petebat „ maxime, ictamque circa proram, & concussam perfregit usque „ ad carinam: qui in ejus turribus ad propugnandum constiterant, „ excussi sunt; mare in navem admissum obruit thalamitas omnes, „ reliqui perfracto tabulato natatu evaserunt". Ita ex *Silio Italico* supra citato adparet, igne correpta navi, *Thranitarum* summum prae reliquis periculum fuisse; ex *Appiano* vero elucet demersa navi *Thalamitas* periisse, *Thranitas* natando evasisse.

Pausanias in *Atticis*, *Deliacam* navim a catastromate ad imum usque remorum novem ordines habuisse reliquit.

Memnonis locus, quem *Palmerius* retulit & interpretatus est, ita se habet, „ *Leontophoros* & magnitudine & pulchritudine mira- „ bili erat: Remorum octo ordines, remiges singulis ordinibus „ octingentos, adeoque 1600 in universum habuit". His similibusve locis inducti, acriter inter se litterati decertarunt, an maximis remis singulos, aut plures remiges adposuerint, cum tantam molem unus homo moliri posse vix videatur.

Tact-

* Thucydides lib. 6.

Tacticae quotquot ſunt ſcriptores in hac navium fabrica cum variis remorum ordinibus conſentiunt ſibi ſpeciatim *Anonymus* quidam phraſiologiam nos docet. *Triacontorum* dicit, *teſſaracontorum*, *pentecontorum*, a remigum numero; *uniremim* vero, *biremim*, *triremim* ab remorum ordinibus dictas ſcripſit. Quod ſi cui dubium remaneat, rem veterum navium icones ad oculum demonſtrant, in quibus obſervandum, quod *Columbaria* non in eodem verticali plano, ſed in modum quincuncis diſpoſita adpareant, quo ipſo ad *Fabretti* ſententiam res deducitur; ſicque eo problema cogetur, quanta debeat eſſe navis perpendicularis altitudo, in qua remorum ordinum certus numerus quaſi in ſcalae gradibus, ſibi mutuo ſuperimponi debent, in plano ad horizontem ſub dato angulo, inclinato? *Quinquiremes*, navium in communi uſu maximas, ad hunc modum haud difficulter excitabimus.

Veteres nonnullarum ingentium navium memoriam reliquerunt, ad oſtentationem magis quam ad uſum exſtructarum. Ædificandarum navium ſumma inter veteres *Demetrio Poliorceti* peritia, de cujus maritimis bellis infra agemus, fuiſſe videtur, ipſarum enim magnitudine amicis ſtuporem, & pulchritudine aliquam delectationem ipſis hoſtibus attuliſſe, *Plutarchus* reliquit. Naves duas ſedecim & quindecim remorum ordinum confecit, aeque facile moliendas ac minoris formae naves; machinas praeterea nonnullas expugnandis urbibus tanto ingenio excogitavit, ut intuentibus hoſtibus admirationem injicerent, adeo ut *Lyſimachus Demetrio* inimiciſſimus, cum inſpiciendarum navium & machinarum veniam impetraviſſet, ſtupefactus exclamaverit, plus quam humano haec ingenio condita.

Ptolemaei Philadelphi claſſis *Athenaeus* hanc enumerationem reliquit; duae triginta remorum ordinum, una viginti, quatuor quae ternudenum, duae quae duodenum, quatuordecim quae undenum, triginta quae novenum, triginta ſeptem quae ſeptenum, quinque quae ſenum, decem & ſeptem quae quinum erant, & altero tanto plures, partim quaternum ordinum, partim trium & ſemis, quae *Triemiolia* appellabant. Reliqua multitudo navigiorum, quae per varias imperii partes diſtributa erat, quatuor millium numerum excedebat.

Quae de *Ptolemaei Philadelphi* duabus navibus ex *Calixeno Athenaeus* attulit, multo illis mirabiliora. „ Navem, inquit, quadraginta

„ ginta remorum ordinum, longitudine 280 cubitorum, latitu-
„ dine 38 excitavit. In prora * *Acroſtolion* ſupra aquam cubitos
„ 48, in † puppi 53 eminebat. Gubernacula quatuor, 30 cubito-
„ rum ſingula, habuit. *Thranitarum* ſeu ſummi ordinis remi 38 cubi-
„ torum erant, quos nulla opera moviſſes, niſi pars remi ſcalmo alligata,
„ plumbata aequilibrium faceret. Proras & puppes duas, duode-
„ cim tabulata, 600 ſingula cubitorum in ambitu, habuit. Re-
„ miges ad movendum rite 4000, nautas alios ad 400, & praeter
„ hos 2800 armatos, qui eam defenderent, praeter alia miniſteria
„ plurima, ut qui frumentariam rem expedirent &c. requirebat".
Neque navis fabricam, neque quatenus deſcriptioni fides haberi poſſit, hic loci diſquiram: liceat ſolum deſcriptos commenſus cum maximis noſtris 100 tormentorum navibus conferre, quarum dimenſiones tales puto ſtatuere licet, ut infimo tabulato pedes 170, carinae cui onera imponuntur, 135 in longitudine, navi in latitudine inter exteriores oras 48, profunditati alvei 19½ pedes, attribuamus. Secundum vulgarem navium onera determinandi methodum, carinae longitudo 135 x 48, navis latitudinem, & dein in latitudinem mediam, ſeu 24, multiplicata, & productum per 95 diviſum, (quoniam utramque navim a tormentis vacuam ſupponimus) reperiemus 1637, pro ſumma onerum, quibus navis ferendo eſt.

In *Ptolemaei* navi, quoniam a *Graeco* deſcripta eſt, conterraneum ſesquipedalem cubitum, a *Graeco* vix tantillo diverſum, adhibebimus. Navis dimenſiones hae ſunt.

	Cubiti		*Pedes.*
Longitudo	280	=	420
Latitudo	38	=	57
½ Latitudo	19	=	28,5.

Igitur 420 x 57 x 28,5 numerum 682290 conficiunt, qui per 95 diviſus, 7182 pro ſumma onerum reddit: ratio igitur onerum, quibus illa *Ptolemaei* navis ferendo eſſet, ad onera, quibus noſtrae

100

* Angli vocant *Gratings*, Galli *le Treillis*.
† Angli vocant *Quarter-deck*, Galli *le Tillac*.

100 tormentorum naves ferendo essent, numeris 7182 ad 1637 continetur, ratio rationi 4⅓ : 1 fere aequalis.

Naves illas similaria solida esse in expositis ratiociniis suppofui, quod falsum forsan, aliam tamen hypothesin sequi non possumus.

Thalamegum idem *Philopator* ad navigandum *Nilum* exstruxerat; *Calixenus* eximiae magnitudinis, pulchritudinis, sumtusque ingentis, opus fuisse reliquit. Minutias singulas non persequemur, cum mobilis palatii potius, quam navis nomen mereatur, eam consideraturi solum, quatenus ad propositum spectat, dimensiones scilicet, quae tales sunt,

Graecae Mensurae.			*Pedes.*
Longitudo, ½ Stadium		=	300
Latitudo,	30 Cubiti	=	45
½ Latitudo,	15 Cubiti	=	22,5
Profunditas,	40 Cubiti	=	60

Igitur 300×45×22,5 faciunt 303750, quibus per 95 divisis, navem 3197 doliorum capacem reperiemus, unde *Thalamegum* nostra 100 tormentorum navi fere duplo majorem fuisse adparet. Vero autem propius computum procedet, si dimidiae latitudini alvei profunditatem substituerimus, quae in descriptis veterum navibus pro rata parte multo major quam in nostris, nec nisi vagis numeris in descriptione expressa est. In prima enim navi, *Acrostolii* supra aquam altitudo cubitis 48 perhibetur, in altera ab imo ad summum diaetarum fastigium, 40 cubiti numerabantur.

Syracusarum Rex *Hiero Archia* usus est, manuducente *Archimede*, ad navem sumtu & opere ingenti fabricandam. *Athenaeus* scribit, ad eam aedificandam tantam ligni vim ex *Ætna* monte caesam, quae sexaginta *triremibus* satis esset, praeter assamentorum plurimam copiam, ex *Italia* & aliis *Siciliae* portubus advectam. Navi bipartito fabricata, alteri parti, ope claviculae machinalis ab *Archimede* excogitatae, in mare deductae, reliquam dimidiam partem aereis clavis denarum librarum, plumbeisque insuper tegulis adactis, conjunxerunt. Taedet omnia ejus navis cubicula, hortos, ambulationes, balnea, caeterasque commoditates &c. sigillatim exsequi. Piscinam inter alia, & duorum millium *Metretarum* capax re-

receptaculum, quae summa secundum tabulas 85 dolia excedit, continebat. Inter scaphas, quas adjunctas habuit plurimas, unam oneri trium millium talentorum ferendo fuisse accepimus. Talentum sexaginta *minas* capiebat, *minamque* veterem *Atticam* nostrae *Averdupoiensi* librae exaequavimus; qua ratione duo talenta libras centum & viginti, & quadraginta talenta dolium * absolvent, unde dolia praecise 75 eam navim cepisse videmus. Alias scaphas nisi 500 talentorum, seu illius sextantes fuisse idem auctor est, id est $12\frac{1}{2}$ doliorum.

Veterum onerarias naves nostris multo minores fuisse, ob gravia argumenta creditur. *Cicero* in Epistola ad *Lentulum* duodecima, interceptis se litteris cognovisse ait, desperatis in *Syria* & *Ægypto* rebus, *Dolabellam* convasatis omnibus in *Italiam* trajecturum, & nunc id agere ut onerarias comparet, quarum minima bis millium *Amphorarum* sit, sive 56 fere doliorum, quam satis magnam navem reputasse videtur; ea mensura si capacitatem, non ferenda onera intendit, multo adhuc minor evadet.

Maximam *Plinius* onerariam l. 16. c. 40. descripsit, quae ex *Ægypto* obeliscum, in *Vaticano* circo statutum *Caji Caesaris* principatu, transtulit; ei praeter *obeliscum* 120 millia *modium* lentis pro saburra fuere, quae dolia 1138 conficiunt.

Longe ab Arcae capacitate navium magnitudines memoratae distant, quam sacrae paginae 300 cubitos longam, latam 50, altam 30 fuisse perhibent, qua ratione, si parallelepippedum fuisse reputetur, $30 \times 50 \times 300$, seu 450000 cubitorum solidorum capax erat. Cubiti vero *Hebraici* cubus pedes pedisque decimas partes 6,068404224 continet, quo in priorem numerum ducto, arcae capacitas pedum solidorum 2730781,9 prodit: dolium pedibus solidis 33,6857 constat: numero igitur 2730781,9 per 33,6875 diviso, arcam capacem 81062 doliorum reperiemus, cui si merces aqua specifice leviores, aut saltem non graviores, imponas, capacitatis idem fere modus prodibit, qui onerum antea erat.

Sed jam revertamur ad navigationis historiam.

† *Carthaginienses* sui imperii & commercii fines, *Hispanias*, *Sici-*

* Dolium pro pondere sumtum 2000 libras pendit.
† Circa A. M. 3595. Olympiad. 92.

ciliam & *Sardiniam* ſubjugando protendere conati ſunt. *Siciliae* variato ſucceſſu bellum intulere, & integras ſubinde in ea claſſes & exercitus amiſerunt. Tyrannidem ſuam *Dionyſii* magnis & conſiliis & viribus per quinquaginta annos, quingentarum navium claſſe, peditibus 100000 & equitibus 10000 [a] tutati ſunt. Imo ex tota eos inſula *Dionyſius* pater aliquando ejecerat, qui primus *Quinquiremes* [b] excogitavit. Qui poſt *Dionyſios* regnavit *Timoleon*, eos ex inſula rurſus exturbavit, licet claſſem ducentarum navium longarum, & onerariarum ferme bis mille, contra eum armaſſent. Cupidae huic & ambitioſae genti, quae *Syracuſis*, ut *Carthaginis* aemulae, invidebat, his infelicibus tentaminibus animus non excidit: priſtinam ſemper conſiliorum rationem perſecuta, formidoloſiorem poſtmodum in *Agathocle* hoſtem invenit, qui olim piraticae deditus, ad ſuae patriae tyrannidem ſe ipſum provexerat. *Poenos* e *Sicilia* non ejecit ſolum, ſed ipſam eorum in *Africa* urbem obſidione cinxit, ejusque maris imperium ad [c] *Siculos* revocavit. Vetera quum mortuo *Agathocle* in *Siculos* jura renovarent, hi *Epiri* regem *Pyrrhum* in auxilium vocaverunt, qui propriis navibus cum *Syracuſanorum* claſſe conjunctis, plus quam ducentis longis navibus effectis, *Carthaginienſes* navali proelio vicit, & inſulam proprio imperio ſubjecit. *Sicilia* tamen aeque ac *Italia* excedere coactus eſt, poſtquam quas *Siculis* intulerat clades, viciſſim a *Romanis* paſſus eſt.

De *Sardiniae* imperio aequali pertinacia, & eodem infelici ſucceſſu, *Carthaginienſes* contenderunt; eaque inſula tentata ſecundo *Punico* bello, de quo poſtea agemus, cauſſam dedit.

Tyrii, a quo genus *Poeni* ducunt, coloniam *Gades* miſerant; haec *Carthaginienſes Hiſpanico* bello, quo ejus regni partem devicerunt, adjuvit, imperii fines magnus dein *Hannibal* ad *Iberum* uſque protendit. Regno tandem a *Romanis* ejecti ſunt, de quorum re nautica nunc dicere incipiam.

Maritimis viribus *Romani*, vicinorum exemplo incitati, & neceſſitate demum compulſi, ſerio ſtuduerunt. De nautica ait *Polybius*, ante primum bellum *Punicum* ne cogitaverant quidem, quae tamen verba non ſtricte accipienda. *Romanos* enim foedus A. U. C.

a Vid. Diodor. Sicul. Juſtin. & alios. b Circa Olympiad. 109. c Circa Olympiad. 117.

C. 245. sub primis consulibus, seu annis ante primum bellum *Punicum* 250, cum *Poenis* iniisse, idem auctor est, quo spoponderant, se nisi necessitate compulsos non ultra *Carthaginis* septentrionale promontorium navigaturos.

Romanorum eo foedere navigatio specialibus clausulis circumscribitur. Huic mox A. U. 402. aliud cum *Poenis* itidem commercii causa initum successit, quod foedus *Tyrios* & *Uticenses*, tanquam populi *Romani* socios, comprehendebat. Ex his *Romanos* non navigasse solum, sed & maritima latrocinia exercuisse adparet. Societatem *Romani* cum *Poenis* A. U. 473 tertium iniverunt. Ex eo foedere nauticam *Romanos* penitus neglexisse, manifestum fit; naves enim & longas & onerarias a *Poenis* sibi stipulati erant. Annis ante primum bellum *punicum* 74, ab U. C. 416, *Antiatium* classem, (cujus urbis locus is erat, qui *Cabo de Auzo* hodie vocatur) *Romani* ceperant, in qua naves longae 22, interque eas sex *Rostratae* numerabantur, quarum *rostris* suggestum in foro exstructum, *C. Maenius* consul ornavit. His planum fit, quod nauticam jam ante primum bellum *punicum* coluerint *Romani*.[1]

Frustra *Romani* de gerendo in *Sicilia* contra *Poenos* bello, maritimis viribus destituti, cogitassent; neque invicti animi & solertiae in ea gente summae illustrius argumentum esse potest, quam haec maritimae expeditionis prima tentamina; namque intra sexaginta dies ab arbore caesa *quinquiremes* centum, & viginti *triremes*, exemplo *punicae* navis casu interceptae, aedificaverunt, antea copias conductis apertis navibus in *Siciliam* trajicere soliti. Bellum hoc minutim a *Polybio* libro 1. descriptum reperias, quem qui legerit in navium ejus temporis notitiam quoque veniet. Nam annis post hujus belli initium, quinis, classem *Romani* instruxerunt, in qua excercitus 140000 erat, naves vero trecentae triginta, quarum singulae remiges trecentos, & milites centum & viginti continebant. Navium enim numero, si armatorum numerum dividas, homines in singulas 420 reperies.

Punicae classi, quae navium trecentarum & quinquaginta erat, ultra 150000 armatorum insidebant, qua ratione 428 & plures quaevis navis capiebat. Unde naves habuisse eos amplissimas adparet. Et quis erit, ut cum *Polybio* loquar, qui, non dico praesens oculis spectare, sed ne audire quidem tantarum classium & exercituum

adpa-

adparatum possit, quin stupeat attonitus, & quin periculi, quod sibi utrique minantur, partem in se deflectat? Rei eventus is fuit, ut *Romana* classis, (quam fabri ignari aedificaverant, neque peritiores rectores gubernaverant) *Punicam* * uno alterove proelio in fugam daret, adeo ut maris imperium, nisi naufragiis classes interiissent, *Romani* sibi vindicassent: iis primo belli anno trecentarum & quinquaginta navium classis ad octogenas minuta est. Acceptum detrimentum, 120 navium exstructa trium mensium spatio classe, refecerunt, trecentisque navibus in altum processere, quarum dimidia pars naufragio rursus interiit. Has reliquias ducentis navibus compleverunt, quarum navali pugna insequenti anno 93 perdiderunt. Cladi huic nova accessit; *Junii* quippe consulis classis, centum & viginti navium longarum, & plus quam octingentarum onerariarum in supplementum in *Siciliam* trajicientis, horrida tempestate interiit. Tantis detrimentis acceptis, maris imperio *Romani* cesserunt, quod ita ad *Poenos* rediit, qui tantae fortunae insolentia, crebrisque *Italicae* orae, quae ex adverso *Siciliae* est, vastationibus *Romanos* adegerunt, ut maris fortunam ducentarum navium classe, duce *Lutatio* consule, rursus experirentur, qui praeclaram de *Poenis* victoriam A. U. 511. reportavit. Qua clade accepta pacem petere, & omnes suas in *Sicilia* possessiones *Romanis* tradere, *Poenus* coactus est. Eo maritimo bello *quinqueremes Poeni* quingentas, *Romani* autem septingentas, si damna naufragio illata adjicias, amiserunt.

Romanarum classium tanta naufragia, justorum in navibus commensuum defectui, nautarumque imperitiae procul omni dubio attribuenda veniunt. Neque enim, quod a justa fabrica & a peritia in gubernando eis deerat, ab audacia aut fortitudine sumere poterant. Cujus rei illa *Rhodia* navi apertius argumentum non requiro, quae *Drepanum* clandestinos nuntios allatura, per ipsam *Romanorum* classem pluribus commeatibus transiit. Ejus navis praefectus, natione *Rhodius*, *Polybio* teste, suae peritiae & navis levitati confisus, saepius interdiu per opperientium speculatorum navigia transiit; & quasi hostibus insultaturus, modo remis incumbens, modo in gyrum conversus, hostium naves, quasi ad pugnam eas provocaturus, superbe circumibat. Hac tandem navi favente fortuna potiti, alias eo exemplo aedifi-

* Olymp. 131. A. V. C. 498.

aedificare coeperunt. Quae perpendens nemo sibi temperabit, quin eorum temporum cives aut patriae amantiores, aut aequiori imperio rectos, pronuntiet. Si enim his diebus res *Romana* staret, nautarum certe transfugarum, fabrorumque navalium, tantam copiam haberent, quanta eis ea occasione opus esset.

Brevi ante primum hoc bellum *Punicum*, *Syracusis Hiero*, prudentissimus princeps, reique nauticae peritissimus, regnavit, cujus navium fabricae antea exempla attulimus.

Annis abhinc decem aut duodecim novo bello contra *Illyrios* impliciti sunt *Romani*, maris *Adriatici* orientalis orae incolas, qui reginae suae *Teutae* voluntate omnes finitimas oras latrociniis infestabant. *Teuta* unum ex *Romanorum* legatis incredibili feritate capite plectere ausa est. Igitur eximia fortitudine & felicitate debellata atque coacta est omni maritima ora, si pauca loca excipias, cedere, nec nisi duae ei inermes *actuariae* ex tota classe relictae sunt, quarum cursus intra *Lyssum* contineretur, urbem *Dyrrhachio* in *Albania* vicinam, quam *Alessiam* hodie nominant. Consilium illud *Romani* constanter secuti sunt, ut devictas mari gentes arma tradere juberent; qua enim alia ratione contra hostium vim se ipsos tutarentur, qui nullis mari praesidiis, ut in continenti, contineri poterant?

Pacem hanc *Illyrii* fregerunt, & 50 actuariis in mare processere, quibus ultra *Lyssum Cycladibus* tenus evagati sunt; verum ab *Æmilio* consule iterum victi.

Secundi *Punici* belli titulum *Sardinia*, & impositum *Carthaginiensibus* vix conficiendum stipendium praebuit, quo minoribus utrique classibus, quam primo bello, concurisse visi sunt. Eo bello desperatis in *Italia* rebus, cum acerrime ab *Hannibale* urgerentur, *Scipionem* populus *Romanus Olymp.* 140 A. V. C. 536. pro consueto genio, cum classe in *Siciliam* misit, unde in *Africam* trajiceret. Ille incredibili diligentia, viginti *quinqueremes* & triginta *quadriremes*, a securi diebus quadraginta quinque, quamvis ligni maxima pars viridis esset, aedificavit, armavit, & in altum provexit, belloque finem, victo in *Africa Hannibale*, fecit. Petitam pacem *Poeni* durissima ea conditione impetraverunt, ne plus quam decem longas naves haberent, reliquis ad quingentarum numerum omnium ordinum a *Scipione*, ipsis inspicientibus, incensis. Quam atrox hoc spectaculum genti fuisse putabimus, ad quam maris imperium

ex

ex multis retro annis spectaverat? Non longarum solum navium definitus illo foedere numerus, sed & onerariarum circumscripta magnitudo est. Eo bello id memorabile accidit, quod victi ab *Hannibale* terrestri militia *Romani*, *Poenos* contra navalibus proeliis fugaverint.

Hoc bellum proxime illud cum *Philippo Macedonum* rege excepit, cum quo post *Cannense* proelium belli societatem *Hannibal*, ea potissimum conditione fecerat, ut in *Italiam* ducentis navibus invaderet. A. V. 540. *Levinus* praetor, classis ad *Brundusii Calabriaeve* oram positae praefectus, classi exercitum imposuit, & *Philippum* ab *Orici* * & *Apolloniae* † obsidione discedere, pedestri itinere in *Macedoniam* profugere, classisque suae maximam partem cremare coëgit, quae 120 biremium fuerat. *Euboeae* civitates eo ipso anno tribus, iisque maximis classibus oppugnatae, *Romana* nempe, dein *Attali*, regis *Pergami*, octoginta *quinqueremium* classe, & *Rhodia*, navium *cataphractarum* viginti. Annis abhinc duodecim contra *Attali* & *Rhodiorum* conjunctas classes, prope *Chium* insulam in aciem *Philippus* processit, in quibus longae naves sexaginta quinque, praeter nonnullas *Byzantinas*, numerabantur, dum ipse tectas naves quinquaginta tres habebat, praeter apertarum magnum numerum, nec non centum & viginti tam minores naves, quam ita dictas *Pristes*, quae nomen ab insculpta prorae balaena, mirabilis celeritatis symbolo, sortitae sunt. Debellatus tandem a *Q.* A.V.C. 556. *Flaminio Philippus*, aegre pacem a *Romanis*, nec nisi sub durissima illa conditione obtinuit, ut omnes suas tectas naves *Romanis* traderet. Nihil ei nisi pauca navigiola, cum una ingentis molis navi, quam sedecim ordinum fuisse adseverant, reliquerunt. Ipsa hac ingenti navi, *Paulus Æmilius*, postquam *Philippi* filium *Perseum*, debellaverat, *Romam* vectus est.

Antiochus cui magni cognomentum, *Hannibalis* instigatione de maris imperio aeque infeliciter *Romanis* se conferre ausus est. Classis praefectum peritissimum, *Polyxenidam*, habuit. *Romana* classis ob navium magnitudinem *Antiochi* classi praeferenda videbatur; at Antiochi naves mobilitate & celeritate *Romanas* longe anteibant, quae ultimae artes magno

* *Oricum* ad oram *Epiri*, a *Colchis* conditum.
† *Apollonia*, *Macedoniae* urbs est, hodie *Pollina* dicta.

magno eis usui in fugiendo fuerunt. *Romanarum* fabricam *Polyxenidas*, *eas inscite factas & immobiles* nominans, despiciebat. Pugna ad *Joniae* oram data est. *Rhodii*, quod navium supplementum ex *Sicilia* adduxerat *Antiochus*, aggressi sunt. Classem vero *Rhodiam Polyxenidas*, peritissimus belli dux, unà cum *Romanae* classis parte improviso ad *Samum* insulam adortus est: ex ea clade vix septem navigia evaserunt, & ad viginti captae *Ephesum* perductae sunt. *Livio* in classis imperium successit *Æmilius Regillus*, qui *Antiochi* classem centum tectarum navium, cui *Hannibal* & *Polyxenidas* imperabant, octoginta navibus in fugam vertit. Triginta a *Romanis* captae sunt, caeteras maxima ex parte aut demerserunt, aut incenderunt. Quum eodem tempore terrestris ejus exercitus ingentem cladem accepisset, maris imperium contra *Romanos* adserendi vix ullam spem reliquam habuit. Toto *Asiae* tractu, a mari ad *Taurum* montem usque, cedere, totamque classem, si mediae magnitudinis actuarias decem excipias, quarum longissimus cursus intra *Ciliciae* promontoria continebatur, victoribus tradere coactus est.

Foederis conditiones impleturus consul *Romanus*, quinquaginta longas naves incendi jussit. Auxit mox in foederis contemptum classem filius ejus *Antiochus Eupator*, cui vero Senatus *Romanus* ignem rursus subjiciendum imperavit.

Victo *Antiocho*, *Hannibal*, ad *Prusiam* regem *Bithyniae* [a], se contulit, metu ne a coacto per vim *Antiocho Romanis* traderetur; Prusias eum classi contra *Pergami* [b] regem *Eumenem*, amicum populi *Romani*, praefecit. Dolorum ferax Punicumque ingenium ollas fictiles serpentibus refertas in hostium naves immitti jussit, sicque turbatos epibatas in fugam vertit. Idem hic *Prusias* contra *Byzantinos* arma cum *Rhodiis* conjunxit, eosque portoriis ex Ponti *Euxini* commerciis hactenus perceptis interclusit.

Romana proxime arma *Ætolorum* nimia arrogantia provocavit. Eos, capta metropoli *Ambracia*, pacem petere *Fulvius* consul coëgit, quam *Rhodiorum* & *Atheniensium* intercessione impetravere. Qui cum eis belli societatem iniverant, *Istrios* malorum quoque in pace socios habuerunt. His rebus gestis, maris im-

a *Natoliae* regio. b In *Mysia* minore. Inclyta *Pergami* bibliotheca recondebatur.

imperio ab ora *Epiri* [c], promontorio *Malea* [d] tenus, *Romani* potiti ſunt.

Qui circa *Spartam* maritimam oram ſibi ſubjecerat *Nabis*, maritimis ſuis latrociniis *Peloponneſiorum* omnium commercium turbando armorum *Romanorum* vim primus poſt illos in ſe deflexit. Eum conſul quadraginta navibus adortus, tectis *Rhodiis* duodeviginti, & *Eumenis* denis, totam claſſem, praeter duas actuarias, tradere, captaſque latrociniis naves conductoribus reddere coëgit. Homo ad incitas redactus tamen parvam iterum claſſem comparavit, cum qua *Achaei* proelium iniverunt, non exſpectata *Romana* claſſe. *Philopoemenem*, ejus claſſis praefectum, pedeſtris quidem militiae peritiſſimum, nauticae vero rudem, in fugam *Nabis* vertit. Quo facto inducias cum populo *Romano* fecit, quibus adhuc durantibus ab *Ætolis* interfectus eſt. Eo mortuo *Achaeorum* foederi *Sparta* acceſſit.

Rhodii, licet foedere conjuncti, *Romanorum* nimiis maritimis viribus magnopere invidebant. Sibi belli, quod *Perſeo Romani* intulerant, arbitratum permitti, vehementer cupiebant. Legati eorum in Senatum admiſſi ferocius locuti deque plurimis injuriis queſti ſunt: devicto vero *Perſeo* conſiliorum rationem mutaverunt, & priſtinae feritatis culpam in paucos privatos rejecerunt, quod conſilium, qui ex ejus gentis prudentia ſpectaverit, nemo mirabitur.

[e] *Perſeus*, poſtea quam finitimas gentes ad belli ſocietatem pertrahere fruſtra conatus erat, *Carthaginem* legatos miſit, qui *Punicam* gentem inveterato in *Romanos* odio incenderent. Claſſem ipſe numeroſam, & in ea maximas nonnullas naves habuit. Rem nauticam interim *Romani* paulum neglexerant, neque remigio eo, quo debuerant, inſtructam claſſem habebant. Verum terreſtri proelio reportata victoria celeriter certamini finem fecerunt. Ipſe *Perſeus* in inſula *Samothracia*, quo fugerat, captus *Romam* perductus eſt. Hoc ipſum illud bellum eſt, quo depugnato *Paullus Æmilius* regia illa navi ſedecim ordinum vectus, *Tiberim* intravit. *Perſei* ſortem etiam *Illyriorum* rex *Gentius* ſubiit.

Ro-

c *Epirus Macedoniam* inter & mare *Jonium* ſita eſt: hodie *Canina* appellatur.

d Hodie *Capo Mallo* in *Morea*.

e Olymp. 150. A. V. C. 575.

Romani vehementer mirabantur, cum duos captivos reges, bellique felicem eventum intuebantur, quod vix dum inceptum resciverant. Maritimas vero vires *Romanos* ex belli usu potius, quam ex commercii utilitate ponderasse, argumento sunt centum & viginti de *Gentii* classe, *Corcyraeis*, (hodie *Corfu*) *Dyrrachinis*, (*Durazzo*) & *Apolloniatis*, donatae actuariae.

Illyrici maritimam oram a devicto *Philippo*, *Macedonum* rege, longe ultra debellati *Persei* tempora, penitus a *Romanis* neglectam fuisse auctor est *Polybius*.

Eo temporis intervallo crebra bella navalia *Asiae* inter se reguli gesserunt.

Durantibus his *Romanorum* in *Macedonia* bellis, *Poenus* quaecunque ad excutiendum jugum opus erant, comparabat. Clam ab iis navalia instrui, *Romani* resciverant. Igitur legatos *Carthaginem*, specie conciliandae cum *Massanissa* pacis, miserunt, qui sceleratas plebis manus vix quidem effugerunt, propriis tamen oculis navalis instrumenti comportatam copiam inspexerunt. Igitur contra eos celeriter quinquaginta *quinqueremes Romani* instruxerunt, praeter aliarum navium magnum numerum, & *Manlium* terrestri exercitui praefecerunt. Qua tam subita invasione perculsi *Poeni*, *Uticensium* exemplo, se suaque omnia *Romanis* tradiderunt, qui primum classe cremata, magnoque obsidum numero comprehenso, sibi demum placere ostenderunt, ut diruta urbe incolae ejus quinque horarum intervallo a mari removerentur. Quo audito rabies universos invasit, & potius ultima omnia experiunda sibi, quam tam atroci conditione utendum esse censuerunt. Igitur terra marique obsideri coeperunt. Et cum portu a *Scipione* intercluderentur, alium in alia urbis parte excavarunt, ex quo centum & viginti navium classe emissa, *Romanam* classem adorti sunt, ejusque partem cremaverunt; quae tamen varia molimina non obstitere, quo minus urbs anno, a quo condita est, septingentesimo, a condita *Roma* vero sexcentesimo octavo, caperetur. Postremae etiam hujus classis reliquiae concrematae, quam parvi rem nauticam *Romani* fecerint, novo indicio esse possunt. *Carthagine* eo tempore, ut supra diximus, hominum septingenta millia numerabantur; neque potententiae & divitiarum ejus urbis illustrius argumentum est, quam ultimum illud pro salute molimen. Verum quanta urbis eo loco positae opportunitas sit,

Romanis

Romanis insequentibus temporibus patuit. Ut enim *Gracchos* taceam, qui restituendae *Carthaginis* [f] consilium inierant, *Augustus* instauratam, annis post excidium ducentis, *Afris* & *Romanis* inhabitandam dedit, ea in re *Julii Caesaris* consilium secutus.

Post eversam *Carthaginem Romanos* inter & *Afros* ultro citroque agitata commercia sunt. Ea in servorum potissimum venditione ponebantur, in *Delum* insulam vectorum, quae religione sancta habita, felici fato in immunem liberumque portum excrevit, quo ipsae belligerantes gentes ad commercandum conveniebant, & ut in neutrali, ut sic dicam, urbe commercia agitabant.

Carthaginem eversam mox *Corinthi* [g], commercio & rei nauticae scientia florentissimae urbis, excidium insecutum est: portus illa urbs duos, *Cenchreu* nempe in *Aegaeo* mari versus orientem, & *Lechaeum* ad occidentem habuit, *Graeciaeque* claustrum a *Philippo Macedonum* rege dici meruit. Triremes *Corinthii*, pondera & mensuras excogitasse dicuntur, licet utramque & nauticam & numerorum scientiam a *Phoenicibus* acceperint. Summa autem sua impudentia, qua gentium jura populique *Romani* legatos violare sustinuerunt, in ejus populi vindictam incurrerunt. Consulque *Mummius* fugato eorum exercitu totam urbem expugnavit, diripuit, A.V.C. 607.
& concremavit. Postmodum autem *Julius Caesar* eam instauravit. A.V.C. 710.

Binis his maximis emporiis, *Corintho* & *Carthagine*, excisis, piratis omnia maria referta sunt, quandoquidem earum urbium incolae nec quo se sustentarent, nec ubi fixas sedes ponerent, habebant. Per illud tempus periculoso contra *Mithridatem* bello implicabantur *Romani*, qui mari potens, & piratarum auxiliis ad frangendas *Romanorum* maritimas vires usus est. *Cretenses* piratas adgressus *Antonius*, nimiaque sui ipsius confidentia fugatus, prae animi dolore exspiravit. Rem omnem *Q. Metellus* Proconsul restituit, totamque insulam, quae suis legibus inde a *Mino* rege vixerat, *Romani* juris fecit. Qui finitimas *Pamphyliae*, *Ciliciae* & *Lyciae* [h] oras tenebant piratae, navigiolis suis cum classe *Romana* proe-

f Vetus *Carthago* duodecim fere milliaribus mari propior quam *Tunetum* fuit. Pagum eo loco aedificaverunt. g *Corinthus* in Isthmo posita erat, qui *Peloponnesum* continenti jungit, sinum *Corinthiacum* inter (*Golfo di Lepanto*), & sinum *Saronicum*, (*Golfo di Egina*) qui situs est ad mercaturam opportunissimus. h Provinciae *Asiae Minoris* meridionalem oram efficientes.

proelium conferere ausi sunt, quo fugati, & omnes eorum temere factae munitiones disjectae sunt. Ut viribus *Romani* creverunt, ita & invidia in eos apud *Asianos*, *Graecos* & *Ægyptios* crevit; unde factum, ut summo hi studio *Mithridatis* jussa observarent. Datam fidem soli *Rhodii* servaverunt. Eo confugiebant, qui summam hujus regis saevitiam, in mari exercitam, effugerant; ea de causa insulam [i] maxima classe adortus, *Rhodiorum* vero potioribus consiliis & artibus repulsus est. *Mithridatem Lucullus*, difficulter contracta magna classe, *Pytaniae*, *Troadis* urbe, obsedit, dum terra a *Fimbria* oppugnabatur. Tantus nequam *Fimbria* erat, ut consiliorum cum eo societatem inire *Lucullus* noluerit, sed proprio marte rem gerens, *Mithridatis* classem bis fugaverit. In *Archelao* tamen, classis praefecto, fraudis summa est supicio, siquidem septuaginta ille naves, classis totius tertiam fere partem, hostibus tradidit, regique ut rem probaret, persuasit, postea vero in *Romanorum* ipse stipendia transiit. Ea vice *Mithridates* evasit, & inflictae cladis poenas a *Cotta*, *Luculli* collega, sumsit. Mortuo *Sylla*, *Cotta* terra marique fugatus, (amissis sexaginta navibus) & in *Chalcedonia* urbe tandem obsessus est. Urbem *Lucullus* non obsidione solum liberavit, sed & regem, in suis ad *Cyzicum* [k] castris, quam *Mysiae* urbem obsidione *Mithridates* cinxerat, circumsedit. Igitur mari fugere tutissimum ratus, sexaginta naves longas tempestate amisit, cum *Byzantio* in pontum *Euxinum* cursum dirigeret, ipse aegre navigiolo evasit, quo in regnum reductus est. Classis reliquias *Lucullus* insecutus, ad *Troadis* & *Lemni* oram adhuc triginta naves longas mersit, sicque maris imperio potitus est; & continentiae laudem meruit, cum 3000 talenta, seu 581250 l., ad reficiendam classem a Senatu sibi decreta, se non accepturum ostendisset. De regia classe centum & decem rostratas naves secum in *Italiam* duxit, & ita in hoc bello, & per reliquam suam vitam sese gessit, ut ad summorum virorum laudem inter veteres accesserit.

Piratae interim numero augebantur, & civitatis quandam speciem sumserant, quae eo potentiae insolentiaeve excreverat, ut nulla mercatoria navis vela mari committere auderet. Quae statis temporibus frumen-

i Circa Olymp. 177. A. V. C. 685.

k *Cyzicus* ad *Propontidem* sita est.

mentum *Romam* vehebant, naves itinere intercludebantur, & urbs fame fere necabatur. Templa urbesque ad *Italiae* maritimam oram positas, aut diripuerunt, aut stipendia pendere coëgerunt. Maximis cum classibus in ipso *Tiberis* ostio piratae visebantur. Omnis generis naves ultra mille numerabant, in varias classes distributas. Portus & navalia plurima habuerunt, sed praecipua in *Cilicia* posuerant, ex quibus classes suas, data occasione, instruebant. Tantis malis celeriter valideque subveniendum erat. *Pompejo* igitur majus imperium obtigit, quam ulli ante eum civi *Romano* collatum fuerat, cui, pro debita eorum temporum libertatis cura, mox amissae, plurimi invidebant. Non minori quippe imperio, quam omnium marium, a freto Gaditano ad Bosphorum Thracicum usque, & totius maritimae orae, intra 50 a mari milliaria, ornatus est. Classem navium 500, partim *Romano*, partim socio milite completam, habuit. His viribus piratarum classem ad *Ciliciae* oram fugavit, & propria sibi soli rei gerendae ratione feliciter bellum terminavit; cujus quidem praecipuam partem ego in ejus moderatione & clementia posuerim, qua eos a desperatione revocabat, quaque, cum iis mari interdixisset, sedes illis & agros in interioribus terris colendos adsignavit, quae mansuetudo eos in fidissimos populi *Romani* subditos convertit. Belli hujus felix ratio, quod intra tres menses [1] confecit, vitae *Pompeji* illustrissimum forsan ornamentum est, & (me judice) summas *Caesaris* res gestas superat.

In mediterraneo mari libere nunc quidem navigabatur, restituti tamen commercii parvus fructus ad *Romanos* redundabat, quibus scil. bella commerciorum loco erant. Mox nova rerum gerendarum occasio *Romanis* oblata est. Subactis quippe *Galliis*, in Oceanum occidentalem classes suas miserunt. Quum enim domitis *Belgis*, in *Britanniam* invasurum *Caesarem Veneti* animadverterent, qui illum circa *Vannas* in *Britannia* † tractum incolebant, quosque eadem cum *Belgis* natione oriundos *Strabo* perhibet, sed commerciis maximis *Britannis* conjuncti erant, aliquid *Caesari* in *Galliis* negotii facessendum rati sunt, ut a proposito desisteret. *Veneti* ipsi

1 Olympiad. 178. V. C. 687.
† Eam intellige provinciam, quam *Bretagne* Galli vocant.

ipsi mari potentissimi erant, & ad eos domandos classis summa necessitas erat. Igitur naves suas *Caesar* in *Ligeri*, atque influentibus eum fluviis, aedificandam curavit. Classi *Decimum Brutum* praefecit, & qua posset celeritate, ad *Venetos* eum proficisci jubet, dum ipse eo pedestribus copiis contendit. Naves ad marium naturam & aestuum adeo accommodatas eos habuisse, in commentariis scribit, ut facile sese in proxima oppida reciperent, qua ratione maximam aestatis partem delusus est. Pro funibus, catenis ferreis,& pellibus pro velis utebantur. Igitur ubi *Caesaris* classis convenerat, parum spei ad vincendam classem ducentarum & viginti navium supererat, tanto robore, ut nihil iis *Caesaris* navibus noceri posset. Verum commento tanta incommoda reparavit. Falces scilicet praeacutas inseri & adfigi longuriis jussit: his quum funes, qui antennas ad malos religabant, comprehensi attractique essent, navigio suo remis incitato, funes praerumpebantur; quo factum est, ut omnis usus navium *Venetis* eriperetur, sicque omne certamen in virtute positum esset, qua *Romani* milites facile superabant. *Veneti* omni juventute, & quod ubique navium fuerat, amissis, nihil quo se defenderent, reliquum habebant.

Hoc impedimento sublato, *Caesar Britanniam* † octoginta onerariis invasit, in qua legiones duas, & navium longarum nonnullos praefectos transportavit. Octodecim etiam onerarias pro equitatu contraxerat. Navium longarum speciem & usum *Britannis* mirabilem fuisse visum, observat.

Ne plura de hac expeditione dicam, quae ob adflictam tempestate classem potissimum male cessit; in exponendo exercitu perversa ejus dispositio satis ostendit, eum maris peritia *Pompejo* non solum longe concessisse, sed nauticarum rerum si non omnino, saltem valde inscientem fuisse.

Britanniam postea iterum octingentarum navium classe invasit, cui quinque legiones & duo millia equitum imposuerat.

An-

† Anno 55[to] currente Augusti die 26[to], post meridiem, demonstrante Dr. *Haly*.

NB. Hoc subobscure dicit, intelligens puto de anno ante Christum natum.

Ante ea tempora *Hispani* & *Phoenices* in *Hispania* emporia illustria habuerunt. Per commercia occidentale *Angliae* littus atque vicinas insulas frequentabant, quas *Cassiteridas* uno nomine, a stanno quo abundant, veteres dixerunt. Stanni plumbive commercia tam lucrosa erant, ut ea summa cura celarent. *Phoeniciam* navem, quam *Romana* insequebatur, scopulis illidi maluisse quo illam interitus sociam haberet, quam fugiendo cursum prodere, *Strabo* testificatur. Iter hoc aliquo tempore post *Publius Crassus* ingressus, historiam ejus scripto edidit. *Cornvallensis* regionis incolas commerciis plus, quam qui reliquas *Angliae* partes inhabitabant, mansuefactos, [m] *Tacitus* & *Diodorus Siculus* [n] memoriae prodiderunt. Ex *Strabone* [o] discimus, *Britanniam* frumentum, pecora, aurum, argentum, ferrum, pelles, coria, & canes venaticos praebere; quibus, de *Cassiteribus* verba faciens, [p] stannum & plumbum adjicit. Margaritas addit *Tacitus* [q]: sed de margaritis, aeque ac de auro & argento, silet *Caesar*. *Cicero* [r] ex *Quinti* fratris litteris neque aurum neque argentum *Britanniam* gignere refert, unde metalla nostra ignorasse tum temporis *Romani* videntur, in quorum tamen notitiam statim post inciderunt; qui enim stanni plumbive commercia descripsit *Strabo*, sub *Augusto* vixit & *Tiberio*. Æris aut nihil, aut non satis magnam copiam *Anglia* tum habuit, cum importato uterentur [s]. Plumbum & stannum tempore *Trojani* belli adhibitum est, idque a *Cassiteribus* forsan *Phoenices* attulerunt. *Graecos* certe exinde stanna habuisse, *Herodotus* [t] testis est. Ad *Britannicos* canes quod attinet, jam ante *Caesaris* invasionem *Romam* adducebantur: *Gratianus* de iis in *Cynegetico* scripsit, & *Strabo* vulgaris usus fuisse memorat. An alias naves, quam illas coriis tectas scaphas *Britannia* habuerit, a plurimis dubitatum est; quoniam vero *Gallis*, & in specie *Venetis* saepius eos auxilio fuisse ex *Caesare* discimus, majora navigia, solido ligno contexta, habuisse eos credendum est; cui accedit, quod vix fieri potest, quin navium quotidie

m Diodorus Siculus lib. 4. n Tacitus in vita Agricolae c. 24. o Strabo lib. 4. p Strabo lib. 3. q Tacitus vita Agricolae c. 12. r Cicero Ep. fam. lib. 7. ad Trebatium. Ad Atticum lib. 4. Ep. 17. & 116. s Caesar lib. 5. c. 12. de bello Gallico, & Strabo lib. 3. t Herodotus lib. 3. c. 15.

tidie in suis exterisque portubus conspectarum fabricam imitarentur.

Inter *Galliae* emporia prae ceteris *Massilia* floruit, (hodie *Marseille*) a *Phocaeis*, *Asiatica* & mercatoria gente fundata, quorum etiam consuetudines apud illos perduraverunt. Finitimos sibi *Gallos* urbanitatem docuerunt, nonnullas vero ex iis nationes, *Salios* praecipue & *Ligures*, ob divitias & opes suas, invidiosos experti sunt. Populo *Romano*, qui ambitiosius quam solebat, eorum amicitiam expetebat, saepius auxilio fuerunt. *Massiliensium* duas navigationes scriptores memoriae prodiderunt, *Euthemenis* ultra Æquatorem, & *Pythiae* versus septentrionem, *Islandia* tenus, quae ob singularitatem fabulosae Antiquitati visae sunt, sed possibilitatem ejus rei & veritatem tempus probavit. Multis *Massilienses* titulis *Pompejo* obstricti erant: hinc ab ejus partibus contra *Caesarem* steterunt, qui urbem cepit, post amissa duo navalia proelia, quae in sui defensionem sustinuerant. Praeter *Massiliam* minora emporia *Gallia* habuit, quae apud *Huetium* lectores videre poterunt.

Hispania (aut saltem ejus meridionales orae) semper magis commerciis claruit, quam *Gallia*. Eam *Phoenices* frequentabant, ejusque hanc praecipue partem, quae versus fretum Gaditanum circa *Baetis* ostium protenditur, *Tharsis* nomine antiquis celebrata. Vide *Ezech.* XXVII. 12.

Huic *Hispaniarum* parti *Herculis* expeditiones victoriasque adscribunt: & *Colaeum* quemdam, *Samium*, olympiade circiter quadragesima quinta, casu eo delatum tradunt, unde praedam ditissimam reportaverit, quamvis jam ante eum *Sostrates* quidam, *Æginetа*, *Graecus* natione, eo adpulerit. *Phocenses*, a *Persis* *Asia* pulsi, in has terras olympiade fere sexagesima octava advenerunt. *Phoenicas* argenti fodinae alliciebant, montes argenti veteribus dicti, cujus tantam copiam invenerunt, ut anchoras ceteraque navalia instrumenta argentea sibi pararent. De *Hispaniarum* aerariis structuris superiori dissertatione disserui. Pretiosas merces, praeter metalla, plurimas *Hispaniae* fundebant, ut vinum, lanas, pannos, lintea (quae primi excogitasse dicuntur) mel, ceram, chrysocollam, minium, sal fossile, salsamentaria, & lini genus quod *spartum* vocant, cujus ad funes aliaque navalia instrumenta multiplex

tiplex usus, unde *Carthagena Spartaria* dicta est. Olei vero ipsa *Andalusia* parvam tum temporis copiam habuerit oportet, quoniam a *Phoenicibus* importatum cum argenti lateribus eos commutasse, *Aristoteles* [u] tradit. *Baleares* factitio, *Lusitani* [x] butyro ejus vice, usi sunt. *Hispaniae* meridionales orae, regnante *Tiberio* & *Augusto*, magnas negotiatorias classes in *Italiam* miserunt.

Germania ante *Caesarem* ignota fere erat; neque ipsi, nonnisi ex ea parte quae *Rheno* adjacet, innotuit. Mox bellis in ea sub *Augusto* gestis, in penitiorem ejus notitiam *Romani* venerunt; ejus enim classes *Germaniam* circumvectae, ultra *Chersonesum Cimbricam*, (nunc *Iutlandiam*,) penetraverunt.

Quoties *Germaniae* eam partem, quae *Albim* inter & mare *Balticum* interjacet, ignotam *Strabo* [y] vocat, ejus regionis interiorem partem, non littora, subintelligere putandus est. *Germanos Tacitus* [a] indigenas tradit, minimeque aliarum gentium adventibus & hospitiis misceri, & gentium migrationes olim mari factas, non pedestri itinere. Exterarum tamen gentium plurimas in *Germaniam* migrationes memoriae veteres scriptores mandaverunt, ut *Ægyptiorum* [b] per *Danubium*, duce *Osiri*; a quibus *Isis* suae cultum *Suevi* [c], & *Teuthis* cultum reliqui *Germani* habuerunt, unde *Teutonum* sibi nomen indiderunt. Si veterum fabulis fides, e *Colchide* reversi *Argonautae Danubium* adscenderunt, & exinde in *Adriaticum* mare transiverunt, *Argo* navem humeris portantes: quo ipso eorum temporum scriptores multam Geographiae inscitiam ostendunt.

Nomadas, sedes suas continuo mutantes, ipsa vitae ratio a commerciis prohibebat. Qui *Rheni* littora tenebant, vini & nummorum usum sciebant, & utrumque finitimos docuerunt. Ex succino, quod *Germaniae* septentrionales orae fundunt, magna ad *Germanos* compendia redibant, quia in summa *Romae* existimatione fuit. *Scandinavia* [d] & in Oceano & in *Baltico* mari portus habuit; ejus incolae mirae formae naves proris binis absque velis aedificabant, quales in ponto *Euxino* & alia gens habuit. Pisces siccatos ceterasque

u Aristoteles lib. de mirabilibus. x Strabo lib. 9. y Strabo lib. 7. a Tacitus de morte Germanici. b Diodorus Siculus lib. 1. c *Sueviam* hodie dictam inhabitantes: ejus metropolis *Augusta Vindelicorum* est. d *Scandinaviae* nomine maximam *Norwegiae & Sueciae* partem veteres comprehendebant.

que ſuas merces cum *Germanorum* mercibus permutabant; ex pice & aere multum quoque ad eos compendii redibat. Septentrionalis hujus tractus, qua parte orientem *Germania* reſpicit, ut & interioris *Germaniae* incolas, veteres fere *Scytharum* nomine comprehendebant, de quorum commerciis pauca memoriae tradita ſunt: & potius de *Poloniae* & *Moſcoviae* hodierna mercatura *Huetius* quaedam refert, quam ut de antiquo earum regionum mercaturae ſtatu aliquid dicat.

Ponti Euxini ſumma eſt ad mercaturam opportunitas, quoniam & cum *Aſia* & cum *Europa* communicat, multique in eum navigabiles fluvii influunt. Ab occidente & ſeptentrione advenientes *Europaei* *Danubio*, *Boryſthene* & *Tanai* deferuntur, dum verſus orientem a *Tauro* monte, ejusque ramis, parva flumina innumera provenientia, *Aſiaticis* mercibus devehendis inſerviunt, adeo ut gentibus, quae ejus maris commercia frequentabant, plurimas pretioſas merces ſuppeditaret, ut aurum aliaque metalla, frumentum, corium, linteum, mel, ceram, pecora, pelles, mercimonia, quo in numero ſunt rhubarba & regliſſa, nuces, tigna aedificandis navibus, & nonnulla gemmarum genera. Hoc mare primum a ſe navigatum *Graeci* ex *Argonautarum* fabula credidere: eos tamen *Ægyptii* praeverterant. Horum enim rex *Seſoſtres*, majorum exemplo, exercitum in eas terras duxit & in *Colchide* profligatus eſt. *Euxini* oras *Graeci* multis, iiſque illuſtribus coloniis tenuerunt, & in mercaturae honorem *Mercurio* ſtatuam templumque poſuerunt, quam *Trapezi* *Arrianus* reperit. Ab eodem *Iſiacorum* portus, ab *Ægyptia* dea *Iſide* cognominatus, memoratur. Tunnorum, acipenſerum, horumque ovorum, *Italis* & *Graecis* divenditorum, adeo opulenta in ponto *Euxino* piſcatio fuit, ut *Andronicus* *Palaeologus* & integra ejus ex iis reditibus aula vixerit. Ex maris ejus commerciis, maxima vetus *Byzantium*, (nunc *Conſtantinopolis*) portoria percipiebat.

Cimmerio Boſphoro [f], *Palude Maeoti* [g], & *Cherſoneſo Taurica* [h] te-

e Arriani Periplus. f *Cimmerius Boſphorus* *Euxinum* cum palude *Maeoti* conjungit. g Paludem *Maeotim*, a piſcium quodam genere, hodie *Mare delle Zabacbe* vocant. h *Cherſoneſus Taurica*, inter *Euxinum* & paludem *Maeotim* interjacet.

terras, quarum septentrionales oras veteres omnino ignorabant, *Ægyptii* navigando penetraverunt; num enim *palus Maeotis* Oceani sinus esset, [i] *Plinii* tempora ignorabant. *Phoenices* eo negotiabantur, ut ex *Luciano* discimus. Inter *Graecos* olim & *Scythas*, iis in terris quas coloniis illi postea tenuerunt, aliquam amicitiae conjunctionem fuisse, *Iphigeniae* fabula, & *Pyladis* & *Orestis* celebrata pericula, testificantur. Vetus *Milesiorum* colonia, *Theodosia*, in *Cimmerii Bosphori* limine posita, commerciis frequentatissima fuit, portum habuit vel centenis navibus sufficientem; desertum penitus sub *Adriano*, postmodum restitutum a *Genuensibus*, & sub nomine *Cafa* portus possessum, quem quaestuosa negotiatione sub *Graecis* imperatoribus tam diu frequentarunt, donec a *Turcis* expugnaretur. *Tanaim* (hodie *Asof*) *Graeci* condiderunt. *Olbia* [k], *Borysthenis*, *Panticapaeum*, ubi centenae naves in tuto collocari poterant, *Api*, *Phanagoria*, *Harmonassa*, totidem *Graecorum* coloniae fuere, ut & *Chersonesus* [l], quam *Pomponius Mela* [m] ab ipsa *Diana* aedificatam tradit. *Taurica Chersonesus* frumentum, pelles, butyrum & equos praebebat, quas merces cum aliis *Moscovitarum* ad hunc diem *Tartari* commutant. *Euxini* portus *Arrianus* in periplo recensuit, qui admodum vadosus magnas onerarias ferre nequit. In hunc per *Caspium* mare *Indicae* merces invehebantur, in quod *Oxo* flumine devehebantur. Expulsis *Cafa Genuensibus*, sua mercimonia eo deferre adsueti, pristinique lucri memores *Tartari*, navibus a *Cafa Genuam* usque eas merces subinde transmiserunt. Regionum trans *paludem Maeotim* ante illos incolae, [n] *Nomades Scythae*, nulla commercia neque certas sedes noverant, neque agros colebant, sed lacte & carne equina vivebant.

Prius quam de *Italiae* commerciis sub *Augusto* disserimus, sciendum est *Tyrrhenios*, regnante *Minoë*, in *Italia* sedes posuisse; *Tyrrhenio* mari suum nomen indiderunt. Imperii sedem *Lunam* [o] portum habuerunt. Iisdem maribus *Tarentini* quoque, *Spinetae* & *Liburni* navigando inclaruerunt. *Tarentinos Romani* bello adgressi, coë-

i Plinius lib. 2. cap. 69. k *Olbia* triplex fuit, in *Gallia Narbonensi* prima, in *Sardinia* altera, & tertia de qua hic sermo est. l Urbem eam *Chersonesum Emporium* dicebant. m Pomponius Mela lib. 1. cap. 2. n Ammianus Marcellinus lib. 3. c. 2. o *Luna* hodie *l'Erici* in *Hetruria*.

coëgerunt, ut intra *Laciniae* p promontorium navium suarum cursum continerent. Data fide fretus *Cornelius Valerius*, maris *Duumvir*, *Tarentum* classe adiit, quam illi interfecto duce totam diripuerunt, sicque arma *Romana*, quibus postea subacti, in se converterunt. *Spinetae* a *Pelasgis* genus duxerant, ut antea diximus; sedes ad ostium *Padi* posuerant, quod *Spineticum* exinde dictum est. Igitur trium quae *Italiam* alluunt marium imperium, *inferioris* nempe, quod meridiem & orientem interjacet, *Ionii*, quod meridiem spectat, & *Adriatici*, quod inter septentrionem & orientem interjacet, ad tres hasce olim gentes spectabat: illius nempe imperium ad *Tyrrhenios*, horum ad *Tarentinos* & *Spinetas*. Qui opposita littora, *Illyridis*, tenebant *Liburni*, summi nautae fuerunt, maritimis latrociniis dediti: *Adriatici* maris plures insulas sui juris fecerunt, & *liburnicas*, actuariarum genus, excogitarunt, quarum sub *Augusto* usus increbuit. Singulas has gentes subjugaverant *Romani*, mercaturam tamen praeterierant fere, licet eorum portus in potestate haberent. *Varronis* de navigatione libri, qui plurimam procul dubio ei tractationi lucem affunderent, interierunt. Enimvero mercaturam *Romani*, ingenio licet parum negotiatorio essent, non penitus tamen abjecerant. *Praefecti annonae* munus antiquissimum est, quibus id negotii dabatur, ut frumentum urbi expedirent: id initio ex *Sicilia* & *Sardinia*, & postea ex *Africa* advehebant; ex *Ægypto* sub primis Caesaribus, ex *Massilia* & *Galliis* labente imperio. A. U. 259. mercatorum collegium instituerunt, quod a *Mercurio*, mercaturae deo, *Mercurialium* dixerunt; de cujus tamen collegii in augendo commercio magnis profectibus nihil legimus. Neque *Corinthi* & *Carthaginis* excidiis *Italicae* mercaturae tantum accessit, quantum debuisse videtur. Iis vero civitatibus instauratis, negotiatoriae rei & maritimae diligentius *Augustus* incubuit: ultra *Cimbricum* promontorium, ad *Africae* oram, *Æquatorem* versus, nec non ad *paludem* usque *Maeotim*, & sinum *Arabicum*, seu mare *Rubrum*, classes maximas misit. *Africana* commercia *Uticae* agitabantur. *Romanos* commerciis studuisse, plurimae *Digestorum* leges testificantur: quae ad privilegia spectant, uti exem-

p *Laciniae* & *Salenti* promontoriis sinus *Tarentinus* (*Golfo di Taranto*) includebatur.

exemtiones a municipalibus officiis, iis concessas, qui propria navi, certae magnitudinis, in advehendo ab exteris oris frumento occupati erant. Quum conditioni dolose satisfaciendo, privilegii beneficium haud pauci ad se trahere vellent, legis mente praeterita, his fraudibus novis legibus obviam itum est. Naves aedificare Senatores *Claudius*, Tribunus plebis, bello punico secundo, lege vetuit, quae *Julia* lege de concussionibus confirmata est.

Octavio, *Antonio* & *Lepido* Triumviris, classem magnarum navium *Pompejus* filius comparavit, & delectis, quos singulis praeficeret, peritissimis tribunis, patris exemplo mari fortunam experiri instituit: mox cum nonnullis suarum navium secunda proelia contra aliquas ex *Caesaris* navibus cum commisisset, adeo incensus est, ut caerulea veste indutus, *Neptuni* filium se praedicaret. Ab *Agrippa*, quem classi *Caesar* praefecerat, pugna navali fugatus est. Proelium ad oram *Siciliae*, cum trecentis ex quavis parte navibus, datum. *Agrippa* nauticae peritissimus erat, eumque corona navali dominus ejus, *Octavius Caesar*, ornavit, licet ipse ad maritimas expeditiones aut ingenio, aut voluntate, destitueretur.

Proelium tandem *Actiacum* [q], *Caesarem* inter & *Antonium*, de maris imperio litem diremit. Navium ab utraque parte admodum variatos numeros, ita conciliabimus, si hos longarum solum navium numerum descripsisse, alios onerarias adjecisse dicamus. Si vera *Plutarchus* narrat, non adeo magnas naves *Antonium* habuisse oportet. Militum enim viginti duo millia in quadringentas forsan naves distribuerat, siquidem trecentae in proelio captae sunt. Cum sexaginta *Cleopatra* aufugit, & quinqueremi *Antonius*. Pro eo computo in mediae magnitudinis navim, non ultra quinquaginta quinque armatos numerare licebit. Victoria eo die *Liburnarum* usui debebatur, unde earum insequentibus temporibus usus percrebuit. Maris imperium sibi adserturus *Augustus Caesar*, classem ingentem comparavit, qua *Melitensium*, *Corcyraeorum* & *Liburnorum* maritima latrocinia reprimeret. Classibus duabus duas stationes adsignavit, quas semper armatas habuit, unam ad promontorium *Misenum*, in mari *Tyrrheno*, alteram *Ravennae*, in mari *Adriatico*: illi omnia maria versus occidentem, huic quae ad orien-

A.V.C. 723. *Sept.* 2.

q *Actium* hodie *Capo Figalo* dicunt, ad initium sinus *Ambracii* (*Golfo di Larta*.)

rientem protenduntur, *Palude Maeoti* tenus, parebant. *Ravennatensis* portus per longissimum temporis tractum summa fuit opportunitas, donec a mari relictus adgesta arena oblimaretur.

Omnia nunc orbis terrarum commercia *Romani* juris erant, qui tamen magis in eo occupabantur, qua ratione ditionem suam extenderent, quam qua mercaturam excolerent. Veteres rarissime in altum procedere ausos, nec nisi litora navigando legisse, res est certissima, quicquid *Strabo* contra dixerit.

Mercatores *Romanos* ad *Indos* orientales eundem navigando cursum tenuisse, quem olim *Alexandri* classis tenuerat, *Plinius* [r] scribit, & singulas ejus navigationis mansiones, *Alexandria* in *Indiam* usque, diligenter scripto exsecutus est. Lucri, inquit, cupido tutiorem propioremque cursum judicavit, si in altum progrederentur, & ab uno promontorio alterum peterent. Quae de obita *Africa*, a freto *Gaditano* ad mare *Rubrum* usque, narrat, perpendi merentur, eoque factum ipsum extra dubitationis aleam ponit. Rem exinde probat, quod signa navium, ex *Hispaniis* profectarum, in mari rubro agnita sint. De *Hannonis* idem [s] itinerario ejusdem navigationis, tanquam indubia re, memorat; praeterea *Cornelii Nepotis*, luculenti auctoris fide, refert, *Eudoxum* quendam, cum *Ptolemaeum Lathyrum* fugeret, *Arabico* sinu egressum, *Gadibus* adpulisse.

Nauticam rem *Romani* insigniter per commercia sua cum peritioribus gentibus provexerunt. *Huetius* censet, partim auctoritate *Vegetii* [t] adductus, partim ob ipsum *Veneti* coloris nomen, consuetudinem, speculatorias naves, earum vela, & ipsos milites, *Veneto* sive marino colore inficiendi, ne tam facile detegerentur, eos a *Venetis* venisse, *Britanniae*, circa *Vannas* gente. Navigationem *Romanos*, spectata potissimum bellica re, excoluisse, tota eorum historia demonstrat. *Victoriae* signum in *Ostiae* portu positum, & *Marcii Censorini* A. V. C. 630. percussi nummi, naves duas cum *Victoria* ab una facie referentes, ejusdem luculenta testimonia sunt. Nummi, occasione frumentariae missae classis percussi, titulum *ad coëmendum Frumentum S. C.*, & sub *Caesaribus* hunc, *Annona Aug. Ceres Aug.* inscriptum habebant.

Nihil

r Plinius lib. 6. c. 23. s Plinius l. 2. c. 67. t Vegetius de re militari lib. 5. c. 7. u Herodotus lib. 2.

Nihil *Romanis* ad augendam mercaturam opportunius accidit, A V.C. 725.
quam quod *Ægyptum* in provinciae formam *Caesar Augustus* redegerat. Immensas ex *Ægypto* divitias *Roma* reficiebat. Hujus urbis primarium penus fuit, eique tam mirabilis frumentariae rei copia erat, ut & arcta annona caeteras regiones frumento sustentare posset. Eo commercio continuo, & statis temporibus, frumentum *Romam* sub *Caesaribus* advectum est, & postea *Constantinopolim*, quo in loco sub ipsis adhuc Sultanis perduravit. *Ægypti* portus erant, *Pelusium*, (nunc *Damiata*) versus orientem, & *Alexandria*, versus occidentem. Frumenti summa in agris copia, horumque ad alendas vites inepta natura, in causa fuerunt, ut cerevisiam *Ægyptii* biberent, quam primi excogitaverunt. Temporis tamen processu & vites plantari coeptae, quae praeclarum vinum fundebant, quale inter alia *Moraeum* illud, *Virgilio* [x], *Horatio* & *Straboni* celebratum. In *Ægyptum* missae frumentariae classes *sacra Embole*, *felix Embole*, audiebant. Praeter soli fertilitatem, *Ægypti* situs eam *Arabiae*, *Indiae*, *Æthiopiae*, *Syriae*, & omnium orarum oceani marisve *Mediterranei*, commune emporium faciebat. Praeter enim quod portus habebat opportunissimos, aditus ad eam oram difficillimus, arenosa ad orientem deserta, *Rubrum* mare latus tegens, cum isthmo, *Ægyptum Syriae* conjungente, & illi versus meridiem montes, *Ægypti* naturalia propugnacula reputabantur, quae adeo ejus expugnationem difficilem reddidissent, si a bellicosa gente inhabitata esset, cujus vero laudis contrarium meruit. *Nilum Sesostris* ducto alveo cum mari *Rubro* commiserat, qui ita ad *Indias* usque orientales maritimum iter aperiebat. Quodve *Strabo* tradit, *Ptolemaeum Philadelphum* militarem primum viam, *Copto* ad *Rubrum* mare munivisse, id solum ambitiosius *Graeco* homini dictum putato. In *Indiam* missas a *Sesostri* naves haud adeo parvas fuisse inde patet, quia 280 cubitorum navim *Osyri* consecraverat. Navim in *Piraeo Ægyptiam*, 120 cubitorum in longitudinem, 30 latam, altam 29, *Lucianus* vidit. *Ptolemaei*, *Lagi* filii, pedestres & maritimas copias *Appianus* in praefatione hunc in modum descripsit, pedites 200000, equites 40000, elephantos

x Virgilius Georgic. l. 2. Horatius Carminum l. 1. Od. 37. Strabo lib. 1.

phantos 300, naves longas 500, minora navigia 2000, & *Thalamegos* majoris formae 800. habebat.

Modum regendae *Ægypti* semper inter imperii summa arcana *Augustus* posuit; neque unquam Senatori, sed semper equestris ordinis viro ea provincia demandata est, qui minus ambitiosa consilia, quam Senatores, agitare credebantur. *Germanicus*, quod non impetrata prius venia in *Ægyptum* se contulisset, severe a *Tiberio* reprehensus est.

Quod ad *Ægypti* vectigalia, his recentioribus temporibus attinet, *Emalcinus*, *Saracenorum* historiae auctor, scribit, Califam anno Domini 898, annuas 300. 200000 coronatorum aureorum refecisse.

Ægyptiaca commercia labente imperio *Romano* & ipsa collabefacta sunt, mox sub *Mammelucis* in pejus ruerunt, qui indolem & vitae rationem mercaturae inimicissimam sequebantur; tandemque *Lusitanorum* in *Indiam* navigationibus, circumvecto *Bonae Spei* promontorio erectisque ibi emporiis, penitus conciderunt. *Magno* ut vocant *Cairo*, quod e veteris *Memphis* ruinis, anno Domini 795 excitatum est, hujus commercii interitu plurimum decessit. Linteaminum ibi ex aliqua parte remanserunt commercia, ad hunc diem celebrata.

Veteres *Thebas*, *Hecatompylas* a centum portis dictas, *Cambyses* solo exaequavit, neque adhuc *Strabonis* tempore multum ad vastitatem iis locis deerat. Non solum vero *Ægypti*, sed omnia totius terrarum orbis emporia mercatura & divitiis anteivit *Alexandria*. Urbem *Josephus* [y] admodum magnificavit, *Romae* nisi magnitudine concedere adfirmans. Urbium praecipua *Ammiano Marcellino* [z] audit. *Romam* plurimas pretiosas merces mittebat, ut omnis generis vestimenta, lintea inprimis, aromata, papyrum, vitrum, linum, & vestem pretiosam. Ut multas merces exportabat, ita & ex *Europaeis* emporiis nonnullas accipiebat, ex iis, quas ob nimiam soli pinguedinem & gravitatem *Ægyptus* non gignebat, ut metalla, ligna, picem & nonnullos terrae fructus. His commerciis sub *Heraclio*, cum in *Ægyptum Saraceni* invasissent, aliquid decessit, quod vero ex aliquali parte recuperaverunt: *Judaeus* enim quidam, *Benjaminus* de *Navarra*, in itinere saeculo 12. ad eas.

y Josephus lib. 2. cap. 16. de bello Judaico. z Ammianus Marcellinus l. 22.

eas oras a se facto, maxima ibi commercia agitari, & summam mercatorum frequentiam sese ibi vidisse, auctor est. Imo *Indiae* merces, quae antea *Caspio* mari *Astracanum*, & *Caffam* ponto *Euxino* deferebantur, rursus in *Ægyptum* duplo frequentius deportari coeptae, quod iter ad *Lusitanorum* in *Indias* navigationes usque servatum est.

Pretiosas merces *Æthiopia* plurimas, *Nilo* in *Ægyptum* devehebat, ut metalla, & inprimis aurum. *Ophiritici* auri fit crebra in sacris paginis mentio. *Æthiopes* & ad vilissima quaeque auro usos, *Heliodorus* [a] perhibet; praeter aurum eboris quoque maxima eis copia fuit. Omnium *Æthiopicarum* mercium, *Nilo* devectarum, & omnium, quae *Alexandriam* ex occidente adveniebant, *Coptos* urbs commune emporium fuit. *Ptolemaeus* postea *Philadelphus*, quia sinu *Arabico* in fine difficilius, quam in suo principio navigabatur, *Berenicen* (quod nomen matris fuerat) in sinus ejus principio, in regione *Troglodytarum*, aedificavit, quae merces *Copto* advenientes exciperet. Proxime ab ea urbe portus *Myos-hormos*, sive murium dictus, aberat, hodie *Casir* nominatus. *Aduli* urbs, in *Troglodytarum* regione, (*Æthiopiae* parte) magna secundum *Plinium* [b] commercia habebat. Hujus incolas maximas classes e mari *Rubro* ad ultimam *Æthiopiam* suo tempore misisse, *Strabo* [c] memoriae prodidit, inde plurimas pretiosas merces domum reportantes. Haecque *Augustum* moverunt, ut *Ælii Galli* imperio, cui *Arabiam* provinciam demandaverat, & *Æthiopiam* & *Troglodytas* adderet, quia timebat ne *Nilum Æthiopes* aut deflectere, aut cursum ejus alio modo impedire possent. *Elmacinus*, in sua historia *Saracenorum*, auctor est, cum *Nili* nimis humiles aquae famem *Ægypto* minitarentur, *Mustancerum* Califam, *Jacobitarum* patriarcham ad *Æthiopiae* regem cum eximiis donis misisse, petiturum, ut *Nili* repagula aperiret; quo facto, *Nili* aquas tribus cubitis una nocte intumuisse. In proprii regni historia *Johannis Cantacuzeni*, qui imperium *Constantinopolitanum* cum monasterio commutavit, legimus, *Ægypti* Sultanum *Jacobitarum* amicitiae conservandae studuisse, circa *Nili* principia habitantium, quia, ne eum aliorsum data causa deflecterent, magnopere timebat. Famosus quoque *Lu-*

A.D. 1104. Hegyr. 428.

A.D. 1360.

a Heliodorus lib. 9. Æthiop. b Plinius lib. 6. cap. 29. c Strabo lib. 17.

Lusitanus, *Alphonsus d'Albuquerque*, committendi cum mari rubro *Nili* amens consilium ideo iniit, ut interruptum ab *Ægypti* Sultano *Indicum* suum commercium ulcisceretur.

Arabia stante imperio *Romano* praeclaris commerciis floruit. Quam antea produximus, *Adenam*, ex toto terrarum orbe quotidie naves adpellebant. Aromata sua *Gerrhei* & *Minei*, *Arabiae* olim incolae, ad *Palestinae* confinia pedestri itinere devexerunt. In *Mediterraneo* mari *Arabum* emporium, *Azotum* urbem fuisse, ex *Pomponio Mela* [d] discimus. Mercium, quas *Arabia* fundit, genera, nemo melius *Moise* [e] describet, qui per longissimum tempus inter eos vixit. Earum pretiositatis totidem luculenta argumenta sunt, Psalmi 71. vaticinia, reginae *Sabae* dona, *Solomini* data, & quae Servatori tres *Magi* attulerunt, & quae de eorum cum *Tyriis* commerciis in aromatibus, auro, & gemmis, *Ezechiel cap.* XXVII. v. 21. 22. &c. scribit. Ad *Mercurii* dei indolem *Arabes* omnino efformati erant, non solum negotiali, sed & furaci ingenio, naturaque audaces; & quod cum parva hominum ex ea gente, manu, partim virtute, partim enthusiasmo incensorum, imperium *Romano* majus forsan, multo certe breviori tempore quam illi adhibuerunt, condiderint, res est aeque mirabilis, ac quae inter homines contigit ulla. *Arabiam* eo consilio *Sesostris* subjugavit, ut *Nilum* cum mari *Rubro* depresso alveo committeret. Dubium quidem est, a quo opus hoc inchoatum, a *Ptolemaeo* tamen *Philadelpho* ad consummationem perductum, certo constat. Alveus hic ad *Coptum* urbem exitum habebat. *Ælium Gallum Augustus* in *Arabiam* misit, cujus expeditio, non domita licet *Arabia*, *Syllaei* fraude *Nabathaeorum* praefecti, tanta tamen *Romanis* commoda procuravit, ut in *Albo Portu* 25 nummos *de Centum*, portorii nomine ex omnibus mercibus, eo advectis, perciperent. *Adenam*, de qua supra, *Portum Romanum* postea cognominaverunt.

Indicum commercium omnium antiquissimum, honorificentissimum, & latissime patens in orbe terrarum habitum est. Maximas eo summas exhauriri, omnes quidem gentes quaestae sunt, neque tamen quae id desereret, reperta ulla est. (Quae de eo *Plinius*, su-

d Pomponius Mela lib. 7. e Genes. c. 39.

ſuperiori diſſertatione citatus, ſcribit, legentes reminiſcentur.) Igitur cum omnibus, paulo caeteris illuſtrioribus gentibus, aut principibus, prae reliquis commerciis curae ſemper fuerit, ſi paucis id deſcripſero, id neminis me ingratiis facturum ſpero.

Veteres *Ægyptios* ampliſſimis commerciis *Indis* jam olim conjunctos fuiſſe, neque ea *Ptolemaeum Philadelphum* demum non inſtituiſſe, ſed renovaſſe ſolum, plana res eſt. Neque enim credibile eſt, *Phoenices*, qui ad oceani occidentalis extrema navigando penetrarunt, qui *Syriam* & *Meſopotamiam* pedeſtri itinere, *Indiae* principia mari adibant, quique ſinum Perſicum coloniis, *Tyro* & *Arado*, (quae ſunt nomina *Phoenicia*) ſecundum *Ezech. cap.* XXVII. 15. tenuerunt, non credibile eſt inquam, *Phoenices* intra hos limites conſtitiſſe, neque commercia ſua *India* tenus propagaſſe. *Taprobanae* incolae, quae urbs ad *Indias* quovis tempore pertinuit, *Herculem*, *Phoenicum* deum, colebant, quod eos eo adpuliſſe argumento eſt. *Seres*, eoſdem cum *Chinenſibus*, & *Mela*, & *Plinius*, & *Capella*, juſtos quidem & aequos, adeo tamen feros & omnibus rebus diffidentes tradunt, ut exteris cum quibus commercantur, ſe neque adloquendi neque videndi poteſtatem faciant. Temporis tractu paulo mitiores facti ſunt.

Florentis olim inter *Indos* & *Africae* orientalem oram commercii luculentum argumentum habemus, quod ſuperato *Bonae Spei* promontorio, *Luſitani* in *Mozambica* & *Melinda* nautas peritiſſimos, inſtrumentis *Aſtronomicis*, chartis Geographicis, & Pyxide nautica utentes, offenderint. Portum *Arabiam felicem* poſtea dictum, ait *Arrianus* in *Erythaei*, aut *Rubri* maris periplo, commune utriuſque gentis emporium fuiſſe, antequam ad *Indos Ægyptii*, aut ad hos illi penetraverant. Idem ſinum *Perſicum* deſcribens, inclytos duos portus, *Apologum* & *Ommanam* profert, quo maximis navigiis aes, cornua, ligna pretioſa ex *India* adferri, contra margaritas, purpuram, veſtes, vinum, palmas, aurum & ſervitia exportari, adfirmat. *India* ante *Alexandrum* magnum ignota fere *Graecis* fuit. Quam *Diodorus* [f] refert, *Viambali* in *Indiam* navigationem fabuloſam rati ſunt. Ipſe *Alexander*, tanto viro indigna vanae gloriae cupiditate ductus, *Indorum* ſtaturam & robur ſupra modum auxit.

f Diodorus lib. 2.

num *Ægypti* pessum dari, impense cupiebat, Sultanum maximam suorum vectigalium partem ex odoribus, aliisque *Indicis* mercibus, reficere scribit. *Indiae* duo praecipua emporia, *Malabar* & *Cambajam* commemorat, & portoria Sultano solvenda, mercium pretii trientem fere efficere: multo impensius *Indicarum* mercium idem ille hodierna vectigalia miraretur. Pedestri itinere illatos odores iis longe praestare adfirmat, qui in *Ægyptum* mari devehuntur. *Venetam* navem, quae ex *Manilla* insula solverat, & *Seres* petebat, in oceano orientali visam, *Moluccarum* historia tradit, quam *bonae spei* promontorium circumvectam necesse est.

Transoxianae metropolis, *Smarcanda*, veterum *Maracanda* ultra *Oxum* fluvium posita, celebratissimum olim fuerat emporium, quo *Seres*, *Tartari*, *Persae* & *Indi*, negotiandi causa conveniebant. Ea urbs *Tamerlani* imperii sedes fuit. Ejus urbis commerciis per *Turcarum* victorias, & *Lusitanorum* negotiationes plurimum detractum est. Vicinam *Smarcanda* ipsa urbem *Bokaram* obfuscaverat, ad *Oxi* septentrionalem oram positam, septentrionalis latitudinis 29° gradu; totius olim illius regionis metropolis erat, nunc *Usbeckis* paret; apud *Anthonium Ienkinson*, in collectionibus *Hakluiti* ejus prostat descriptio. Inclytum olim emporium erat, ob *Avicennae* nativitatem memorabile, quemadmodum *Hera* urbs ob *Myrcondi* nativitatem, qui orientis historiam *Persico* idiomate edidit. Inter *Chorosanae* urbes ex principibus *Hera* est, incolarum industria & mercatorum frequentia illustrata. *Indicae* olim & *Persicae* merces, *Candacharam*, cognominis regionis antiquissimam & populosissimam urbem, deferebantur, cujus tamen negotiationes ex tempore superati *bonae Spei* promontorii fractae sunt. *Cabul* cognominis regionis metropolis, aromatum mercatura clara urbs erat, cujus terrae incolae * *Cabolitae Ptolemaeo* audiunt: aliquorum antea *Indiae* regum imperii sedes ea urbs fuerat. Verum nulla veterum *Taprobanae* terra praeit, *Nubio* geographo *Sarandi*, *Serlandive* in *Teixera*, & *Serandine* audiens, gens autem ipsa *Serandini*; commercia ejus, secundum *Ammianum Marcellinum* †, in margaritis, gemmis, cinnamomo, moscho, cibeto, serica veste & ebore constabant. Ex-

* Ptolemaeus Asiae cap. 18.
† Ammianus Marcellinus lib. 22.

Extremae *Indiae* geographiam, parum veteres noverant. A tribus diversis populis eam inhabitari credebant, orientalibus *Scythi Seribus* & *Sinis*. *Scythae* hodierni *Tartari* sunt, prope *Chinae* septentrionales oras. *Seres* septentrionalis *Chinae* incolae, meridionalis vero incolae *Sinae* erant. *Scythia* orientalis, alias *Cathay*, *Caracathay*, seu *Nigrum Cathay*, is terrae tractus est, quem *Geographi Arabes* & sacrae paginae *Gog* vel *Magog* compellant. *Serum* adpellatione omnes fere, quotquot sunt, orientales populos antiqui comprehendebant. Eximia in commerciis aequitate inclaruerunt, licet exterorum coetum aegre ferrent. Merces cum inscriptis pretiis exponebant, secedebantque; mox advenientes mercatores, quae soluturi erant pretia mercibus imponebant, & pariter abibant: quo facto revertentes *Seres* aut merces aut pretia, prout placuisset, auferebant. Adlatis *Eustathius* sub *Herodoti* fide id subjungit, eadem ratione *Carthaginienses* cum nonnullis extra *Columnas Herculis* populis commercia facere. *Seres* inter veteres *serica* potissimum vestis illustravit. *Sinarum* olim, aut *Thinarum* nomine, non solum meridionales *Sinae*, sed & regionum *Tunquin*, *Cochinchinae*, *Pegu*, & *Siam* incolae veniebant. *Seribus* veteres *Sinae* multo humaniores, & praeterea nauticae mercaturaeve valde studiosi fuerunt. In omnium artium & disciplinarum peritia *Indis* principatum concedebant. Philosophiam se a *Brachmanis* didicisse ipse *Confutius* fatetur; suam tamen eruditionem uterque, & *Sina* & *Indus*, *Ægyptiis* debent. *Indicarum* mercium praecipua genera *Arrianus* in *Erythraei*, seu *Rubri* maris *Periplo*, recensuit, quorum nonnulla ad hunc usque diem ex *India* ad nos adferuntur. Ante *Augustum Indiam* plerique *Rubro* mari adibant, quam navigationem accurate *Plinius* describit. Itinerum hac memoria per fretum *Waigats* & *Novae Zemblae* tentatorum, nullam veteres Geographi notitiam habuisse videntur. De *Asia* septentrionali veteres ridicula opinio pervaserat, *Caspium* enim mare *Scythici* seu *Asiae* septentrionalis oceani sinum esse credebant, eaque duo maria ejus latitudinis alveo conjungi, qui navibus satis pateret, haecque credebant, licet in contrariam partem manifestum *Herodoti* testimonium haberent.

Asiae & *Europae* septentrionales partes jam priscis temporibus mutua commercia exercuisse probabile est, qualia *Sinis* hodiedum

cum *Muſcovitis* intercedunt. Via antiquitus ad *Chinam* per *Smarcandam* pertinebat, de qua urbe, ab altera *Oxi* ripa poſita, antea diximus: mediante hoc fluvio merces verſus occidentem *Caſpio* mari a *Smarcanda* urbe delatae, inde ad *Europae* ſeptentrionales regiones per *Volgam* deferebantur. Quem curſum qui perpendit, ei poſſibile videbitur ex *China Hiſpanias* navi adire, non ſalutato oceano ex oriente ſcilicet mediante *Oxo* flumine, *Caſpio* mari, & *Volga*, quem ultimum facile cum *Tanai* committeres, ducto per ſpatium ſex milliarium germanicorum alveo, in Pontum *Euxinum*, & exinde in fretum *Gaditanum* trajicienda. Hoc brevius iter *Strabo* * per mare *Caſpium* demonſtrat, ita nempe ut verſus *Albaniam* directo curſu, *Cyrum* fluvium adſcendi jubeat. Secundum *Plinium* † *Seleucus Nicator* conjungendae *Aſiae* cum *Europa*, committendive *Caſpii* maris cum *Euxino*, excavato alveo a *Bosphoro Cimmerio* ad mare *Caſpium*, conſilium agitavit. Locorum temporis decurſu penitus mutata forma eſt, *Oxumque* fluvium proſciſſi frequentes ad irrigandos agros alvei ferme exſiccarunt.

Iter per *Cabul* meridiem verſus protenditur, dum vicino fluvio in *Indum* exonerato delati, eo in oceanum *Indicum* deferuntur. *Perſas* inter & *Indos* agitata commercia per *Candacharam* tranſibant, quam ita a conditore *Alexandro* magno, aut quod prae illo crediderim, a *Candariis* vicina gente dictam ferunt. Hoc iter, ex quo *Indiam* inter & *Perſiam* commercia mari peraguntur, antiquatum eſt: *Candacharae* via ſemper utuntur *Iſpahani* & *Agrae* comitatus, aeque ac *Mingreliae* commercia, ſeu veteris *Colchidis*.

Ut vero revertamur, unde diſceſſimus. Sub *Auguſto* mercatura romana floruit, ſub *Tiberio* vero ei nihil incrementi acceſſit. Id ſolum memoriae mandatum eſt, claſſem ejus *Albim* adſcendiſſe, dum ipſe quousque ejus littora pertingunt arma ſua provexit. Triumphum ſibi ipſi amens *Caligula*, quaſi *Britanniam* expugnaſſet, adparavit, & nonnullas triremes terreſtri itinere *Romam* devehendas curavit, pro expeditione celebranda, in eo terminata, ut in maris littore magnam concharum vim legeret. Poſtea aliquot naves, neque ad belli ne-

* Strabo lib. 2.
† Plinius lib. 6. cap. 2.

neque ad commercii usum, sed ad fugam ex *Italia* sibi comparavit, si forte exercitum in *Germania* defecisse audiret. Et tantum absuit, ut mercaturae faveret, ut eam potius adflixerit, urbem *Romanam* famis periculo objecerit, ob contractas innumeras undique onerarias, ad perficiendum quoddam ingens *Bajas* inter & puteolanas moles opus. *Claudii* Caesaris patrem *Drusum*, primum septentrionalem oceanum navigasse, [a] *Suetonius*, verum falso, tradidit, namque ante eum jam ab *Augusto* naves eo missas ex *Plinio* [b] discimus. Praeterea *Vellejus Paterculus* auctor est, *Drusi* fratre *Tiberio Germaniae* imperante, classem *Albim* adscendisse, & varii generis mercibus oneratam rediisse. Hicque ille *Drusus* est, qui *Fossa Drusiana* ducta *Rhenum* cum *Isala* conjunxit.

Britanniam proximus a *Julio Caesare Claudius* imperator invasit; ejus classem magnificavit *Seneca* [c] tragoedus. Eum de *Britannia* triumphantem, scribit *Plinius*, ingenti navi *Adriaticum* mare intravisse. *Britanniae* partem cum insulis *Orcadibus* domuit, *Britannicique* cognomentum filio reliquit. Ipso imperante *Vespasianus Vectem* insulam in deditionem redegit. Commerciorum curam adeo sollicite egit, ut omnia damna, in quae commeatus *Romam* hiberno tempore advehentes mercatores incidissent, resarcienda in se reciperet. *Ostiae* portum & extendit & refecit. Altissimam turrim, in exemplum *Alexandrinae Phari*, ut ad nocturnos ignes navigia cursum dirigerent, demersae memoratae supra *Caligulae* navi superimposuit, quae ex *Ægypto* obeliscum advexerat. *Claudio* regnante, *Rheno Mosam*, depresso per viginti milliarium spatium alveo, *Corbulo* conjunxit. De mari nunquam *Nero* cogitavit, nisi ut eo desperatis aliquando rebus in *Ægyptum* profugeret. Sub ejus imperio jugum *Britannia* pene excusserat. *Neronis* invidiam timens *Antistius Vetus*, propositum *Rheni* cum *Mosella* committendi consilium abjecit. Regni successores, *Galba*, *Otho*, & *Vitellius*, vix temporis sat ad confirmandum regnum habuerunt, nedum ad parandas sibi commercio divitias. Ad capessendum imperium adveniens ex *Asia Vespasianus*, id sibi potissimum faciendum putavit, ut *Alexandriam*, *Romae* nutricem &

a Suetonius in Claudio. b Plinius lib. 2. c. 67. c Seneca. Octav. Act. 1.

& *Ægypti* clavem, ante omnia in poteſtatem reciperet. *Agricolam* in *Britanniam* miſit, a quo tota ſubacta & prudenter gubernata eſt. Hunc *Orcades* & *Thulen* primum detexiſſe *Tacitus* tradit, quae ipſi inſulae diverſae ſunt, quandoquidem *Agricolam Orcades* ſubegiſſe, *Thulen* vero nonniſi detexiſſe ait. Quod eum utrumque fallit, ſiquidem *Claudio Orcadum* reductionem alii ſcriptores vindicant, inter quos *Pomponius*, qui regnante eo vixit, earum numerum ſigillatim exſecutus eſt. *Ptolemaei Philadelphi* temporibus *Thule* jam innotuerat, namque a *Strabone* productus aequalis *Pythias*, *Maſſilienſis*, ejus inſulae deſcriptionem fecerat.

Sub *Tito Domitiano* & *Nerva*, nullis mercatura auctariis in melius provecta eſt. * *Trajanus*, gloriae cupidiſſimus princeps, ad *Tygris* oſtia & *Euphratis* devectus eſt, & oceanum intravit, quo mari cum negotiatoriam navim *Indiam* petentem conſpexiſſet, eas regiones ſubjugando, de ſuperando *Alexandro* cogitavit: conſilium autem perpenſa tam longe diſſitas provincias retinendi difficultate, prudenter deſeruit. *Cajettae Pharum*, & *Terracinae* portum, *Antoninus Pius* refecit. Idem in *Auguſti* exemplum, *Rhodiorum* nauticas leges obſervari de novo juſſit. *Javoleni* Juriſconſulti reſponſum, qui ſub eo imperatore vixit, de claſſe *Britannica*, eique praefecto *Sejo Saturnino* loquitur, quem ejus *Archigubernum* cognominat, quae claſſis retinendae forſan provinciae ergo armata fuerat, & tuendo ejus regni commercio. Commercii curam ſummam ſucceſſor ejus *Antoninus Philoſophus* habuit, quem in finem publicis viis diligenter providit. Pantomimorum ludos nundinis, niſi ſub veſperam aperiri vetuit; eique aequalis *Ariſtides* rhetor auctor eſt, & *Mediterranei* maris & oceani commercia ſub ejus imperio floruiſſe. *Pertinax* imperator, juvenis; compendioſam a patre exercitam mercaturam ſectabatur, cui cum altiori forte dignus filius videretur, ad nobiliora eum traducere in animo habuit: in proſequenda vero tam quaeſtuoſa negotiatione, (lignariae mercaturae ſpecie) pertinacem ſeſe filius geſſit, unde *Pertinacis* nomen meruit. Rerum potitus neque priſtinum negotiatorium ingenium depoſuit, commercia vero per miniſtros agitari curabat. Caeſar *Severus* ad invehendam *Romam* omnium rerum copiam, & con-

* Poſt Annum Domini 100.

conciliandam per omnes provincias, *Britanniam* inprimis, pacem, nihil non excogitavit, quem in finem utrimque ad mare pertinentem fossam duxit, quae partem *Angliae* sterilem a fertili distinguebat. Ab expeditione contra *Parthos* reversus, commercii usum in itinere quo *Ægyptum* adiit, spectavit, ubique quid commodi ex eo regno ad populum *Romanum* redire posset, solicitissime disquirendo. Et tametsi easdem oras eodem quoque ut videbatur consilio, filius ejus *Caracalla* adiverat, ad ingentem illam *Alexandrinam* caedem vindicta permotus tamen videtur, qua nullum tamen mercatorem, ob eorum hominum singulare studium, violavit. Commercia *Alexander Severus*, prudens virtuosusque princeps, in ipsa urbe minutis portoriis multiplicavit. Primus inter imperatores fuisse videtur, qui singulas negotiationes singulis collegiis attribuerit, suisque privilegiis mactaverit, iis patronos per ex ipsis collegiis delegendo, judicesque dirimendis litibus constituendo. Ipse *Maximinus* ex praediorum suorum in *Thracia* proventibus, suo natali solo, quorsum *Opilii Macrini* tyrannidem fugiens sese receperat, cum *Gothis* commercia agitavit. *Aurelianus* cogitans, quantum momentum *Ægyptiaca* commercia traherent, tam *Indicarum* ex *Ægypto* venientium, quam domesticarum mercium pretiis modum statuit; & quo facilior vectura esset, commodae *Tiberis* & *Nili* navigationi prospexit, & ut annonae vilitatem plebs experiretur, constitutum panibus pondo immutato pretio auxit.

Septentrionales barbarae gentes, quam necessariae maritimae vires ad proposita consilia essent, sentientes, in eo *Romanorum* exemplum sequi instituerunt. Cum primum imperium *Romanum* invaderent *Gothi*, cum exercitu 320000 hominum, naves 2000 (vel 6000 secundum *Zosimum*) habuerunt, in Ostio *Istri* in Ponto *Euxino* aedificatas, quae classis maxima ex parte, aut pestilentia aut belli fortuna in *Archipelago* absumta est. Imperante *Constantio Arabes* 1700 navium classe in *Mediterraneo* mari comparuerunt.

Firmus, qui regnante *Aureliano* (a quo devictus est) *Ægyptum* occupaverat, in eo laudari meruit, quod omnis generis commercia, *Indica* potissimum, iis in terris multiplicavit. Idem consilium secutus est *Saturninus* & eadem quoque fortuna usus. Apud historicos de ejus aevi *Hadriani* epistola mentio fit, qua ille vitri, papyri & lintei

tei confectiones, praecipuas *Ægyptiorum* operas esse scribit.

Qui superiorum Caesarum neminem non virtute exaequavit, imperator *Probus*, tuendae per totum imperium pacis curam solicitissime egit. Subditos a bellicis studiis ad agriculturam mercaturamve traducendi consilium habuit, quod secuturus exercitum suum semper in utili aliquo opere occupavit. Imperio tam utilis res in imperatoris perniciem erupit, ob militum conspirationem, qui labores aegre patiebantur, neque veteris disciplinae reductionem tolerare poterant. Fluminum, inprimis *Nili*, alveos ut facilius navigari possent dilatavit. *Romana* commercia sub *Diocletiano* debilitata sint, necesse est, ob *Britanniae* defectionem, a *Carausio* inceptam, & ab *Alecto* continuatam. *Carausio* Britannica classis commissa fuerat, qua *Francorum Saxonumve* maritima latrocinia reprimeret; in qua re sese quidem fortiter gessit, sed non ut bonum virum decet, captam enim praedam in suos usus convertit. Imperatoris postea nomine adsumto, *Angliam* invasit, & a socio *Alecto* interfectus est. *Ægypti* auctore *Achilleo* defectio mercaturae *Romanae* rursus ruinam minabatur; *Achilleus* vero interfectus est, & commercia ibi *Diocletianus* instauravit. Per haec fere tempora *Saxones* maritimis suis latrociniis, & *Gallicae Britannicaeve* orae devastationibus, nec non coloniis, quibus orae ejus partem occupaverunt, primum *Romanis* innotuerunt. *Constantino* a sanctarum & bellicarum rerum cura nullum omnino tempus vacabat, quo de mercatura cogitaret, quae per conditam *Constantinopolim* omnium rerum summam revolutionem passa erat; nunc *Byzantium Alexandrinae* naves advehebant, quas prius *Romam* invexerant merces. Cum *Italiae* damno nova haec metropolis habitata est, eamque haec colonia colonis exhausit. Mercaturae curam ipse *Constantinopolis* situs suscipiendam suadebat, unde ejus commodis egregie in *Theodosiano* codice & *Justinianeo* prospectum esse videmus. *Gothorum* postea aliarumve barbararum gentium irruptiones adeo imperii *Romani* vires fregerunt, ut potius qua ratione sese tuerentur, quam de acquirendis commercio divitiis cogitarent. Post *Gothos Mahamedis* sectatores, *Arabes*, *Gothica* potentia longe formidolosius *Romanis* imperium condiderunt. *Romanorum* imperii pertaesi *Ægyptii*, *Saracenis* se subdiderunt; *Cairus Anno Dom.* 484. condita est, quae urbs

urbs in aemulam commercii *Constantinopolitani* excrevit, licet ob felicissimum situm maxima semper commercia *Constantinopolis* agitaverit. Ille de quo supra, *Benjaminus* de *Navarra*, *Judaeus*, omnium gentium mercatorum confluentiam ea sese urbe vidisse testatur; hoc saeculo circiter duodecimo contigerat. Circa idem tempus ad *Indiae* confinia posita *Persica* urbs, *Bagdad* mercatura florere incepit, dum *Indicae* merces exinde *Constantinopolim* transmittebantur. Cum *Cariophyllorum* gustus ad *Latinorum* & *Graecorum* palatum mirum in modum accidisset, id *Graecos* nonnullos Imperatores ad expugnandum ejus aromatis natale solum instigavit.

Extincto dein a *Syracone*, & filio ejus *Saladino*, *Saracenorum* Caliphatu, *Mammeluccarum* ii in *Ægypto* imperium condiderunt, & *Indica* commercia in iis terris restauraverunt, *Mammeluccarum* exercitus pueris ex *Circassia*, aut ex reliqua circa *paludem Maeotim Colchide*, aut ex aliis ejus tractus locis coëmtis unice renovabantur, quare cum Imperatoribus *Constantinopolitanis* Sultani *Ægyptii* foedera inire coacti sunt, quo sibi permitterent, paucas naves, hujus commercii ergo, in pontum *Euxinum* mittere.

Ad multiplicanda commercia plurimas easque optimas leges *Graeci* Imperatores condiderunt, prae caeteris tamen Imperator *Constans* emicuit. Nautarum sese patronum declaravit, a litium vexationibus eos exemit, praeterea immunitates, munerum vacationes, & plurima alia privilegia liberaliter iis concessit. In quo consilio persequendo a *Juliano*, qui *Caesaris* merum tunc nomen gerebat, adjutus est; ejusque cura *Anglica* commercia, disjecta hactenus a piratis, restaurata, naviumque frumentariarum numerum idem auxit, quae frumentum ex *Britannia* in *Gallias* transportabant.

Gothorum irruptionibus, & ipsius urbis ab *Alarico* expugnatione, in ultimas angustias *Romana* res adducta est. Ex pluribus qui animum ad imperii spem eodem tempore erexerant, *Attalus* quidam erat, qui interclusis *Africanis* commeatibus, *Italiam* fame necare tentavit. Classe 3700. omnis generis navium in *Italiam* trajecit. Neque tanti apparatus mirabiliores fuerunt, celeri ejus turpique reditu; nullo enim neque proelio inito, neque exscensione ullibi facta, *Carthaginem*, unde discesserat, cum unica navi ex tanta classe rediit.

A. D. 468. *Leo* Imperator 1100. navium classe comparata, maris imperium nomini *Romano* vindicaturus sane videbatur, nisi leviri sui fraude, *Basilisci*, quem classi praefecerat, in *Africae* littore a *Genserico* concremata esset.

Quamdiu imperium maris & commercia ad *Romanos* spectaverant, singulis classibus suas stationes & ditiones attribuerant. Ex iis maxima *Alexandrina* classis fuit, ad quam & maris *Rubri* navigatio pertinebat.

Classis altera *Africana* erat, advehendis *Romam*, & postea *Constantinopolim*, commeatibus destinata. Tertia *orientalis* fuit, *Seleuciae*, *Syriae* urbe, ad *Orontem* fluvium, in statione collocata; classis haec minores plurimas alias, sub se comprehendebat. Quartam in ponto *Euxino*, quadraginta navium, habebant. Quintae, vectigalium custodiae destinatae, in Codice mentio fit. Pro commercio *hispanico* propriam classem nullam habuisse videntur.

Tam longe dissitas provincias in officio *Romani* nunquam continuissent, nisi armatas classes habuissent, in maximis imperii fluviis, recensitis in *notitia* imperii.

Classiarios quoscunque, qui Principis stipendia merebant, studiosissime Imperatores tuebantur. Decimi tertii libri quintus titulus, in eorum commodis describendis unice versatur. Dicti tituli lex nona ab omnibus eos non solum personalibus injuriis, sed & ab omni inferenda vi, & ab omnis generis concussionibus ordinariis, aut extraordinariis, aerumnis, molestiis liberat, & omni eos securitate frui jubet. *Justinianeo* postea Codici ea lex inserta est. Capite etiam alia lege sancitum erat, ne quis navim contra magistri voluntatem ad alios usus transduceret, quam quibus destinata erat. Quae commoda omnia *Valentinianus*, *Theodosius* & *Arcadius* aliis legibus in sempiternum confirmaverunt, magistratus & iudices sub poena capitis vetando, ne eos ne minimum molestarent. Navium magistros *Valentinianus*, *Theodosius* & *Arcadius*, ab omnibus vectigalibus immunes fecerunt, cum eodem tempore iisdem omnes omnino mercatores subjicerent. Omnibus qui aut navim aedificarent, aut frumentariam exercerent, proprias legibus *Romanis* immunitates concessas, supra monuimus. *Constantini* & *Juliani* lege in equestrem ordinem adsciscebantur, & alia *Valentis* & *Gratiani* lege, senator

tor in nautarum collegium admittebatur. Horum hominum honori commodisque, uti legibus prospectum erat; ita praedia eorum de feudorum natura erant, in quorum collatorum remunerationem ipsi navem conscendere tenebantur. Ad haec stipendia in persona merenda, tam arcte obstringebantur, ut nullas privatorum merces in navem suam recipere auderent, nisi prius Principi ministrassent. Ut commoda magnitudine naves exercerent, legibus cautum erat. Exigente casu, Principi licebat pro auctoritate imperare, ut privatorum naves quaecunque aeque ac horum hominum illae, sibi servirent.

Eadem paganorum nundinis privilegia postmodum concessa sunt, quod concedendi jus ad Consules antea spectaverat. *Claudius* enim Imperator nundinarum jus in sua praedia, a Consulibus petere coactus est. Quae ipsa postea potestas ad imperatores transiit.

Navigationis igitur historiam, ad tempora detectae nauticae pyxidis usque exsecuti sumus, cujus egregii inventi & auctorem incertum, & temporis ratiocinia vaga tradunt. Multorum certe opinione vetustius est. In excellenti suo libro, *Recherches de la France*, (*lib.* 4. *cap.* 35.) *Pasquierus* probavit, pyxidem nauticam, jam *Ludovici* sancti tempore in usu fuisse, qui imperium *Anno Dom.* 1226. adeptus est; quosdam versus ab *Hugues de Bercy* scriptos profert, qui *Ludovici* sancti tempore vixit, quos infra adposui, quia totam rem prolixe describunt. Prostant in ejus libro, dicto *Bible Guyot*.

Postquam arcturo papam contulit, sic pergit,

Mais ceste estoille ne se muet,
Un art font qui menter ne puet
Par vertu de la Mariniere
Un Pierre, Laide & Noiriere
Ou le fer volontiers se joint,
Et si regardent le droit point
Puis que l'aiguille l'a touchie
Et en un festu l'ont fichie,
En lieu le mettent sans plus,

Et li festus le tient dessus:
Puis se tourne, la pointe toute
Contre l'estoille, si sans doute
Que taper rien ny faussera
Ne Maronniers n'en doubtera.
Quand la nuict est obscure & brune,
Qu'on ne voit estoille, ne lune,
Lors font a l'aiguille allumer,
Puis ne peuvent ils s'égarer:
Contre l'estoille va la pointe,
Perce font li Maronniers cointe
De la droite voye tenir:
C'est un ars qui ne peut mentir:
Lá prennent la forme, & le molle,
Que celle estoille ne se crolle,
Moult est l'estoille belle, & claire:
Tel devroit etre le sainct Pere,
Clercs deveroit estre, & estable

Ibi magnetem lapidis nautici nomine *Bercyus* compellat, instrumentum ad dirigendum cursum certissimum omnium. Ferream acum porro dicit, magneti tactam, versus Polum dirigi, ita ut ope lucernae, rite adaptata pyxide, nautis media nocte navis cursus innotescat. In veterum pyxidibus id singulare occurrebat, quod tribus aut quatuor feraminibus sibi invicem superimpositis, acum imponebant, & dum aquae totus apparatus innatabat, quo sese acus converteret, observabant.

DIS-



DISSERTATIO
De Dosibus Medicamentorum, a Veteribus Medicis datis.

Antiquorum ponderum & mensurarum cognitio, ad recte intelligenda veterum medicorum scripta, apprime necessaria est, neque id ejus artis studiosis, injucundum fore spero, si tabularum in ejus generis ratiociniis utilitatem paucis exemplis declaravero. Simulque me a lectoribus excusatum iri spero, de tentaminis hujus brevitate, quod festinanter de ejusmodi materia composui, quae attentius considerari revera meretur.

Drachmam Hippocrates, (quam *Atticam*, nisi aliam adscripserit, putabimus) *Obolis 6*, pro *Graecorum* communi, composuit; & procul dubio *denarium Celsus*, ad ejus exemplum, partibus quoque 6 confecit; qui *drachmae* hominum opinione quovis tempore exaequatus est.

Doctissimus & accuratissimus *Bathoniae* & *Wellae* episcopus, Dr. *Hooperus*, observat, veteres medicos praescriptiones suas per *drachmas* fecisse, non habito respectu ad *Zygostaticum* pondus, sed secundum currentem ejus temporis nummum; *denarium* revera 64. granis constitisse supponit; ei meae rationes nonnisi 62$\frac{2}{7}$ concedunt: forsan bene ille scripsit. De *Anglicis* ponderibus ad amussim nobis non convenit, quippe librarum *Anglicarum*, *Averdupois* & *Troy*, proportionem, aliis ille numeris emetitur, quam qui nobis in hujus libri tabulis placuerunt. *Romanam* unciam *Averdupoiensi* aequalem esse, in confesso est: illa igitur libra unciis 12, haec 16. unciis composita, *Romana libra Averdupoiensis* $\frac{3}{4}$ partes, pro utriusque

rationibus, complectetur; ratio vero librae *Averdupois* ad *Troiensem* illi numeris 175: 144. continetur, quae a vero propius forsan quam nostra abest. Secundum Dr. *Wibertum*, quem ut diligentissimum *Jonas Moorus* citat, eadem ratio tantum est ut 17: 14, adeoque *Romana* vel *Averdupois* uncia ad *Troyensem* se habet, ut 51: 56. Secundum episcopum unciae *Romanae* grana *Troyensia* 437,5, cedunt, secundum nostra ratiocinia in tabulis, nonnisi $437\frac{1}{7}$ quorum 7ma pars, *denarius* granis $62\frac{22}{49}$ aequalis est. Medici *Angli* *Troy* libram hunc in modum distribuunt.

Granum	Scrupulam	Drachma	Uncia	Libra
20				
60	3			
480	24	8		
5760	288	96	12	

Libram *Parisinam* unciae 16 componunt, quarum quaevis, *Anglica Troy* grana 472,5 complectitur. Harum medici 12 in medicam libram computant, quae proin a nostra libra 90 granis deficiens, *Troy* grana 5670 capit: eorumque uncia, nostra uncia granis $7\frac{1}{2}$ levior est, eorumque *drachma*, unciae illorum 8va pars, nostra $\frac{15}{16}$ grani partibus ibidem levior est. Quoniam vero 576 suorum granorum in suam unciam numerant, id majorem semper in grani magnitudine differentiam parit, cum grana nostratia 105. illorum granorum 128 exaequent. Haec de *Galliarum* medicis ponderibus (licet recentibus) breviter differere, a proposito nostro alienum non est. Caeterum videas *Hooperi* de ponderibus & mensuris tractatum.

Denario & *drachma* in posterum, in subducendis dosium veterum medicorum rationibus, tanquam nummis utar, utrisque granorum *Troy* $62\frac{22}{49}$ reputatis. *Drachmae* sextans, sive *obolus Atticus*, aeque ac *denarii*, sextans, quem *Celsus* adhibuit, granis fere 10,4 aequalis est.

Drachmam *Hippocrates* nonnunquam *Æginaeam* producit, quae *Attica* in ratione 5. 3 gravior est. Commentationis hujus initium a modo praescribendi *Hippocratis* faciam, qui medicamentorum suorum doses profecto rarissime adscripsit: quod exinde forsan, quonam pharmaca

maca ipsi medici parabant, aut quoniam filii artis rem omnem satis edocti, & denique, quoniam pro aegrotantis robore, aliisque circumstantiis, medicaminum quantitas variabatur; id tamen miramur, quoniam vehementissima omnia ejus purgantia sunt, ut *Helleborus*, non niger solum sed & albus: *Elaterium*, sive cucumeris silvestris succus, grana *Cnidia*, sive baccae *Mezerii*, *Peplus* & *Peplium*, duo *Tythimali* genera. His purgantibus accedunt *Thapsia*, succus *Hippophaae*, quae *Rhamni* species creditur; *Colocyntis*, *Scammonia*, *Lapis Magnesius*, *Cnicus*, *Carthami* genus: etiam *Papaver* quoddam purgans album *le Clerc* inter *Hippocratis* medicamenta numerat.

Haec purgantia medicamina saepissime omissis dosibus praescripta reperio. Sic in Peripneumonia absque sputo [a], post sextum, septimum & nonum diem, *Veratrum* album, *Thapsiam*, *Elaterium* recens, cujusque parem portionem dari praecipit, & insuper medicamina quae vomitum promoveant, simul praedicens quantum aegri salus periclitetur. [b] In capitis acuto dolore *Thapsiae* succum ex multa aqua calida, quo revomat, non addita dosi.

[c] In morbis biliosis *Scammoneam*, in defluxionibus capitis *Helleborum*, in *Hydrope Helleborum* album praescribit: cum vero *Helleborum* non adjecto genere profert, nigrum intelligit. *Cuminum* & *Seselos* cum *Veratro*, cum *Peplio* vero *Laseri* succum, sive *Assam faetidam*, commisceri jubet.

[e] Doses nonnunquam, *Elaterii* inprimis, adscripsit, quod puerperae pondere *Oboli Attici*, seu 10½ fere granorum, in *Cyatho* dari vult, seu paulo plus 2 vini unciis.

[d] Ad expellendum foetum mortuum, pugillum *Veratri* nigri, cum *Myrrha* ervi quantitate, in vini dulcis haustu dari jubet. Tam violentorum medicaminum tantas & tam incertas doses praescriptas, mirandum est. Purgantium enim aut vomitum excitantium quantitates veteres medici non tanti curabant, vehementiorem quippe dosin eo citius ventrem commoturam, & eo quoque citius ejectum iri, dicebant.

Baccas *Mezerii*, sive *Grana Cnidia*, usque ad triginta praescribit. Si modum quo externa medicamenta exornat, spectemus, in-

a De Morbis l. 3. c. 14.
b Ibidem c. 8.
c De natura muliebri c. 33. & de internis affectionibus c. 15.
d De Mulierum morbis l. 1. c. 85.

internorum doses artis filiis notae fuisse videntur. Saepius enim ita scripsit, hujus mercimonii tantum dator, quantum uni, duabus aut tribus potionibus satis est. Ita puerperae & lotionem ex *Veratri* potionibus duabus, aquae *Heminis*, seu *Cotylis* binis macerati, dari jubet: pintam, qua vinum metimur, dimidiam, *Cotyla* vel *Hemina* aliquantum superat. [e] In eundem finem *Grana Cnidia*, seu baccas *Mezerei* sexaginta, melle & oleo macerata, praescribit: unde internam dosin ex triginta granis compositam, colligi posse videtur.

[e] Ad idem obtinendum conducit *Cneori* (medicaminis quod rursus *Mezereum* suppeditat) portio una, in aquae mulsae *Hemina Æginaea* macerata. *Haemina Æginaea* ad *Talenti Æginaei* rationem exornata, nostra dimidia pinta major sit oportet, seu pintae $\frac{1}{8}$ partibus fere aequalis.

[e] Mox *Scammoniae* potionem, *Aqua mulsa*, aut aquae uvae passae *Hemina Attica*, maceratae, pro eodem morbo applicari jubet, quo loco mensurarum mutatio memorabilis occurrit, neque adparet, ob quam rationem liquorum quantitatem tam diligenter descripserit, a qua paulum aberrare nullius fere detrimenti fuisset, dum violentorum medicaminum quantitates in incerto relinquit. Si liceat nostram de ejus consuetudinis causa sententiam proferre, id ideo factum putarem, quoniam, medicamentis ab ipsis medicis, fomentis autem vel lotionibus ab obstetricibus praeparatis, horum quantitates multo curiosius quam illorum constituendas esse rebatur: summa etiam diligentia quae ad victus rationem pertinent, eum ubique in scriptis suis exposuisse reperies; neque etiam improbabile est, eum medicamentorum doses omnes, nisi artis filos celare voluisse.

Purgantium suorum varias virtutes summa cura distinguit; *Veratrum* ait melius purgat quam *Peplium*, verum hoc ventris flatibus infestius est. [f] Purgantia primus in *Hydragoga*, *Cholagoga*, &c. distribuisse videtur.

Singulari medicamento [g], in *Hydrope* usus videtur, aqua nempe ex qua *Hydrops* invaserat, ea *Hydropem* pelli adfirmat.

[h] *Mannae*, seu μάννας, non ut purgantes mentio fit: externe applicabatur. *Opia-*

e De Natura muliebri c. 33. f De medicamentis purgantibus liber. g Libro de internis affect. c. 28. h Libro de Natura muliebri.

Opiatarum proximo loco doses, diligenter, determinari debent; verum tametsi de medicinis somnum & requiem promoventibus verba faciat, doses tamen earum non definit: μήκωνα nominat, & μηκώνιον, quo, papaver, & succum inde expressum, intelligit. [i] *Papaver* & album & nigrum inter adstringentia numerat, nigri tamen, sive ejus quod nigrum semen continet, potiorem ait virtutem. [k] *Papaver* alibi inter aromata refert. *Opiatis mandragora* [l] & *hyosciamus* [m], adnumerari possunt; quorum illud *Melancholicis*, adhibita ea solum cautione, praescribit, ut minore dosi detur, quam quae maniam excitet; hoc *conchae* mensura, quae cum *oxybapho*, pintae octantem superante, congruit, bibi imperat; delirium inde proventurum asinino lacte tolli adfirmans. Abortibus *opium* cum lacte opponit, donec infans in utero materno moveri sentiatur. *cantharidum* doses inter medicamina summa quoque diligentia describi debent; eas & interne & externe adplicat, earum [n] quinque in *pessarium* avulsis cruribus & capite, cum *myrrha*, *thure* & *melle*, conjici jubet. [o] Tres eodem modo praeparatas, in aquae pintae quadrante contra *Hydropem* praescribit. [p] Quatuor in pintae vini quarta parte, in una *Icteri* specie. [q] *Clysterum* ejus, eadem distinctio est, quae purgantium antea: alio *pituitam*, seu *phlegma*, alio *bilem* devehi dicit. In nonnullis liquidorum quantitatem definit, quam alibi omittit. Clyster v. g. pro amolienda bile, talis ei est: *Laseri* succum, quantum sufficit, *elaterii* dimidiam *drachmam*, *colocynthidis drachmam*, quae omnia melle, oleo & aqua marina, in qua furfur decoctus est, diluito. Plurimum salis in *clysteres* injicit, salis communis *acetabulum*, aut *nitri* decem *drachmas*.

De quo scribit, *Laseris succus*, idem est cum nostra *Assa foetida*. [r] In expellendo foetu mortuo *drachma* modica dosis est, si respectum habeas ad magnam quantitatem, quam subinde praescribit. *Laseris* succi *drachmam*, & succi porri *acetabulum* sumit, quod trium fere cochlearium mensuram efficit.

[s] Alium

i Libro De ratione victus lib. 2. c. 4. k De internis affectionibus. l De locis in homine c. 13. m De mulierum morbis l. 1. c. 88. n De morbis mulierum l. 1. c. 94. & de natura muliebri c. 32. o Ibidem. p De ratione victus. q De internis affectionibus. r De mulierum morbis. c. 99.

[s] Alium clyſterem ex vini *hemina* facit, quae dimidiam pintam ſuperat, dimidia olei *hemina*, totidem mellis, & *nitro*, magnitudine tali ovilli: unde magnis fruſtis aſſervatum adparet; ſaepius enim *nitri* quantitatem hac menſura indicat.

[t] Alium *clyſterem* hoc modo inſtruit: duae *heminae* vini albi, mellis dimidia *hemina*, *nitri Ægyptii* torrefacti quadrans, cucumeris ſilveſtris ſucci *hemina*: hoc in *anaſarca* utitur. Vehementiſſimus hic *clyſter* eſt, eumque noſtra menſura ſic exprimes.

Recipe vini albi *uncias* quatuordecim, *drachmas* tres; mellis pintae quadrantem, cochleare unum; ſucci cucumeris ſilveſtris ½ pintam, duo cochlearia; nitri *Ægyptii* 3 uncias.

Quem hic *quadrantem* nominat, alibi *minae* quarta parte interpretatur, noſtra libra aliquanto minorem, ſi *drachmam* ut antea aeſtimes; totius *clyſteris* liquor quadrantem fere & 5 cochlearia conficiet.

[u] In *Tetano* ad movendum alvum ſic procedit: primo ſuppoſitorium 10 pollices longum, ex melle & felle taurino ſubjicit, dein *clyſterem* injicit; quod ſi non ſuccedat, folle fabrili utitur, poſtea *clyſterem* adplicat.

Q. An non ope machinae ad modum antliae pneumaticae fabricatae, aër poſſet ex inteſtinis educi?

Venae ſectio aliam praebet inquirendi materiem. [x] Sanguinem *Hippocrates* plurimum, pluribusve ſimul locis emittebat; ſcalpellum latum, ſive ut ipſe loquitur, gladiolos latos adhiberi jubet, quo magna apertura fiat; unde venas olim perterebratas ſeu pertuſas fuiſſe, quemadmodum in equis fieri ſolet, colligi poſſe videtur. Applicitis cucurbitulis, ſcarificationem gladiolis recurvis fieri praecipit. Saepius ſanguinis magnam copiam emitti vult, non adſcripto neque pondere neque menſura. Saepius *ad deliquium* mittebat. [y] Ægro inteſtinis laboranti tantam ſanguinis copiam emiſſam ait, ut vix tantillum ei relinqueretur, eumque convaluiſſe ſcribit; quam ob rationem inteſtinorum inflammatione aegrum laboraſſe, dixeris.

Victus rationem, in morbis potiſſimum acutis, ſumma cura praeſcri-

s De internis affectionibus cap. 21. t De internis affectionibus c. 28. u De Morbis l. 3. c. 13. x Libro de Medicis. y Libro 5. Epidemicorum.

ſcribebat. *Ptiſana* hordeacea in primis ei placebat. *Ptiſana*, propric puls, ſeu gelatina ex elixo hordeo erat, quam aquae certae copiae miſceri jubebat, de qua duas *cotylas* vel *heminas*, paulo plus pinta una, ſemel in diem aegros bibere ſinebat, raro bis. *Ptiſanas* ex aliis quoque granis eodem modo excoquebant, juſtaque quantitate in debitis caſibus propinabant.

Quoniam acutos morbos diaeta potiſſimum & aptis liquoribus depellebat, nonnulla exempla liquorum ea occaſione adhiberi ſolitorum proferre placet. Pharmaca ſua raro ponderat, menſurat plerumque.

[z] Ficus *Atticae choenicem*, aquae duobus *congiis* decoquito, percolato, & dimidiam *heminam* ſingulis vicibus bibito.

I. e. ℞ $1\frac{1}{4}$ Pint. Ficus *Atticae*, decoque eas in aquae $14\frac{1}{7}$ pintis, percola, & pintae fere quadrantem ſingulis vicibus bibe.

[a] Hordei decorticati dimidium *hemichoenicem* in aquae quatuor *heminis* decoquito, donec ter vel quater ebulliat.

℞ $\frac{1}{4}$ pint. hordei decorticati in aquae quadrante & quatuor cochlearibus.

Frequenter *hydromel* praeſcribit, e mellis una, aquae octo partibus compoſitum; cui additum acetum, *oxymel* dabat.
Suum Seminis *lini* decoctum hunc in modum inſtruit.

[a] Seminis *lini acetabulum* in aquae *heminis* denis decoquito ad *heminam* dimidiam, & repone donec liquor ſatis mucilaginoſus evadat.

℞. Paulo plus tribus cochlearibus *ſeminis lini* in tribus aquae quadrantibus decoctum ad $1\frac{1}{4}$ pint.

[a] Hordeum *Achilleum*, ſive magnum, *heminae* menſura, reſiccatum demtisque ſpicis bene lotum, in aquae *congio* uno ad dimidium coquito, & frigidum potui dato.

℞. Paulo plus pinta magni hordei, quod affuſis aquae 7 pintis ad dimidium coquito.

[a] Cumi-

z De Natura muliebri c. 29. a De morbis l. 3. c. 16.

[a] Cumini *Æthiopici heminae* ⅛, affunde aquae tres *congios*, & in olla luto probe clausa, ad tertiam partem coquito, idque in omni febris genere potui dato.

℞. Cochleare cumini *Æthiopici* bene plenum, in aquae undecim circiter quadrantibus, ad tertiam partem coquito.

Parum sane *cumini*, si aquam adfusam spectes, ideoque illud solum intendere videtur, ut eo, tanquam aromate, aquae cruditas corrigatur; adeoque modus solum, aquam in febre adhibendi.

[a] Ptisanae *heminam* affuso aquae *congio*, coquito ad dimidium, colato, *apiis* injectis, frigidum potui dato.

℞. Quadrantem pintæ ptisanae hordeaceae, in septem circiter aquae pintis, ad dimidiam coquito.

Hordei ptisanam hunc in modum praeparabant. Hordeum in aqua primo macerabant, donec turgeret, dein soli expositum siccabant, quo facto tundebatur, donec arena omni & palea liberaretur; farinam in aqua coctam, & sole rursus siccatam, in futuros usus asservabant.

[a] Uvae passae albae exemtis vinaceis *heminam*, radicum *pentaphylli* manipulum contusum, affusis aquae *heminis* viginti, ad dimidias decoquito.

℞. Uvae passae albae paulo plus dimidia pinta, radicum contusarum *pentaphylli* manipulum, affusis aquae undecim pintis, ad dimidias coquito.

[a] Trium aut quatuor ovorum albumina aquae *congio* subacta.

℞. i. e Septem aquae pintis.

Hoc alvum concitare & refrigerare dicit.

[a] Farinae hordei *choenicem* dimidiam, adfuso aquae *congio* & injecto *adianthi* pugillo.

℞. Pintae farinae hordei tres quartas, *Adianthi* pugillum, adfusis aquae septem pintis.

[a] Pulpa cucumeris maturi rejecto cortice, in aqua, tam ad urinam movendam, quam sitim sedandam commendatur.

[a] *Apii*

[a] *Apii* manipulos tres; *pulegii* pugillos duos, in aceti *heminis* decem, (i. e. pintis sex.) ad tertias coquito; hoc melle mistum, & cum aqua haustum, injecto *adianthi* pugillo, commendat tanquam diureticum & laxans.

Hoc *oxymel* aquae miscendum, facit.

[a] Omnes liquores quos febricitantibus praescribit, in nocturno sereno aëre exponi, eosque frigidos bibi jubet. Excipit tamen aegros qui ad alvi dejectiones proni sunt. Plerasque harum decoctionum, libro de *internis affectionibus* reperias.

[b] Pulmonis inflammationem singulari medicamento depellit, quod uno haustu bibi jubet; *hydromellis* nempe semi gallonem, admixto pauco aceto; hoc tam medicamenti, quam exercitii gratia praescriptum fuisse videtur: idque suspicionem auget, librum de *internis affectionibus*, aeque ac illum de *affectionibus*, non ab *Hippocrate* scriptos. Verum in eam rem non inquiro, quia qualescunque demum sub ejus nomine prodierunt libri, a vetustis saltem auctoribus conscripti sunt.

[c] Aquam mulsam cum aceto ad trium *heminarum* mensuram, [i. e. paulo plus 1½ pinta] dedit pro vomitu in morbis biliosis ciendo.

[d] Ægrotum ficus subinde ante vomitum comedere, & tam diu vomere jubet, usquedum ficus rejiciat, quae ultimae revomuntur.

[e] Nihil aeque miror ac lactis magnam copiam ab eo praescriptam. Lac asininum ad duodecim *heminarum*, aut si aeger ferendo est, ad sedecim mensuram bibi jubet, i. e. a septem pintis ad novem.

[e] Eadem lactis asinini copia cocta aegrotos haud raro purgari vult, ut in *Epilepsiis*.

[f] Lac caprinum ad quatuor *heminarum* quantitatem, sive quadrantem, cum aquae mulsae ½ pintae praescribit: Et lactis [f] eidem copiae, *laseris* succi seu *assae foetidae* decem grana, & aliquid mellis, in morbo hepatico admiscet.

[g] Lactis bubuli in morbis lienis duos *congios*, sive ultra 14 pintas bibi placet. Tantam copiam non eodem die debuisse bibi opinatur *Cl. Clericus*: qua ratione vero qui *Hippocratem* legit, sic sentire possit,

b Libro de internis affectionibus c. 7. c De affectionibus c. 4. d De internis affectionibus. c. 21. e De ratione victus l. 2. f De internis affectionibus c. 25. 30. & alibi. g De intern. affect. c. 34.

possit, miror, siquidem saepe voce τῇ δ' ὑστεραίῃ utitur: [h] inter alios locus est, ubi dicit, proximo die octo *heminas* lactis asinini, admixta parva mellis copia bibat; quod si haberi nequeat, tres *semicongios*, seu undecim pintas, lactis aut bubuli aut caprini bibat. Et alibi dicit, proximo die lactis asinini *congium* bibat, seu 7 pintas.

Lac asininum tam modica quantitate, a nobis hodie praescribi, ineptum mihi saepius visum est: quorum enim naturae convenit, apud eos majori copia haustum, citiores majoresque effectus ederet. Ægros tantam lactis copiam haurientes nullis aliis alimentis sustentatos fuisse, penes me in confesso est.

In seligendo genere & praescribenda quantitate vini, diligens fuit: albo plurimum; nigro, ut vocat, subinde utitur; interdum dulci; interdum austero, pro rei natura. Ægro cubitum eunti duas nonnunquam *heminas*, sive integram vini pintam praescribit.

Pulverum magnas haud raro doses, sed ad propositum efficacissimas dari jubet, ut [i] in astmate, *sulphur*, *cardamum*, *rutam*, *cuminum Æthiopicum*, fabae magnitudinem de quovis, quod *drachmam* proxime exaequabit.

In partu difficili praescribit, [k] cumini *Æthiopici* quantum tribus digitis continetur, seminis *anisi* & *sesili* quantum quinque aut sex. Quid sex digiti sibi velint, non dixerim, nisi forte *Ingredientium* diversam proportionem ea phrasi designet. In eodem casu radicis *paeoniae*, aut seminis *poeoniae concham*, seu tria cochlearia imperat.

[l] Ægrotorum corporis exercitia aeque curiose descripta reliquit: nonnullis octoginta *stadia* in diem praescribit, seu milliaria *Anglica* fere novem; quae hunc in modum distribuit: triginta *stadia* mane, triginta ante coenam, & viginti post. Hanc ego longe optimam medicinam putaverim, cui si morem aegroti gererent, magis ea, quam ceateris omnibus procul dubio levarentur.

h De internis affectionibus c. 14. i De morbis l. 2. c. 16. sq. k De morbis mulierum l. 1. c. 33. l De internis affectionibus & alibi saepius.

Prae-



Praescriptionum CELSI *expositio brevis.*

MEdicinas *Celsus* internas & raro & caute dabat, curationem plerumque in diaeta, lavationibus, unctionibus, frictionibus & exercitiis ponens.

[a] Vomere saepe sola aqua calida facit, idque hyeme potius quam aestate, biliosos praecipue, quique magis obesi, quam macilenti sunt; tum eos, qui multum comedunt, & male concoquunt; [b] *veratrum* tamen album, in uno insaniae genere pro vomitu ciendo dat, & in alio *veratrum* nigrum pro purgante praescribit, non adscripta dosi. vomitus, [c] quanquam repetitos nec in *haemorrhagiis* noxios esse scribit. Autumnum, tempestatem optimam judicat, qua *veratrum* album daretur.

Purgantia & clysteres parva aestimatione habuit, veteresque nimii eorum usus inculpavit: integrum locum [d] apud auctorem legito. *Aloen* [e] cunctis purgantibus misceri volebat.

[f] Quod ad *Opiatas* attinet, aquam in qua *papaver* aut *hyosciamus* decocta fuerit, saltem auctoritate aliorum Practicorum, probare videtur.

[g] Venae sectionem in infantibus, senibus & gravidis improbat, cujus universalis regulae exceptiones tamen plurimas subjungit. Casus varios pertinentissime adfert, qui venae sectionem absolute requirebant, debitasque docet cautiones, ne tendo aut arteria feriatur. Sanguinis emittendi copiam sic definit, ut vena ante animi deliquium obturetur, quam postero die iterum aperire jubet. De venae sectione illud singulare. Praecipit, si sanguis bonus sit, id quod ex colore judicari debeat, venam statim claudendam; ve-

a Lib. 1. cap. 3. Vomitus utilior est hyeme quam aestate, nam tum & pituitae plus & capitis gravitas major subest. Inutilis est gracilibus & imbecillum stomachum habentibus: utilis est plenis & biliosis omnibus, si vel nimium se repleverunt vel parum concoxerunt. b Lib. 3 c. 18. In tristitia nigrum veratrum dejectionis, in hilaritate album ad vomitum excitandum dari debet. c Libro 4. d Libro 2. cap. 12. e Ibidem. Sed medicamenta stomachum fere laedunt, ideoque omnibus catharticis Aloe miscendum est. f Lib. 3. c. 18. Quidam somnum moliuntur potui dando aquam in qua papaver aut hyoscyamus decocta sint. g Libro 2. cap. 10.

verum addit, hac cautione peritum Medicum non indigere, quia ante venae sectionem casus noverit, in quibus prodest.

[h] In Hydrope, *lactuca marina* & *cepa marina*, tanquam *diureticis* utitur.

[i] Posteriorem interne ipsum adhibuisse nullibi reperio, decocto autem ex ea in modum fomenti utitur. Plura praeter haec diuretica enumerat.

[k] Lac in consumtionibus, non definita ejus copia, imperat; idem in capitis doloribus, febribus acutis, quas sitis comitatur, aut quando urina biliosa, ut venenum fugere jubet.

[l] Modum provocandi in febribus sudorem liquoribus frigidis, non improbare videtur, & Medicum quendam post *Hippocratem* fuisse narrat, qui *febricitantes* calidis integumentis operiebat, & quam primum febris remitti paululum coeperat, aquam frigidam potui dabat, donec sudorem provocasset. Si non confestim sudabant, plus etiam frigidae ingerebat, quoad scopo potiebatur. Depulsa *febri*, carne aegrotum suilla & vino alebat: & si non omnino a febri eum liberaverat, aqua salsa purgabat: neque alia medendi ratione hunc usum fuisse.

[m] In describendis frictionibus & corporis exercitiis, accuratus est, eorumque naturales effectus cum summo judicio describit. Frictiones a quinquaginta ad ducentas, pro aegrotantis robore praescribit, quo totidem strigilis itus & reditus significari putaverim.

Medicamentorum doses justo temperamento contineri videntur, nisi forte in locum aliquem depravatum incidas: Exempli gratia.

h Lib. 3. c. 21. i Lib. 2. cap. 31. k Lib. 3. c. 22. Lac quoque quod in capitis doloribus, & in acutis febribus, & per eas facta nimia siti, ac, sive praecordia tument, sive biliosa urina est, sive sanguis fluxit, pro veneno est; in phthisi, tamen sicut in omnibus longis difficilibusque febribus, recte dari potest. l Libro 3. c. 9.—— Ei intra haec omnis medicina erat, —— m. lib. 2. cap. 18.

Cas-

Contra Colicam confectio.

[n] *Costi, anisi, castorei,* † *singulorum* P. *denariorum* III. = 3 *dr.* $7\frac{1}{7}$ *gr,*
Petroselini denariorum III.
Piperis longi & rotundi, singulorum P. II = dr. 2. *gr.* 5.
Papaveris lachrymae, junci rotundi, myrrhae, nardi, singulorum P. VI. * = *dr.* 6. *gr.* 15. *quae melle excipiuntur. Id autem & devorari potest, & ex aqua calida sumi.*

Hic opium septimam fere ingredientium solidorum partem pendit.

Contra Asthma.

[o] Mel, galbanum, terebinthina, simul cocta; huius fabae magnitudinem quotidie. Hanc praescriptionem alia sequitur, quam depravatam judico.

Sulphuris ignem non experti pondo & quadrans. = Lib. 1. unc. 1. dr. 4. scr. 2. gr. $5\frac{5}{7}$,
